IDEA
THEOLOGIÆ
Leviathanis:

In quâ proponuntur,

I. *Leviathanis Dogmata.*
II. *Dogmatum Defensio ab Authore.*
III. *Defensionis Examen.*

CUI PRÆMITTITUR
EXERCITATIO THEOLOGICA
de *SACRO CANONE*, ad quem prædicta
THEOLOGIA expenditur.

AUTHORE
JOHANNE TEMPLER,
S. T. D.

LONDINI,
Typis E. FLESHER, Impensis G. MORDEN
Bibliopolæ Cantabr. MDCLXXIII.

ILLUSTRISSIMIS,
NOBILISSIMIS,
HONORATISSIMISQUE
GUBERNATORIBUS
Domus Carthusianæ, Hospitii
Serenissimi REGIS JACOBI,
Humillimo rogatu, & unicis
THOMÆ SUTTON
ARMIGERI Impendiis
fundati,

Patronis suis longè colendissimis
EXERCITATIONES hasce
in perpetuum Gratitudinis &
Obsequii Testimonium
Sacras voluit,

J. T.

57

AD

LECTOREM.

EXercitationes hasce tuæ subjicio censuræ; quarum prima in asserenda voluminis sacri dignitate tota occupatur. Eò lubentiùs inductus fui in hac palæstra dimicare, quò magìs undique impetita conspexerim divina Oracula, non modò asperâ Esavi manu, verùm etiam glabrâ Jacobi. Cum Dei verbo literis mandato perinde agitur, atque olim cum essentiali. Proditur enim à suis ipsius discipulis. Liber Davidicus ipsi similiter Davidi, hanc effundat querelam; Vir colens pacem mecum, in quo confidebam, comedens panem mecum, sustulit adversùs me calcem. *Etenim adversùs paginam sacram non solùm insurrexère Pontificii, de quorum amicitia nè vel in minimam spem erigamur: verùm etiam aliquot,*

quorum nomina in Romanensium albo conscripta non sunt. Siquidem non solùm hostili impetu undique textum adoriuntur Hebraicum, literas primigenias mutatas esse operosè defendunt, munimentum punctorum tormentis Philologicis demoliri contendunt, in emendandis locis induunt Aristarchum, versiones textui originali, h.e. rivulos fonti, Sciathericum Soli anteponunt: Verùm etiam utrumque Instrumentum in rebus ad salutem necessariis insimulant obscuritatis, potissimam partem fortuitò natam existimant, nullam vero eo exaratam animo, ut ad eam tanquam ad amussim primariam nostra componatur fides. Hæc sunt vulnera sacræ paginæ impressa in domo amicorum; ad quæ & reliqua ab apertioribus hostibus infixa medicam manum adhibere, pro modulo meo, conatus sum Determinatione pro gradu habitâ, quam aliquantò auctiorem tibi exhibeo, quàm tempus ejusmodi Exercitiis destinatum pateretur.

Exerci-

Ad Lectorem.

Exercitatio altera tota versatur in exquirendis Leviathanis dogmatibus, præsertim Theologicis ad Scripturæ & rationis trutinam. Quemadmodum in priore demonstratum dedi, sacrum volumen in omnibus ad salutem necessariò spectantibus esse amussim consummatissimam: ità in hac Leviathanem in omnibus ad perniciem æternam esse normam pariter perfectam. Ut exploratum habeas, me falsum non intendisse crimen: velim, ut nè graveris Syllabum Dogmatum in hujus Exercitationis vestibulo animo revolvere. Quæ via tendit magìs ad impediendos homines, quò minùs ad meliores abeant, cùm hujus lucis usura fuerit adempta, quàm eos doctrinis instituere, quæ omnes juris sive divini, sive humani nervos incidunt? Summo enim Numini talem attribuit Leviathan naturam, quæ cum perfectione infinita in concordiam nequit adduci. Sacrosanctæ Trinitati omnem adimit æternitatem, essentiæ

Divinæ puritatem peccati labe commaculat, impiorum pœnas usque & usque perennaturas fore inficiatur. Omne naturæ jus in privatum resolvit compendium, insolubili nexu regnum & potentiam conglutinat; adeò ut si subditus apud populum gratiosus Rege suo evaserit potentior, & sibi in utilitatem cessurum existimaverit suis uti viribus, liceat ei in jus Regium involare, & suo ipsius capiti coronam imponere. Hæc & alia quamplurima ejusdem farinæ tibi inter legendum occursura sunt; ex quibus intellectum habeas me hâc accusatione Charitatis non perfregisse repagula.

Non celabo, currente rotâ, me sæpenumero pœnituisse, ut bonas horas collocarem in refutandis opinionibus ab omni ratione tam longè abhorrentibus: Verùm cùm in memoriam revocarem Authorem in ipso limine gloriari, opera sua nunc post cognitas omnium objectiones accuratiùs esse edita, nec non

sibi

sibi videri, quasi omnia ex evidentissimis postulatis demonstrâsset; atque etiam quamplurimos, quorum interest, ut omne jus tum divinum, tum humanum ab imis radicibus revellatur, passim reperiri ad eandem sententiam nimis proclives; autumavi me non penitùs meam lusurum operam, si pergerem, quo inceperim pede, & demonstrationes tantâ ostentatione prolatas omnibus ante oculos ponerem. Methodo usus sum satìs obviâ & familiari. Proximè Dogma proponitur; Mox defensio Dogmatis ab Authore Leviathanis; Tertio loco defensionis Examen. Sermone celebratum est, Basiliscum, si homines eum priores intueantur, confestim emori. Hobbii Dogmati primum concessi locum, ut eò faciliùs omnibus in conspectum daretur, non desperans Leviathanem ad primum intuitum idem cum Basilisco fatum subiturum fore. Proxima ab hoc succedunt ipsius verba, ut palàm fiat,

me

me non injuriosum fuisse in fingenda sententia, cujus ipse non sit assertor. Novissimè refutationem subjeci, in quâ duo præstita comperies; primò, Argumenta adversùs ipsum Dogma directa. Secundò, singula quæ Dogmati videntur favere, diligenter discussa, & trutinâ non iniquâ pensata. In utrisque ad claritatem collineavimus; ut citra negotium nostram teneres mentem: necnon ad brevitatem; ut si intellecta tibi displiceat, non multùm admodum pœniteat te dispendii temporis, quod lectio tibi surripuerit. Dogmata non leviora, sed ejusmodi selegi examinanda, quibus operis tota innititur compages. Si conatus noster in eis subruendis optatum assequatur exitum, totum ædificium protinus collapsurum est.

Placuit Authori, ut Leviathan non solùm linguâ maternâ, verùm etiam Romanâ extaret. Hoc Sermone editus fuit Anno 1668. *Eo consilio hoc effectum*

fectum dedit, ut non Nostratibus tantùm, verùm etiam exteris innotesceret, quàm bene de orbe meritus sit Christiano. Nonnulla expuncta sunt in Editione reperta Anglicanâ, alia inserta, tria integra capita appensa. Totum opus incudi videtur reddidisse, quod tandem (ut sibi visum est) tam perfectum effecit, & omnibus numeris absolutum; ut si Aristarchus denuò in vivis esset, acre illius judicium non metueret. Cùm nemo (quod scio) hanc sequens Editionem, omnia ad Religionem spectantia ad calculos reduxerit, & eodem Sermone conspicienda proposuerit, eò lubentiùs animum induxi meum, ut in hanc partem nostra propenderent studia. Perquam idoneum est, ubicunque grassatur virus, ut antidotum se comitem præbeat.

In structuram olim Tabernaculi non solùm aurum oblatum fuit, verùm etiam pelles, ad id adversùs cœli in-

temperiem

temperiem muniendum. Si ea, quæ obtulimus, inter hæc dona viliora nomen sortiantur, utpote Ecclesiæ adversùs Principis aeris injuriam aliquatenus inservitura, in votis nihil amplius habemus.

AD

AD

REVERENDUM VIRUM,

Pietate juxtà ac Literaturâ insignem,

JOHANNEM TEMPLER,

S. Theologiæ Professorem, De prostrato & profligato HOBBIANISMO *ἐπινίκιον.*

QUis hic Colossus, qui tremendis faucibus
Immanè hians, porrectus immensùm jacet,
Vomitúque turpi, fœda ructans dogmata,
Utrumque & hinc & indè littus polluit?

Malmsburiensis Hydra, pelago lusitans
Grandis Leviathan, & Gigantæus Draco,
Informe monstrum, Belluáque Britannica,
Usque adeò ad instar Africæ, Hic & angulus
Subindè nobis Aliquid apportat novi.
Sed gratia Superis, pari passu ambulat
Noxa & Medela: Aten citò sequuntur Litæ:
Accidit Hydræ Hercules suus: Eadem Insula
Quæ dederat ortum Monstro, & interitum dedit,
Subigítque protinus, Ipsa quæ peperit, malum.
Sic pestis improbæ Pelagianæ luem
Labémque sustulit Bradardini manus.
Sic jam Co-insularis itidem Hobbesii
Pythona, jaculis mille confossum dedit
Templeriana dextra, Pythii æmula.
En quàm labascit ictus, horrendùm gemens,
Tenuísque vastum cor Myurus occupat!
Lethale pharetræ virus en ut intimas
Sorbet medullas corruentis Belluæ!
En quàm deartuata penitus, & ultimam

Halans Mephitim purulento è gutture,
Spiſſo cruore lata tingit æquora !

Tanti Triumphi glorioſa laurea
Tua (plurimùm Colende) prenſat tempora.
En quàm citatis paſſibus, quanto agmine,
Adorearum cumulo ovantem proſequi
Feſtinat ingens Gratulantium Chorus.
Aræ, focíque, humana, divina omnia,
Verenda Trinitas, Deus, Animæ & Angeli,
Natura, Gratia, Civitas, Eccleſia,
Eccleſiæque peculium (regimen, fides,
Ordo, poteſtas Clavium, Leges, Canon,
Concilia, Synodi, Martyres, miracula,
Reditus, Scholæ, Lycæa, Phrontiſteria,
Sedes ſupernæ) & quicquid uſpiam eſt Sacri
Vel Chriſtiani nominis, Te σύμμαχον
Veríque πρόμαχον, Te ſalutant vindicem.

At Tu, nefandûm Propalator dogmatum,
Inſanientis editor ſapientiæ,
Fatalitatis impiæ Præco & Pugil,
Inſipide materiati Adorator Dei,
Monocondyli Fabricator inclyte Symboli,
Fidei Novator improbe, veterum hæreſûm
Interpolarum Mango nugivendule,
Sartor Satórque falſitatum ſtrenue !
Deſcende cathedrâ & Spongiæ deletili
Incumbito, blaſphemiarum deſinens.
O te beatum, falſa ſi tandem ſcias
Mutare veris ! Bis at O miſerum, ſi neges !

Car. Robotham, Norfolcienſ.

Exercitationis Theologicæ
DE
CANONE SACRO

Elenchus.

1 Quæstionis ſtatus delineatur p. 2.
2. Oſtenſum eſt, quòd Scripturæ competant omnes perfectæ regulæ proprietates, ſc.
Plenitudo 7.
Claritas 13.
Ordinatio divina 17.
Ordinatio patefit Dei & Eccleſiæ teſtimonio ibid.
Dei teſtimonium conſpiciendum eſt
Verbis 17.
Characteribus 18.
Operibus 21.
Eccleſiæ de Veteri Teſtamento ſeorſim his quatuor propoſitionibus,
1. Deus ſuperno afflatu concitavit Ezram unà cum viris Magni Concilii ad revolvenda ſacra Volumina, & ad rejiciendum, quicquid irrepſerat, quod authoritatem in Eccleſia non merebatur 22.
2. Hæc volumina, diligentiſſimo ſcrutinio habito, tandem diviſa fuêre in tres Tomos, Legem, Prophetas, & Hagiographa ibid.
3. Hi tres Tomi ſubdiviſi fuêre in viginti duos Libros ibid.
4. Numerus hic non evaſit auctior librorum Apocryphorum acceſſione, quippe carentium Canonis propriè dicti
Materiâ 23.
Formâ 24.
Efficiente 25.
Fine ibid.
Eccleſiæ teſtimonium de Veteri Teſtamento unà cum Novo patefit
Dictis 32.
Concionibus ibid.
Diſputationibus ib.
Decretis 33.
3. Occurritur objectionibus
Contra plenitudinem.
Obj.
1. Qui & quot Libri ſacri & Canonici ſint, non exprimitur in Sacra Scriptura 34.
2. Dei Verbum non integrè ſcriptis mandatur 36.
Contra Claritatem Veteris Teſtamenti.
Obj.
1 Vetus Teſtamentum exhibet tantùm figuram & umbram Novi; ex Dei enim conſilio Novum Veteri velatum eſt 41.
2 Si doctrina Chriſti clarè tradita ſit in Veteri Teſtamento,

mento, nulli olim inservie- bant usui Miracula Domini, & Apostolorum : veritas enim antea satis fuit perspicua 42.

3 Discipulis indulta fuit gratia specialis ad intelligendas Scripturas, h.e. Vetus Testamentum : Verùm id non perspicuum habendum est, quod miraculosam postulat divini spiritûs operationem, ut intellectu capiatur 42.

4 Nonnulla ex Veteri Testamento desumpta, & in Novo allegoricè exposita, hanc obscuritatem palàm fatentur 43.

Evangelistarum.

Obj.

1 Christo non placuit veritatem & summam religionis usquequaque & ubique patefacere ibid.

Apostolorum.

Obj.

Apostoli non eo consilio se ad scribendum contulerunt, ut summa panderent religionis Capita 44.

Totius sacræ paginæ.

Obj.

Præ temporis intervallo inter ævum, quo Biblia fuère literis mandata & præsens seculum secus accidere nequit ex rerum & morum mutatione quin obscura evaserint 45.

Contra ordinationem divinam. *Obj.*

1 Deus, ante Scripturam datam, Ecclesiæ regulam prospexit, sc. doctrinam ore traditam, &c. 47.

2 Non minima pars Scripturæ fortuitò nata est, &c. 52.

3 Si Deus in animo habuisset perfectam amussim scriptis mandare, Catechismum aut Systema componere voluisset juxta Methodum artis 53.

4 Cum decreto ordinandi constituendique Scripturam in regulam minimè congruit providentia divina, quæ permisit

1. Veterem Hebraicum characterem in desuetudinem venire, & novum, sc. Chaldaicum subrogari 54.

2. Ipsum textum Hebraicum quandoque luxari & aliquoties intercidere ; uti patet ex Psalmis Alphabeticis 60.

3. Masorethas Tiberienses sensum totius Veteris Testamenti suâ punctatione depravare 63.

4. Tot varias lectiones in utrumque Testamentum irrepere ; ut textus genuinus haud fermè internosci queat 73.

5. Textûs dignitatem quamplurimis obteri antilogis 75.

6. Ipsa autographa perire ; adeò ut infallibiliter certi esse nequeamus, an cum eis nostra concordent Apographa. 81.

Exercitatio Theologica
DE
SACRO CANONE.

Sacra Scriptura in omnibus ad Salutem necessariò spectantibus est Regula perfecta.



Eterem legem non inconcinnitèr dispescuit Hebræorum Primicerius in præcepta primæ, & secundæ intentionis: Pari modo lites partiamur sub Evangelio natas; in quibus dirimendis desudant Papistæ & Protestantes. Aliæ sunt primæ intentionis, sc. de iis institutæ, quæ saniori Ecclesiæ bellum gerendi cum Ecclesia Romana primam ansam dederunt. Hujus generis sunt certamina de veneratione panis Eucharistici, invocatione Sanctorum, cultu Imaginum. Aliæ sunt secundæ intentionis, inter quas dissidium de Sacris Literis primas fert. Cùm Pontificii, qui paulò antè perhonorificè de Scriptura loqui solebant, exploratum haberent se placita sua tueri non valere adversùs tela è Sacris Bibliis deprompta, novis technis sibi consulere cœperunt. Toto molimine conati sunt Scripturam de solio deturbare, obscuritatis crimine obterere. De cætero quoquoversùm obstrepunt, quamplurima desiderari ex Verbo non scripto haurienda. Populum passim ab illimi veritatis

fonte

fonte ad traditionis latices pelliciunt. Partim ipsorum nullas amussis partes sacro attribuunt codici; eum enim cereo naso undique flexili comparare & æquare non erubescunt. Partim eum partialem normam esse ingratiis concedunt; verùm totalem in universum inficiantur. Synodus Tridentina traditiones pari pietatis affectu & reverentiâ suscipit & veneratur. Omnes unà consentiunt ad Verbum Dei crucifigendum; quamvis, qui in prima acie stant, plures clavos pangant quàm cæteri. In toto hoc negotio mihi videntur se gessisse similiter Rabbinis, qui cùm sentirent multos ex Judæis luce Scripturæ triumphatos sua deseruisse castra, & spem victoriæ penitùs desponderi, si solâ Sacrarum Literarum armaturâ pugnatum esset, ad traditiones tanquam ad Asylum tutissimum confugerunt, & iis Mosem & Prophetas non dubitârunt postponere. Ex hac re circa Annum Domini Centesimum Quinquagesimum cœpit Lex Oralis scriptis mandari; cujus facti cùm optatum exitum animadvertissent (rarò enim deinceps aliquis ex Hebræis ad fidem Christi fuit conversus) opus in immensam molem excrevit.

Penso, quod mihi conficiendum incumbit, ductus sum ad diluendos hosce, & ejusdem farinæ errores, & ad asserendam Scripturæ prærogativam, quæ in eo sita est, ut auxiliaribus copiis traditionis in genere regulæ regulantis non indigeat. Quod ut feliciùs absolvam, primò me conferam ad aperiendos Quæstionis terminos.

Scriptura Sacra.] *Scripturæ nomine intelligo eos Veteris & Novi Testamenti libros, qui pro Canonicis habentur ab Ecclesia Anglicana in Sexto Religionis Articulo; quocum propemodum concinit Canon novissimus Concilii Laodiceni, qui est Centesimus Sexagesimus Tertius in codice Canonum universæ*

versæ Ecclesiæ. Baruch, quem Concilium commemorat, continetur in libro Jeremiæ (Ἱερεμίας καὶ Βαρούχ.) *Omittitur Apocalypsis, propterea quòd Concilium solummodò intendit libros numerare, qui in Ecclesiis prælegebantur, in quorum album liber Apocalypseos propter mysteria ad quotidianum captum non accommodata nondum fuerat receptus. Scriptura* Sacra *prædicatur, non solùm ratione materiæ, verùm efficientis. Amanuenses fuerunt* θεοφορούμενοι *peculiari impulsu concitati ad illinendum Chartis, quod Deus illis patefecerat ; & singulari auxilio ad scribendum donati, ne humani aliquid paterentur.* ὑπὸ πνεύματος ἁγίου φερόμενοι ἐλάλησαν, 2 Epist. *Sancti Petri* c. 1. v. 21. *Auxilium hoc non tantùm pertingebat ad sententias, ne in iis fallerentur, verùm etiam ad voces & literas. Par est ut credamus Deum stylum, cui Amanuensis fuit assuetus, sanctificâsse, & direxisse ; verùm ubi minùs idoneus esset exprimendo mysterio cœlitùs detecto, novas voces infudisse.* Ex *hac re* ἡ γραφὴ *dicitur* θεόπνευστος, & *ipsa* γράμματα ἱερὰ, 2 *Tim.* c. 3. v. 15, 16.

In omnibus ad Salutem necessariò spectantibus. In omnibus.] *Ad finem Sacrorum Bibliorum non licet attexere pro more solito, ut in aliis libris, Desunt nonnulla.*

Ad Salutem] *Non tantùm hominum unius sortis, verùm omnium & singulorum, in quocunque statu versantur, sive rudes, sive literis sint exculti.*

Necessariò spectantibus.] *Quæ sunt in numero necessariorum ad salutem in duas classes diducenda sunt. Alia sunt necessaria per se & directè, nimirum quæ eo consilio divinitùs patefiunt, ut à quovis, qui æternâ potietur felicitate, magìs vel minùs explicitè pro modulo suo fide recipiantur.* Una est omnium fides, at varii sunt gradus. *Alia*

sunt necessaria per accidens & indirectè, nimirum quæ Deus revelat, verùm non eâdem gratiâ & consilio: credentibus enim non pollicetur vitam æternam, nec insciis mortem minatur: tamen simulatque hæc cœlitùs patefacta esse compertum habemus, creditu necessaria evadunt virtute superioris mandati. Quicquid à Deo revelatur, credendum est. *Quemadmodum in omni Scientia alia ad essentiam scientiæ spectant, alia occasionaliter solummodò tractantur: ità se res habet in Sacris Oraculis. Thesis collimat ad necessaria primæ classis, quorum nescii & expertes esse non possumus citra æternæ salutis dispendium: Qualia sunt ea, quæ non solùm in sacra occurrunt pagina, verùm etiam quorum momentum in ordine ad vitam æternam vel κατὰ τὸ ῥητὸν exprimitur, vel κατὰ διάνοιαν, ut τὸ cognoscere Deum & Jesum Christum, Joh.* 17. 3. *In Deum & Christum credere, Heb.* 11. 6. *Ad Sanctimoniæ normam vitam componere, Heb.* 13. 14. *Cæteráque omnia sive dogmata sive præcepta, quæ usque eò conglutinantur cum fide, sine qua nemo poterit Deo placere; cum sanctimonia, sine qua nemo Deum intuebitur; ut nullo pacto queant divelli. Quicquid hujus indolis est, sacra Scriptura perspicuè recludit. Fidei enim aperit objectum, sc. Deum & Christum; attributa hujus objecti, justitiam & misericordiam; actus circa hoc objectum, notitiam & fiduciam. Dilucet pariter in utroque Testamento, quicquid spectat ad sanctimoniam. Officium nostrum tam erga Deum quàm hominem vivis coloribus depingitur. Spondemus omnia in specie expromere, simulatque ipsi Pontificii Catalogum exhibuerint eorum, quæ præcisè necessaria sunt ad salutem; & tamen intra pomœria Scripturæ non continentur. Interealoci repetamus memoriâ necessaria directè & per se considerand*a

randa esse vel in genere secundùm summa capita, quæ ab omnibus cujuscunque sortis explicitè credenda sunt, qui æternam salutem consequentur : (Hæc complent illam fidei mensuram, sine qua nunquam potuit esse salus, uti verbis utar Mag. Senten. l. 3. dist. 25.) vel in specie secundùm particulares & magìs expositos articulos, quorum etiam fidem distinctam Deus ab iis postulat, quibus majora indulta sunt auxilia ad investigandum, quod in summis capitibus jacet involutum. Necessaria in primo sensu jamjam numerantur in antiquis Symbolis, Decalogo, Oratione Dominica ; nec non in omnibus Scripturæ Textibus, ubi formulæ necessitatem credendi innuentes occurrunt. Quantùm ad necessaria in secundo, dicendum est, cùm obligatio ad credendum plurimùm pendeat à subsidiis & mediis, quibus explorata sunt omnia particularia, quæ in generalibus capitibus includuntur, & hæc auxilia apud omnes non eadem sint ; verùm plurimum varietatis sortiuntur pro variis hominum dotibus, vocationibus, cæterisque circumstantiis : temerarium esset vel tentare articulorum particularium catalogum, qui nec plus nec minus complectetur, quàm quod à quolibet credendum est. Idem calceus non conveniet ad pedem Pygmæi & Gigantis : Vestis, quæ ad modulum corporis Zachæi confecta est, corpori Goliæ non benè quadrabit.

Regula Perfecta.] *Regula sumitur propriè vel metaphoricè. Propriè pro norma qua regitur artifex in ducendis lineis ; ne in opere suo extra debitum ordinem vagetur.*

Metaphoricè pro systemate dogmatum & præceptorum, ad quod tanquam ad libellam omnes fidei articuli & morum præcepta debent expendi.

In hoc novissimo significatu Scriptura nuncupatur

regula est collectio omnium, quæ à nobis credenda & facienda sunt, si vitâ æternâ potiri velimus. Ad hanc normam in fide ædificandi sumus: ad hanc amussim vitæ nostræ lineæ ducendæ sunt: ut cùm ad periodum fuerint perductæ, in cœlestem intromittamur Paradisum.

Perfectæ Regulæ *nomine intelligo normam* plenam, claram, ordinatam à Deo in hunc usum.

1. Plenam, *quæ totam salutis doctrinam complectitur vel* αὐτολεξεὶ *& explicitè, vel* διανοητικῶς *& implicitè, ità ut indè per immotam consequentiam elici possit. Talis plenitudo essentiam regulæ ingreditur.* Κανών ἐστιν μέτρον ἀδιάψευστον πᾶσαν πρόσθεσιν καὶ ἀφαίρεσιν μηδαμῶς ἐπιδεχόμενον, *regula est mensura non fallax, nullam omnino additionem & diminutionem admittens,* h. e. *in partibus essentialibus, non in integrálibus; nam quamvìs tota mensura sit regula, tamen non totum mensuræ.*

2. Claram; *non dico omnibus, quamvìs præconceptæ opinioni mancipati sint, & usum mediorum aspernentur. Cæco nihil perspicuum est.* Non in omnibus. δυσνόητά τινα *non ingratiis concedimus. Sunt, quæ futuro reservantur seculo, & Deo soli commendanda: alia, quæ peritioribus solis nota,* ἔργον μέγιστον εὑρίσκειν τὰς κλεῖς, καὶ ἐφαρμόζειν. *Opus difficillimum est invenire claves & aptare.* Non secundùm sensum mysticum. *Nucleus putamine obducitur. Sed omnibus, qui præjudicia deponunt, & ad usum mediorum se seriò accingunt, saltem quoad intelligentiam externam.* In omnibus necessariis *ad vitam æternam, quantùm ad modum tradendi, etiamsi res tradita superet humani intellectûs captum. Quæ hujusmodi sunt referunt similitudinem Gemmarum in pectorali Judicii, quas Hebræi perhibent prominuisse, cùm Oraculum consuleretur, & lucidiores solito*

Orig. Philoc. c. 2. p. 22.

solito apparuisse. Secundùm sensum literalem sive propriam, sive figuratam. *Ut compendifaciam; tantum inest perspicuitatis hujus regulæ vocibus, stylo, methodo; ut absque traditionis non scriptæ subsidio, aut Ecclesiæ infallibilis auctoritate sensus salutaris à pernicioso ordinariè secerni possit. Si hæc regula sit in se plena, & tamen tali claritatis gradu non donata; quamvis sit in se sufficiens; tamen non est norma sufficiens nobis.*

3. Ordinatam à Deo in hunc usum. *Si liber extaret sacrâ veritate solâ repletus; non extemplò censendum, eum idcircò esse ex albo Canonicorum. Accedat insuper oportet ordinatio divina quâ huic usui solenniter devoveatur. Verisimile est Prophetas multa verè divina literis tradidisse, in Bibliis non reperienda: nihilominus non indè concludendum, vel minimam Canonis partem interiisse. Quia Deus nequaquam instituit, ut illa Scripta in Canonem essent relata.*

Hisce prælibatis, viam munivi ad stabiliendam Thesin propositam, Sacra Scriptura in omnibus ad salutem necessariò spectantibus est regula perfecta. 1. *Est* Plena. 2. Clara. 3. Ordinata à Deo in hunc usum.

1. Plena. *In ea complexum intueamur quicquid est alicujus momenti ad vitam æternam.* 1. *Pontificii unà nobiscum sentiunt, Scripturam esse divinitùs inspiratam. Quapropter omnia, quæ ibidem continentur, sunt fide accipienda.* 2. *Scriptura ipsa asserit, Deum ex ea re hoc sacrum volumen contexuisse, ut vitam æternam assequamur. Hæc scripta sunt, ut credatis, &c. & ut credentes vitam habeatis, Johan. c. 20. v. 31. Non putandum est Evangelistam de miraculis Christi unicè locutum fuisse. Quippe miraculorum historia citra doctrinam nequaquam*

quam sufficit aut fidei aut saluti assequendæ. Miracula sunt supremi Numinis sigilla. Sigillum nè ex minima valet parte absque scripto, in quo nominatim dictum est, cui inserviat usui. Consimile testimonium nobis suppeditat 1 Epistola Sancti Johannis in capite primo & commate quarto. Hæc scribimus vobis, ut gaudium vestrum sit plenum. Gaudium Christiani fastigium suum nequit attingere sine indubitata spe vitæ æternæ. Dum prospero statu utimur, & omnia fluunt ad voluntatem, ægritudinem gaudio intercedere sentimus, quoties oculum conjicimus in periodum, quam hæc omnia brevi habitura sunt. Si Deus ideo voluntatem suam Scriptis mandet, ut gaudium nostrum sit plenum, & hoc gaudium minimè plenum sit futurum, nisi in firmam spem vitæ æternæ erigamur, nemóque in hanc spem venire possit, nisi priùs in omnibus, quæ spectant ad hanc vitam, instituatur: necessum est, ut dicamus, Deum in componenda sacra Scriptura ad hanc metam collineâsse, ut inibi doceamur omnia, quæ conferunt ad vitam æternam. His consona sunt, quæ occurrunt in c. 5. com. 13. ejusdem Epistolæ. Hæc scripsi vobis, ut sciatis vos vitam æternam habere. Notandum est, hæc omnia ab ultimo Apostolorum prolata fuisse, qui scripta sua cæteræ parti Canonis attexuit, totúmque opus suo approbavit calculo. Itaque quod de suis ipsius Scriptis pronunciat, de reliquis est intelligendum, quæ complent Systema Canonicum. 3. Si Spiritus Sanctus in texendis sacris literis hunc finem sibi proposuerit, ut salutem obtineamus: omnia media, quæ conducunt ad hunc finem, eò loci sunt invenienda. In omni disciplina exprimitur quicquid ad adæquatum finem adipiscendum requiritur. Si desit aliquid, hujusmodi defectus ascribendus est imperitiæ, quæ in scientissimo

Numine

Numine consistere non potest. 4. *Si Sacram paginam consulamus, plenitudinem inveniemus, quam inesse debere probavimus. Constât è duabus partibus, Lege & Evangelio. A Lege ducam exordium.*

1. *Vir beatus perhibetur, qui die & nocte in Lege meditatur, Ps.* 1. *v.* 2. *Spiritus Sanctus hic potissimùm beatitudinem intendit æternam. Quantùm ad hujus vitæ commoda quamplurimi, qui legem insuper habent, prorsúsque deque ferunt, beatiores sunt, quàm qui paratissimum exhibent obsequium. Si illi, qui in meditatione legis versantur, in æternum beati sint futuri, omnia necessaria ad hanc beatitudinem comparandam in lege continentur.*

2. *Lex ipsa dicitur perfecta convertens animam, Ps.* 1[illegible]. *v.* 8. *Mens non plenè ad Deum convertitur, donec omnia habet explorata, quæ ad salutem necessaria sunt. Quapropter necesse est, si conversio peragatur legis ministerio, ut lex contineat omnia, citra quorum notitiam salus non est paranda. Palàm est, Davidem locutum fuisse de lege, non orali, sed suâ ipsius manu ad exemplar sacerdotum descriptâ ad initium regni, quam quotidie versare tenebatur, Deut. c.* 17. *v.* 18.

3. *Deus vitam æternam iis pollicetur, qui statutis & judiciis morem gerunt.* Homo, qui fecerit ea, vivet in iis, *Levit.* 18. *v.* 6. *Hanc vitam, quam Deus spondet, æternam esse ex Christo ipso discamus. Cùm interrogavit Jurisperitus, quid faciendo vitam æternam possideret? Luc.* 10. *v.* 25. *Christus amandat illum ad locum, quem præ manibus habemus, Hoc fac, & vives, h. e. vitam æternam, cæteroquin responsum non fuisset appositum. Si illi vitâ æternâ donandi sint, qui statutis & judiciis divinis obtemperare non recusant, in dubium nequit venire, utrùm omnia ad vitam æternam necessariò spectantia in illis reperiantur.*

tur. Per judicia, legem literis traditam intelligamus oportet. Nam Deus Mosem Exo. c. 21. v. 1. ad hunc modum alloquitur, Hæc autem sunt judicia illa, quæ propones eis. Postquam autem hæc statuta patefecisset, Exod. c. 24. v. 4. *dicitur,* Scripsit Moses omnia verba Jehovæ. *A lege progrediar ad Evangelium.*

1. *Æternus Pater nè minimum apicem sui consilii filium celavit. Quicquid autem Christus à Patre auribus acceperat, notum fecit discipulis, Johan. 15. v. 15. quicquid discipulis innotuit Christi præconio, Sanctus Lucas in suos commentarios regerebat, Act. c. 1. v. 1. Librum confeci (Theophile) de omnibus (scilicet absolutè necessariis) quæ Jesus cœpit facere & docere. Si omnia necessaria conspicienda sint in uno Evangelista, uberrimè provisum est saluti nostræ in toto Scripturæ systemate.*

2. *Sanctus Paulus, c. 20. v. 27. Act. dicitur totam voluntatem Dei annunciâsse. In c. 26. v. 20. profitetur se nihil dixisse extra Mosem & Prophetas. Ergo totum Dei consilium de statu futuro Scripturæ cancellis circumscribitur.* Ex *hac re Berœensibus cedit in laudem, quòd doctrinam Apostoli ad Scripturæ normam exciterent, Act. c. 17. v. 11. Irritus fuisset hic conatus, & elogio indignus, Scripturam perscrutari, an à Paulo prædicata ità se haberent, si Sanctus Paulus ex mente divina aliquid annunciâsset, in Scriptura non comprehensum.*

3. *Scriptura sufficiens prædicatur ad reddendum hominem ad salutem sapientem per fidem, quæ est in Christo, in 2 Epist. ad Tim. c. 3. v. 15. Nemo sapientis titulo insigniri debet, nisi priùs omnia edoctus sit, quæ ad salutem necessariò conferunt. Sapientis est* ἐπίστασθαι μάλιστα πάντα, *inquit Philosophus. Si Scriptura hominem hâc accuratissimâ imbuat scientiâ,*

com-

complectatur necesse est omnia ad salutem spectantia.

4. *Scriptura non solummodò sufficit erudiendo cuivis è vulgo, verùm homini Dei, ut sit ad omne bonum opus perfectè instructus, v.17. Homo Dei est minister Evangelii utì liquet ex prima Epist. ad Timotheum, c.6. v. 11. Ministri Evangelii palmarium opus est totum Dei consilium de æterna salute aperire, Act. c.20. v.27. Si ex verbo Scripto perfectè instituatur ad hoc opus peragendum, totum Dei consilium de vita æterna intra terminos Scripturæ continetur.*

Serenus du Cressy in Exomologesi 4. regerit, ut hujus insignis testimonii vires eludat. 1. *Apostolum per Scripturam intelligere solummodò vetus Testamentum: Quandoquidem novum non fuit Scriptis mandatum, cùm Timotheus esset in tenella ætate.* 2. *Per fidem in Christo evangelium traditum orali traditione. Scriptura unà cum hac fide hominem reddere valet sapientem ad salutem.* 3. *Si vaticinetur de Scriptis Evangelicis, ea solùm utilia asserit, non sufficientia.* 4. *Nequaquàm excludit Ecclesiam hæc Scripta interpretantem.*

Ad 1. *Resp.* 1. *non palàm est, quod de Scriptura asseritur, ad vetus Testamentum solùm pertinere. Postquam enim Apostolus de Scripturæ parte locutus fuisset, quam Timotheus à tenero ungue didicerat, progreditur ad totam, quæ tum extabat, cùm hæc Epistola Scriptis mandaretur. Tota Scriptura divinitùs inspirata, &c. Hæc Epistola est omnium penè ultima. Jam tum tres priores Evangelistæ & nonnulli ex Apostolis aliquot è Scriptis suis in lucem protulerant.* 2. *Si concedamus Sanctum Paulum ad vetus Testamentum solùm collimâsse, fortiùs premitur Adversarius. Si vetus hominem in salutis doctrina erudire sufficiat, multò magìs novum unà cum veteri: si ex una mamma satìs lactis dimanet, utrâque abunde prospectum est Ecclesiæ.* Ad

Ad 2. Resp. 1. Si Apostolus haberet in animo fidem, quæ creditur, non quâ creditur; ac si sensus esset, Scriptura unà cum doctrina fidei ore traditâ potest te sapientem reddere; non dixisset διὰ πίστεως per fidem, sed σὺν πίστει cum fide; non διὰ πίστεως ἐν χριστῷ per fidem in Christo, sed διὰ πίστεως χριστοῦ per fidem Christi. Nam doctrina fidei non est propriè fides in Christo, sed fides Christi. 2. Hæc interpretatio minimè convenit cum scopo Apostoli, qui hâc gratiâ Scripturam peculiari encomio afficit, ut inducat Timotheum ad perseverandum in doctrina indè derivata. Si per fidem intelligat Evangelium ore traditum, nihil eximium est in hoc elogio. Eâdem laude ornemus Senecæ opera: siquidem unà cum Evangelio à Christo & Apostolis tradito possunt hominem ad salutem sapientem redddere.

Ad 3. Resp. Cùm Apostolus in hoc præcellentissimo gradu Scripturam utilem agnoscat, idem valet, ac si sufficientem asseruisset. Etiamsi argumentum ab utilitate in genere ad sufficientiam non valet: (non diffitemur quamplurima esse utilia, quæ non sunt sufficientia) nihilo seciùs valet à tali utilitate, qualem textus nostro exhibet conspectui. Quod eò usque utile est, ut non solummodò alienus à literis, verùm etiam doctrinâ provectus, ipse homo Dei indè edoceatur ad fungendum suo munere, sufficiens itidem pronunciare non verebimur.

Ad 4. Resp. 1. Adversarius nostræ sententiæ annuit. Si Scriptura unà cum interpretatione Ecclesiæ sufficiat erudiendo homini Dei in omnibus ad salutem necessariis, tum hæc omnia in se complectitur. Interpretatio Ecclesiæ nihil novi adjicit ad textum: sed conceptum Spiritûs Sancti inibi inclusum ex instituto significat. 2. Interpretatio Ecclesiæ est vel ministerialis, cui accedimus non solùm ob autoritatem interpretis,

pretis, verùm etiam ob suam ipsius evidentiam: vel magistralis, quæ accipienda est ob autoritatem solam infallibilis interpretis. Cùm Apostolus asserat scripturam homini Dei tam insigniter profuturam, excludit necessitatem interpretationis secundi generis, pro qua Romanenses unicè contendunt. Scriptura nequit esse adeò utilis, quin internâ claritate imbui debeat. Et si sit in se luculenta, nihil impedit quò minùs in portum veritatis provehamur sine Ecclesiæ infallibilis cynosura. Hactenus de prima parte perfectæ regulæ. Scriptura est plena. *Ad Secundam progredior.*

2. *Scriptura est* clara. 1. *Eo animo fuit in lucem prolata, ut ab omnibus sive Clericis sive Laicis posteris etiam seculis legeretur. Rex ipse jubetur legem revolvere, Deut.* 17. *v.* 18. *Eunuchus excusatè in curru versabat prophetas, Act. c.* 8. *Beræenses cum laude vetus Testamentum relegebant, ut ad hanc normam Sancti Pauli doctrinam excuterent, Act.* 17. *v.* 11. *Apostolus suas Epistolas ad omnes se misisse profitetur,* 1 *Epist. ad Cor. c.* 1. *v.* 2. *ut omnibus fratribus legerentur,* 1 *Epist. ad Thessal. c.* 5. *v.* 27. *Sanctus Johannes declarat se scripsisse non solùm patribus, qui cibum præmansum puerulis in os ingererent: verùm etiam ipsis puerulis. De Scripturæ parte maximè obscurâ pronunciat, Beatus est qui legit, Apoc. c.* 1. *v.* 3. *Hæc dicta non solùm innuunt divina oracula consulenda esse ab iis, qui in vivis erant, quum Scriptis mandarentur: verùm ab omnibus usque ad adventum Domini. Illi ante id tempus servemus oportet, quod in sacra pagina complexum est,* 1 *Tim.* 6. 14.

2. *Si Scriptura eo consilio edita sit, ut ab omnibus in quolibet seculo legatur; tum etiam ut ab omnibus intelligatur. Voluit Deus, ut cum fructu Scripturam*

ram tractemus. Nihil emolumenti inter legendum nobis accedet, si intellectu non consequamur, quæ præ manibus habemus. Quæ antè scripta sunt, ad nostram doctrinam προεγράφη, *Epist. ad Rom. c.* 15. *v.* 4.

3. *Si Scriptura ideo tradita est, ut omni seculo intelligatur ab omnibus, tum etiam voluit Deus, ut claritate donetur, h. e. ut sit clara non solummodò eis, qui temporibus Apostolicis Systema fidei ore traditum priùs acceperant: verùm nobis omnibus in quovis seculo usque ad mundi periodum. Intellectio est finis, perspicuitas est medium ad hunc finem promovendum apprimè conferens. Qui finem intendit, media desiderat ad finem conducentia. Si talis desit perspicuitas, homines saltem infimi subsellii, qui ingenii viribus non pollent, nequaquam in rebus salutis sacræ paginæ sensum eruere poterunt.*

4. *Si voluit Deus, ut Scriptura sit clara, nihil in mora esse potuit præter defectum potentiæ ad id assequendum, cujus erat cupientissimus, quò minùs luculenta evaderet: quod de Deo cogitare blasphemum est. Hinc Spiritus Sanctus perspicuitatem attribuit Scriptis Mosis, Prophetarum, Apostolorum.*

1. *Scriptis Mosis. Deut. c.* 30. *v.* 10. *agitur de eo, quod scriptum est in libro legis. In commate proximè sequenti asseritur, hoc præceptum* לא נפלאת *non est occultum, utì vertitur ab Interprete Syriaco & Arabico.* Non est in cœlis. *Ipsa astra non sunt consulenda, ut sensum consequamur.* Neque est ultra mare. *Non opus est adire longinquas regiones, & trans mare currere ad infallibilem interpretem, ejus adipiscendi causâ. Hæc notitia acquisitu facilior est. Propinquum est verbum hoc. Moses non collimat ad Decalogum solùm, sed ad totam fidei doctrinam in Pentateucho comprehensam. Sanctus Paulus hoc*

verbum

verbum ad sermonem fidei accommodat ad Rom. c. 10. v. 8. Frustrà excipiunt Pontificii, locum intelligi de facilitate implendi legem, non cognoscendi. Ex illis enim verbis וישמענו אותה *& audire faciet nos illud, palàm est tam de cognitione agi, quàm impletione. Quinetiam impletio est opus non naturale, sed rationale & morale; quod perfici nequit sine concursu intellectûs: quapropter nisi nullo negotio ab intellectu percipiatur, expeditum & in proclivi esse non potest.*

2. *Scriptis Prophetarum. Sermo propheticus appellatur lucerna splendens in* 2 Ep. *Sancti Petri c.* 1. *v.* 19. Lucerna] *Nulla lucerna sine luce.* Lucerna splendens] *non tenuis & subobscura. Deus hanc lucem accendit, non ut sub modio abscondatur: verùm ut radios suos undique spargat ad dirigendam Ecclesiam per hujus vitæ caliginosæ curriculum, donec in cœlis, ubi pleniorem notitiam fuerit adepta, æternus elucescat dies.*

Quantum discrepant successores Petri ab ipso Petro? Crepant illi Scripturam esse tenebris obductam, se solos lucem in scrinio pectoris gestare: cùm ipse Petrus Scripturæ partem, quæ maximè obscura videtur, nimirum ipsa Prophetarum volumina λύχνῳ φαίνοντι *lucernæ splendenti æquare non dubitet. Incassùm agunt, qui regerunt Scripturam hîc lucernæ assimilari, & alibi lucidam agnosci, non quia suâ ipsius luce patet, sed quoniam postquam fuerit ope alienæ lucis intellecta, mentem illuminat. Si hoc responsum ratum habeatur, ænigmata densissimis tenebris obvoluta lucida appellemus. Siquidem quamprimum intellectu capiuntur, mentem luce perfundunt. Absit, ut tam insolentem loquendi modum sapientissimo numini affingamus.*

3. *Scriptis Apostolorum. Si opertum sit Evangelium nostrum, (inquit Apostolus) eis, qui pereunt, opertum*

opertum est; illis, inquam, quorum Deus seculi hujus excæcavit mentes. 1. *Notandum est Spiritum Sanctum agere de luculento modo tradendi Evangelium. Multâ, inquit, in loquendo evidentiâ utimur,* 2 Cor. c. 3. v. 12. *Manifestatione veritatis commendantes nosmetipsos apud omnem conscientiam,* c. 4. v. 2. 2. *De modo tradendi non solummodò partem, sed totum Evangelium. Commemorat enim verbum quod passim quoquoversum prædicaverat. Evangelium ab Apostolo annunciatum fuit totum Dei consilium,* Act. c. 20. v. 20. 27. 3. *De modo tradendi per Scripturam. Hoc Evangelium opponitur veteri Testamento, quà literis traditum est, utì liquet ex commate* 14. c. 3. *ubi Apostolus facit memoriam lectionis veteris Testamenti. Regula oppositionis postulat, ut per Evangelium itidem intelligamus novum Testamentum non quà vivâ voce prolatum, sed quà Scriptis mandatum est. Hoc Evangelium est adeò sudum & serenum, ut neminem lateat, nisi orbum luminibus, & inferni præstigiis occæcatum. Si gratìs concedamus Apostolum memorare Evangelium quà ore traditum, idem refert. Nemo enim sobrius ad credendum inducetur Apostolum inter concionandum luculento sermone usum fuisse, obscuro autem in Epistolis: præsertim cùm profiteatur se talem fòre, cùm præstò esset futurus, qualis fuerat sermone per Epistolas in* 2 *ad Cor.* c. 10. v. 11. *Ex hisce testimoniis liquet claritatem attribui Scriptis Mosis, Prophetarum & Apostolorum. Hæc perspicuitas est in necessariis ad salutem, vel non necessariis. Absit à nobis existimare Scriptum sapientissimi numinis in rebus minimi momenti clarum esse, at maximi obscurum. Ex hac re Spiritus Sanctus claritatem suprà commemoratam ad res salutis restringit. Apostolus dicit verbum, quod Moses non occultum esse pronunciat, esse sermonem fidei, quem qui amplectitur,*

2 Cor. 4. v. 3, 4.

tur, salute potietur. *Ad Rom. c.* 10. *v.* 9. *Sanctus Petrus consulit ut sermoni prophetico attendatur, donec illuceat dies, h. e. dies in cœlis, ubi nulla nox interventura est; cùm facie ad faciem intuebimur, quod impræsentiarum per speculum contemplamur. Hoc innuit sermonem Propheticum lucernæ assimilari; propterea quòd præfulgidam lucem ministrat in eis, quæ ad lucrandum statum futurum conferunt. Cùm Apostolus asserat Evangelium solis perituris opertum, innuit id esse salvandis luculentum in iis, quæ spectant ad salutem. Qui hosce textus non gravatur revolvere, non facilè ad asserendum inducetur, in locis pro claritate Scripturæ prolatis nullam fieri mentionem necessariorum ad salutem.* Vide Epilog. ad Trag. c. 5. p. 31. H: Thornd. Au.

Hactenùs de secunda parte perfectæ regulæ: Scriptura est clara. *Jam deventum est ad tertiam.*

3. Scriptura est à Deo ordinata in hunc usum. *Hujus veritatis testimonium perhibent Deus & Ecclesia. Deus testimonium suum dat Verbis, Characteribus, Operibus.*

1. Verbis. *Doctrina Scripturæ appellatur* Κανὼν *in Epist. ad Galat. c.* 6. *v.* 16. Κανὼν, *uti monet Varinus, est pars illa in trutinis, quæ instar lingulæ in medio consistit, & ostendit vel æquilibrium, vel excessum, vel defectum. Memoriâ repetendum est, Apostolum in hac Epistola concertare cum iis, qui Legem & Evangelium falsare, novámque fidei regulam cudere instituerant, quam* ἕτερον *&* ἄλλο εὐαγγέλιον *appellat, c.* 1. *v.* 6, 7. *Ut horum redarguat errorem, totius Legis & Evangelii compendium dilucidè proponit, & ad extremum concludit, Quicunque juxta hanc regulam incedent, pax super illos. Si totius Legis & Evangelii Epitome in hac Epistola Canon appellatur, eadem doctrina in reliquis Scripturæ libris uberiùs explicata eodem titulo jure insignitur.*

ſignitur. Hinc Verbum Domini nuncupatur קו *Eſaiæ, c. 28. v. 13. Pſ. 19. v. 5.* קו *eſt propriè funiculus tenuis, quem cretâ imbuunt fabri, ut lineam rectam ducant, cujus ductum ſequantur in materia exæquanda & complananda: Pari modo ad lineas, quas ſummus artifex duxit in ſacris literis, fidem & mores noſtros componamus oportet. Hinc totum Vetus Teſtamentum à Spiritu ſancto legis ſive regulæ nomine nuncupatur. Quod reperitur in Pſalmis, dicitur ſcribi in Lege, Johan. c. 10. v. 33. c. 15. v. 25. In lege ſcriptum dicitur, quod habetur in Eſaiæ Prophetia, 1 Cor. 14. v. 21. Ex ea re nomen Legis toti Veteri Teſtamento inditum eſt, quòd Canon partibus Legis fungitur: præſcribit enim quid ſit, quod credendum aut faciendum nobis incumbit. Cui conſonum eſt, quod docent Rabbini,* תורה *dividitur in tres partes, Legem, Prophetas & Hagiographa.*

2. Characteribus. *Quemadmodum Deus operibus manuum ſuarum inſcripſit inſignia; ut cujus ſint, & ad quem pertineant, dignoſcere queamus: ità eodem conſilio documenta divinitatis verbo ſuo impreſſit. In eo lineamenta cœleſtis ſapientiæ ſunt perinde conſpicua, atque ſolertia Joabi in Oratione fœminæ Tekohææ. Ut hoc argumentum à Characteribus petitum luculentum ſit, res paulò altiùs eſt repetenda. 1. In hujus vitæ theatro conſtituti ſumus, ut viâ pergamus, quâ itur ad æternam ſummi boni fruitionem. 2. Hæc via inveniri nequit abſque ductu perfectæ normæ cœlitùs revelatæ. Scintillæ humanæ menti à natura inditæ cultum ſummo numini impertiendum quadantenus oſtendunt: verùm minimè ſufficiunt ad commonſtrandum, quo pacto à ſtatu deſtituto liberemur, qualéque officium Redemptor à nobis peragendum poſtulet; priuſquam ſempi-*

ternâ

ternâ salute nos beare voluerit. 3. *Cùm hæc norma sit adeò necessaria, injurii essemus benignitati divinæ, si modò assereremus talem amussim nullibi extare. Iniquum esset vel suspicari Deum in re adeò necessaria defuisse suæ Ecclesiæ, in quam maximum beneficiorum suum unigenitum filium contulit. Qui proprio filio non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit eum, quomodo non etiam cum eo omnia dabit nobis? Et si omnia, tum rem adeò necessariam, sc. normam omnibus numeris absolutam.* 4. *Hæc norma conservanda est per Scripturam. Cùm Deo placeret non diutiùs agere cum hominibus per influxus miraculosos, nihil convenientius fuit ad normam à corruptelis conservandam, quàm ut scriptis mandaretur. Hinc Legislatores, qui inter Sapientes palmam tulerunt, edicta sua aut ære incidi, aut publicis tabulis inscribi semper curârunt. Par est, ut Deo ascribamus quod sapientiæ maximæ consentaneum est.* 5. *Nullum scriptum titulum normæ à Deo ordinatæ æquiùs potest sibi vendicare, quàm Sacra Biblia. Quantùm ad antiquitatem, efficaciam in consolandis piis, impiis terrendis, curam Dei in tutanda, constantiam Martyrum in asserenda veritate inibi inclusa, omnes libros superant. Quinetiam manifesti divinitatis characteres à Spiritu Sancto insculpti sunt Dogmatibus, Preceptis, Prædictionibus.*

Rom. 8. v. 32.

1. Dogmatibus. *Aliquot olim fuerunt, quorum notitiam Ethnici, qui humanâ sapientiâ pollebant, pro virili assequi conabantur: & tamen nusquam potuerunt votorum suorum compotes fieri. Nimirum origo labis hæreditariæ; modus quo redempta est humana natura ab hac labe; præmium, quo redempta post hanc vitam donatur. De malo ingenito magnos querelas effuderunt: verùm fons hujus*

Cæsar. com. l. 6. p. 132.

mali perinde incognitus fuit atque caput Nili. Sacrificia bestiarum, & hominum aliquoties commemorârunt: verùm de sacrificio illius, qui fuit & Deus & homo, nè hilum exprimitur. Quantùm ad statum futurum quàm spissis tenebris fuêre obvoluti dilucidum est ex novissimis Socratis verbis,

Justin. Mart. prima Co-hort. p. 33.

ἀλλὰ γὰρ ἤδη ὥρα ἀπιέναι, *&c. Jam abeundi hora mihi adest, mihi quidem ad mortem, vobis autem ad vitam. Utri nostrûm ad rem vadant meliorem, omnibus præterquam Deo ignotum est. Hæc, quæ acutissima ingenia non exquirebant, etiamsi eò suos conatus inflecterent, palàm in sacris proponuntur literis: quod indicio est, ea à Spiritu plusquam humano provenisse.*

2. Præceptis. *Quamplurimæ leges in Bibliis occurrunt pœnis gravissimis munitæ ad regendos interiores animi actus, quæ evidenter ortum suum cœlo referunt acceptum. Si ab hominibus fuerint sancitæ, vel à Morionibus vel à Sapientibus. Prima classis non potuit comminisci mandata, quæ tantum altissimæ spirant intelligentiæ: Secunda noluit leges hujusmodi cum pœnis gravissimis conscribere ad moderandas cogitationes, quarum homines non sunt idonei æstimatores.*

3. Prædictionibus. *Vaticinia Sacræ Scripturæ non reddunt Apollinis Oracula, quæ fuêre adeò ambigua, ut ad omnes eventus facilè inflecti & accommodari potuerint: Sed futura tam vivis coloribus depingunt, ac si Prophetis ante oculos obversarentur; designant enim tempus, præfiniunt locum, nominant personas; talia sæpenumerò prædicunt, quæ captum humanum multis superant parasangis. Cùm regula perfecta alicubi in Scriptis debeat extare, nihilque hujusmodi de quovis alio libro prædicari possit, par est, ut credamus Scripturam esse hanc ipsissimam regulam.*

3. Operibus

3. Operibus. *Quoniam quamplurimi in animadvertendis characteribus nimis torpidi sunt, Deo visum est eos miraculis expergefacere. Qui, ineunte Christianismo, hanc normam in publicum proponebant, miraculis, tanquam* literis fidem facientibus, *comprobabant se cœlitus delatos fuisse ad hanc provinciam ornandam. Quamplurima opera præstabant omnibus numeris absoluta, quasi jactu oculi, vel solo verbo, vel attactu, in propatulo, coram viris ad detegendam collusionem satis acutis, quæ longè vires naturæ excedebant. Minimè convenit cum veracitate divina potestatem talis edendi cuiquam concredere ad confirmandum, quod veritati non consonum est. Portenta* τῦ ἀνόμυ *appellantur* τέρατα ψεύδους, *2 Epist. ad Thess. c.2.v.9. Signa non vera, sed mendacia, miranda, non miracula. Deus nunquam sigillum suum impostoribus mutuò dat: etiamsi aliquid consimile possint confingere.*

Hactenus de Testimonio Dei. Testimonium Ecclesiæ succedit. Cùm Spiritus Sanctus in animo haberet regulam fidei literis tradere, elegit quosdam, quos peculiari gratiâ imbuere dignatus est, ne inter scribendum deciperentur; donisque præcellentibus insuper ornavit; ut toti Ecclesiæ fidem faceret se hisce viris hoc demandâsse officium. Postquam Ecclesia conferendo doctrinam cum ea, quam priùs auribus acceperat, expendendo internos divinitatis characteres, dona eximia quibus Amanuenses fuêre instructi, certior facta esset hanc regulam esse authenticam, avidis ulnis eam amplectebatur, & tanquam consummatissimam normam Ecclesiæ secuturæ commendabat. Quod testimonium continuâ successione nobis demum traditum est. Hoc videre est in Ecclesia sive Judaica, sive Christiana.

Cùm Deus Canonem Judaicum consignaturus esset, superno afflatu concitavit Ezram unà cum viris

Magni Concilii; cui tres novissimi Prophetæ interfuere, ad revolvenda Sacra Volumina, & ad rejiciendum quicquid irrepserat, quod autoritatem in Ecclesia non merebatur: in quo negotio postquam se exercuissent, divini Spiritus ductu, tandem totum volumen Veteris Canonis in 3 tomos Legem, Prophetas & ἁγιόγραφα distribuebant: qui tomi subdivisi fuere in viginti duos libros; quorum numerus non evasit auctior Apocryphorum accessione; sed immotus perstitit, & nè tantillum immutatus. Hoc testimonium veterum monumentis extat conspiciendum. 1. *Hanc provinciam fuisse Ezræ demandatam compertum habemus ex unanimi consensu Hebræorum. Eis accedunt Tertullianus in lib. de habitu muliebri, Irenæus lib.* 3. *c.* 25. *adversus Hæreses, Athanasius in Synopsi, Chrysostomus in Epistolam ad Hebræos, Hom.* 8. *Theodorus in Præf. in Cantica Sol. Augustinus lib.* 2. *de Mirabilibus Scripturæ. Hi omnes unà consentiunt Ezram sive per miraculum, sive per piam industriam sacras literas instauràsse, & in unum volumen collegisse.* 2. *Divisio in* 3 *decantatas partes calculo Capitis Ecclesiæ comprobatur, Luc. c.* 24. *v.* 44. *Tertius tomus Psalmis designatur parte nobilissimâ τῶν ἁγιογράφων, utpote quæ continet ὕμνους εἰς τὸν θεὸν, ut Josephi verbis utar.* 3. *Subdivisio in* 22 *libros perinde dilucet in priscis monumentis. Lex dividitur in* 5 *libros Gen. &c. Priores Prophetæ* 4 *numerantur, Josua, Judices, Samuel, Reges. Posteriores itidem* 4, *Esaias, Jeremias, Ezekiel, liber duodecim Phophetarum. Hagiographa novem, Psalmi, Proverbia, Job, Canticum, Ecclesiastes, Esther, Daniel, Ezra, Chronica. Hinc Samuel nuncupatur Propheta, Act.* 13. *v.* 20. *Et quod invenitur in c,* 5. *com.* 25. *Amos, dicitur scribi in libro Prophetarum, Act.* 7. *v.* 42. *Hinc Syriaca Versio ad finem Mala-*

Elias Levita, in Præf. 3. L. Mass.

Vide Pamel. in Tertull. P. 260. P. 785. P. 751.

Contra Ap. L. 1. p. 1036.

chiæ

chia adjicit hæc verba, Libri duodecim Propheta-rum finis. *Josephus facit mentionem hujus numeri in l. contra Apionem. Origenes apud Eusebium in l. 6. Eccles. Hist. c. 19. Hieronymus in prologo galeato. Epiphanius Hær. 8. contra Epicur. Cùm Talmudici computant viginti 4 libros, Ruth à libro Judicum, Threnos à Jeremia dispescunt, & inter Hagiographa reponunt.* 4. *Hic numerus non evasit auctior librorum Apocryphorum accessione: verùm immotus perstitit, inviolatúsque per omnia secula. Non diffitendum est post excessum Prophetarum Judæos Hellenistas, quibus Versio sola LXX. fuit in usu; magno æstimâsse libros, quos Apocryphos nuncupamus, & tradidisse conversis ad fidem Christi: verùm pari pietatis affectu nunquam suscepti fuêre. Plurimum fecerunt in formandis moribus, verùm instar ducum Davidis non obtinuêre nomen inter viginti duos libros, ad quos solos articuli fidei solebant expendi. Non gravatur Ecclesia eos titulo Deutero-canonicorum cohonestare: verùm in Proto-canonicorum album nequaquam cooptandos existimavit, utpote carentes Canonis propriè dicti materiâ, formâ, efficiente, fine.*

1. *Materiâ. Quicquid liber Canonicus complectitur, consonum sit oportet veritati, quod dici nequit de omnibus, quæ in libris Apocryphis continentur. In c. 5. Tob. v. 12. Raphael unus è choro cælitum apertum struit mendacium. Innuit se esse Azariam filium Ananiæ. In c. 6. v. 7. docet Tobiam ritum Magicum, sc. quomodo Diabolum de possessione dimoveat cordis & jecoris piscis fumo, & visum unguento ex felle confecto cæco restituat. In c. 9. v. 2. Jud. facinus Simeonis in enecandis Sichemitis laude ornatur, cui Spiritus sanctus nigrum calculum adjecit, Gen. 49. In cap. 15. Jud. v. 28. dicitur Judith vixisse*

annos centum quinque, & neminem Israeli terrorem incussisse hoc temporis intervallo, nec diu post mortem ejus. Quod verè dici non potest, sive heroico ejus facinori diem ascribamus paulò ante captivitatem, regnante Manasse; sive statim à captivitate. Summa venustas indicio est, illam ætatis florem attigisse, cùm ad Holophernem accederet. Nequaquam enim convenit cum antiquitatis monumentis, ut Israelitæ sub id tempus altâ pace tantisper fruerentur. In cap. 6. Bar. v. 3. prædicatum est, captivos Babylone mansuros usque ad septem generationes. Jeremias vaticinatur servitutem Babylonicam non duraturam supra septuaginta annos. In c. 8. Sapient. non obscurè innuitur, ac si opus à Solomone compositum fuisset; tamen si perpendamus crebras allusiones ad ludos Olympiacos, (uti constat ex his vocibus στεφανοφορῦσα, πομπεύει, ἄθλων, ἀγῶνα, quæ in c. 4. v. 2. occurrunt) liquebit Solomonem librum contexere non potuisse. Quandoquidem è vita demigravit circiter annos ducentos ante initium primæ Olympiadis. In Ecclesiastici c. 46. v. 20. Samuel dicitur prophetâsse postquam dormivit: cùm ex Canonica Scriptura compertum habeamus diabolum Samuelis pallio amictum vatis partes egisse. Ab autore l. 2. Mach. c. 14. Rhasis laude afficitur, propterea quòd mortem sibi consciverit. Judas Maccabæus, quòd pro defunctis propitiationem fecerit, ut à peccatis solverentur, c. 12. v. nov. In supplemento Estheræ Haman Macedonicus dicitur, qui revera Agagæus fuit. In supplemento Danielis palàm indicatur, ac si populus Judaicus Babylone Judices potestate vitæ & necis præditos habuissent: quæ res cum statu servitutis nequaquam congruit.

2. *Formâ. Non eâdem externâ formâ induuntur, atque Canon Veteris Testamenti, uti liquet ex insſe-*

ctione

ctione characterum, qui Græci sunt: Etenim vetus Testamentum literis Hebraicis perscriptum est.

3. *Efficiente. In texendo Veteri Testamento Spiritui sancto à manu fuêre Prophetæ, qui nunquam suam causantur imbecillitatem; aut in ambiguo sunt, an pensum sit probè confectum. Post excessum Prophetarum compositi fuêre libri Apocryphi à Viris, qui à lectore candorem orant, & agnoscunt se iis erroribus posse teneri, in quos alii Scriptores inducti sunt.*

4. *Fine. Canon eâ gratiâ literis mandatur, ut Ecclesiæ tradatur pro norma in omnibus, citra quorum notitiam salus æterna obtineri nequit. Libri Apocryphi nusquam in hunc modum Ecclesiæ traditi fuerunt. Si ulli Ecclesiæ, tum vel Judaicæ vel Christianæ. Si Judaicæ, quare non reperti sunt in albo Hebræorum? ubi Apostolus dicit Judæis concredita fuisse oracula Dei,* λόγια τοῦ θεοῦ, *Arabs vertit,* Verificatio Verbi Dei. *Quod innuit sacros libros Judæis ex ea re fuisse concreditos, ut de vero & germano Canone testimonium perhiberent. Josephus, Eusebius & Hieronymus computant solùm viginti duos libros, cùm memoriam referant Canonis Judaici. In hoc albo libri Apocryphi non sunt. Si regerat aliquis hosce libros fuisse oblatos, verùm insuper habitos & repudiatos à Judæis. Retorqueo, vel stetisse per ignorantiam, vel per pervicaciam, quò minùs reciperentur. Non per ignorantiam. Citra dubium est viros divinitùs excitatos ad hosce libros contexendis Judæos de officio in re tanti ponderis anxio animo admonere voluisse. Non per pervicaciam; Si Deus animo intendisset, ut hi libri Ecclesiæ pro regula infallibili traderentur, eodem Spiritu, quo exarati sunt, expugnâsset pervicaciam Hebræorum. Ubi enim ad scopum collimat, nusquam non concinnat media, quæ ad scopum contingendum conducunt. Si* ex

Hotting. Analect. p. 262.
D. Dieu in Rom.
Contra Ap. l. 1.
Euseb. l. 6. c. 18.
Hier. in Prol. galeato.

ex ulla parte in hac re à Judæis peccatum sit, in impingendo crimine non defuissent Apostoli. Novum Testamentum omnem hujusmodi culpam non solùm silentio præterit; verùm è contrà Christus ipse totum canonem ad tria capita revocat, ad quorum neutrum libri Apocryphi possunt reduci.

Cùm Apostolus notet Oracula Dei Judæis fuisse concredita, talibus utitur vocabulis, quæ eos totum Canonem amplexos fuisse declarant. ἐπιστεύθησαν τὰ λόγια. ἐπιστεύθησαν *secundùm Theophylactum,* ἀντὶ ἔλαβον, ἐνεχειρίσθησαν, *pro acceperunt, in manus sumpserunt.* τὰ λόγια, *non solummodò aliqua ex Oraculis, sed omnia. Vox indefinita perinde sonat ac universalis. Ratio plurimùm favet huic interpretationi. Nemo rem alicujus precii fidei illius mandabit, qui ad eam recipiendam non alacer & erectus est.*

2. *Libri Apocryphi traditi non sunt Ecclesiæ Christianæ. Nulla hujusmodi Ecclesia jam tum extitit, cùm primùm essent literis mandati. Si priùs scripti sint, verùm non traditi, quoad Ecclesia Christiana fuerit formata, tum traditi fuêre vel in primo, vel in aliquot è sequentibus seculis.*

Si in primo, quare in Novo Testamento, ubi universum Dei consilium recluditur, oblivione sepeliuntur? Quare Christus, ubi in mandatis dat, ut Judæi Scripturas excutiant, ad hunc novum Canonem non intendit digitum? Quare Apostoli hosce libros non tali bonore dignati sunt, qualem perbibent Arato, Epimenidi, vaticinio Enochi? Non liquet ullum ex Scriptoribus Apocryphis esse laudatum in novo Instrumento. Non diffitemur similia & cognata occurrere, uti patet, si conferamus Rom. 11. v. 34. cum Sapient. c. 7. v. 26. Verùm nè vel unus est apiculus ex quo fas sit inferre hæc indè commodatò fuisse accepta.

Non

Non in secundo. Melito Sardensis, *qui in hoc seculo operam navavit in edendo Catalogo Canonicorum Scriptorum, de his libris penitùs silet.* Euseb. Hist. l. 4. c. 25. Melito Onesimo fratri.

Non in tertio. Origenes, *qui jam tum ad idem pensum se accinxerat, commemorat solos viginti duos libros.* Libros Machabaicos *nominatim eradit ex albo Canonicorum.* In Epistola ad Julium Africanum, *quamvis certamen conserat, & militet pro veritate historiæ supplementi Danielis: tamen nunquam ei venit in mentem, id cum Oraculis Dei in eodem solio collocare.* Tertullianus, *qui eodem floruit seculo, in* Origenis *sententiam concedit. Hoc tamen inter eos interest, alter Ruth libro Judicum, Threnos Jeremiæ annectit: alter numerat Ruth & Threnos sigillatim.* Euseb. hist. l. 6. c. 19.

Non in quarto seculo, nè minimus rumor de hoc novo Canone auditus est: verùm è contrà, si consulamus Episcopos *simul congregatos in Concilio Laodiceno, vel disseminatos per totum imperium sc.* Eusebium *in Palæstina,* Athanasium *in Ægypto,* Hilarium *in Gallia,* Basilium *in Cappadocia,* Amphilochium *in Lycaonia, quibus annectamus* Cyrillum Hierosolymitanum, Epiphanium, Gregorium Nazianzenum, Ruffinum, Hieronymum; *liquebit hosce omnes, ubi se conferunt ad libros Veteris Canonis dinumerandos, vel penitùs omisisse Apocryphos, vel ex numero expunxisse. Non celandum est, aliquot è Patribus alibi, ubi citant libros Apocryphos, eos honorificis Epithetis condecorare: verùm non disparem honorem attribuunt* Pastori Hermetis, Prophetiæ Enochi. Tertullianus *Prophetiam Enochi Scripturæ titulo insignit.* Origenes *Pastorem Hermetis divinitùs inspiratum esse pronunciat. Si* Pontificii *hosce libros (atque equidem Patribus ità loquentibus) in Canonicorum matriculam referre recusant, in nullum cri-* Vid. Histor. Scholast. Can. Scrip. p. 39.

men incurrimus, si dicamus Scripta Apocrypha in Canonis tabulas non perscribenda esse, quamvis ab aliquot è Patribus eisdem elogiis cumulentur.

Cap. 3. Q. 1. de Script. *In quinto seculo satìs audacter asseritur à Jesuitis, hunc novum Canonem Ecclesiæ traditum fuisse. Qui hoc (inquit Becanus) legitimè definivit, fuit Innocentius Papa. Ejus definitionem secutus est Augustinus cum aliis Episcopis Africæ in Concilio Carthaginensi, Exuperius cum Episcopis Galliæ, Gelasius in Concilio Romano, totus denique Orbis Christianus usque ad nostra tempora.*

Resp. 1. *Innocentius suo decreto vel libros non priùs Canonicos in Canonem ascripsit, vel libros priùs Canonicos, sed ignotos Ecclesiæ Canonicos declaravit. Sive prius, sive posterius asserimus, universalis Ecclesia ante tempora Innocentii in errorem fuit inducta. Si prius, in eo erravit, quod credidit totum Canonem fuisse prioribus temporibus definitum. Athanasius seculo proximè præterito asserit de Sacris Bibliis οὐκ ἄδηλα, ἀλλὰ μᾶλλον ὡρισμένα. Si posterius, in eo fuerat decepta, quòd usque eò partem Canonis repudiâsset. Et si universalis Ecclesia hallucinetur, haud dubium, quin Innocentius in sua labi possit definitione. Papæ infallibilitas tibicine perinde tenui fulta est, ac infallibilitas Ecclesiæ.*

2. *Vel Innocentius in sua erravit definitione, vel Papa, qui autoritate non minùs eminebat, sc. Gregorius Magnus, qui nè minimum verbum in suis Scriptis de definitione Innocentii interposuit : verùm quoties Canonem commemorat, Hieronymi insistit vestigiis ; nullum præter Hebraicum agnoscit, & Machabæorum libros nominatim è numero exterminat.*

3. *Quicquid decantatum est de definitione Innocentii innititur Epistolæ ad Exuperium : & in dubio*

positum

positum est, an ulla hujusmodi Epistola fuerit literis mandata ab Innocentio. Nihil de hac re auditum est ante seculum Octavum, quo quamplurimi emerserunt, qui arte pollebant cudendi fabulas, quæ ullo modo ad augendam Ecclesiæ Romanæ dignitatem conferre potuerunt. Æquè facilè credamus solem posse duplo majorem apparere, neminémque Astronomorum notare hoc prodigium: atque ad arbitrandum inducamur tantum additamentum fieri posse ad hoc Spirituale luminare, sc. Sacrum Canonem, tacente toto orbe Christiano.

4. *Si verum sit Innocentium hanc Epistolam scripsisse, itáque definivisse, tamen dici nequit Augustinum unà cum Concilio Carthaginensi illum secutum esse. Augustinus suam aperit mentem de Canone in libris de Doctrina Christiana. Dies non perinde antiquus in literis & decreto Innocentii ascriptus est, ac in libris Augustini. Illos enim composuit priusquam dignitate Episcopali potitus fuisset. Hunc honorem assequebatur Anno 395. Innocentius Decretum suum non sancivit quoad Cathedram Papalem conscendisset. Papa non fuit ante Annum 402. Ferunt Epistolam, tribus interjectis annis, missam fuisse ad Exuperium. Quod spectat ad Concilium Carthaginense, si tertium sit, (uti Binius asserit) sequi non potuit decretum Innocentii, utpote celebratum Anno 397. antequam Innocentius Papatum obtinuerat. Si ad ullum aliud Concilium Carthaginense Becanus collimet, nequaquam vestigiis Innocentii inhæret, quippe nulli Concilio Carthaginensi præterquam tertio convenit cum Innocentio de numero librorum Canonicorum.*

5. *Si ad calculos revocemus, quicquid uspiam repertum est in Epistola ad Exuperium, in libris Augustini de doctrina Christiana, in quadragesimo septimo Canone Concilii tertii Carthaginensis, in decreto*

Gelasii,

Gelasii, nequaquam evincet novum Canonem paris ponderis cum veteri, Ecclesiæ traditum fuisse hoc quinto seculo. Ultrò fatemur libros Apocryphos quandoque Canonicos appellari; Verùm Canon respectu utriusque classis non est univocum, sed æquivocum genus. Augustinus utramque speciem hujus generis non pariter participem esse existimat; propterea, ubi libros recenset Canonicos, apertè indicat omnes in Catalogo non esse ejusdem momenti. Quod ab illo dictum, evidenter reliquos interpretatur in hoc seculo Patres. Agnovimus suprà Judæos Hellenisticos magno æstimâsse libros Apocryphos, (quamvìs apud illos nunquam tanti fuère, quanti Canonica Scriptura.) Ab illis traditi sunt Christianis. Tempore procedente, irrepserunt in idem volumen cum Bibliis Græcis, deinde in Ecclesiam, tandem in opinionem vulgi eò usque, ut Hieronymus in prologo ad Danielem asserat se subjunxisse historiam Susannæ, Canticum trium puerorum, ne videretur apud imperitos magnam partem voluminis detruncâsse. Hinc Doctores, ut populo placeant, cujus ædificationi hosce libros inservituros existimabant, eos Canonicos non dedignantur nuncupare. Verùm ne errorem alerent, hoc plerumque interserunt, sc. hunc æquivocum Canonem non esse ejusdem autoritatis cum eo, quem Deus suâ ipsius manu consignaverat. Hinc patet quomodo ad concordiam adducamus Canonem 47. Concilii tertii Carthaginensis confirmati à Sixto Oecumenico, ubi Apocryphi & Canonici libri pari passu ambulare videntur; & Canonem novissimum Concilii Laodiceni ab eodem Oecumenico stabiliti, qui commemorat viginti duos libros; verùm Apocryphos alto præterit silentio. Concilium Laodicenum strictè loquitur de Libris Proto-canonicis, qui divini Spiritûs calamo exarati sunt, & in accuratissimam fidei normam constituti. Carthaginense

nense latè, non tantùm de libris Proto-canonicis, verùm etiam de Deutero-canonicis, qui à piis aliquot viris fuêre compositi, & non inutiliter lecti in Ecclesia. Indè nomen Canonis æquivocè dicti sortiti sunt. Quod de aliquot ex Apocryphis libris pronunciat Hieronymus (sc. "Sicut ergo Judith & Tobiæ, "Maccabæorum libros legit quidem Ecclesia, sed eos "inter Canonicas Scripturas non recipit: sic & hæc "duo volumina, sc. librum Jesu filii Syrach, & So- "lomonis Sapientiam, legat ad ædificationem plebis, "non ad autoritatem Ecclesiasticorum dogmatum "confirmandam) ad quemlibet eorum potest accommodari. Ex hisce liquet libros Apocryphos non in quinto seculo pro Canone Ecclesiæ traditos fuisse. In posteris seculis nullum est vestigium hujus novi Canonis, donec ad Concilium Florentinum & Tridentinum deveniamus, quorum autoritas non tanti est, ut inducat nos ad deserendum sensum Catholicæ Ecclesiæ. Hæc omnia palàm faciunt Ecclesiam calculum adjecisse subdivisioni Veteris Testamenti in viginti duos libros, & numerum hunc additione librorum Apocryphorum non auctiorem reddidisse.

Præf. in Prov. Eccl, Cant. p. 346. 3 Tom.

Vid. Histor. Scholast. Can. Scrip. p. 186.

Hactenus testimonium Ecclesiæ protulimus de Canone Veteris Testamenti. Non secùs res ibat, cùm Canon novi veteris Canoni annectendus esset. Quemadmodum Deus priùs operam Ezræ in consignando veteri Canone usurpaverat: ità nunc ministerio Sancti Johannis utitur. Eò usque ejus protrahebat vitam, donec omnia scripta, è quibus novum constat Instrumentum, ad umbilicum fuerant ducta; ut vir Apostolico Spiritu præditus scripta adulterinæ & sublestæ fidei, quæ nonnulli Ecclesiæ, sub Apostolorum nomine, obtrudere conabantur, retegeret, & in lucem extraheret, & unà cum tota Ecclesia testimonium perhiberet de perfecta fidei norma; quam Deus ipse

in utroque Testamento conservari præstituerat. Hoc *testimonium primitivæ Ecclesiæ ab Ecclesia seculo proximè futuro receptum fuisse, tanquam fide dignissimum, & continuâ successione posteris demum traditum, dilucidum est ex veterum Dictis, Concionibus, Disputationibus, Decretis.*

P. 408. Feuard. 1. Ex *Dictis.* *Irenæus l. 4. c. 69. inquit, Scripturam esse regulam veritatis indeclinabilem. Tertullianus in lib. adversus Hermogenem appellat regulam veritatis. Sanctus Basilius in Ep. 80. ad Eustathium Medicum,* νόμον καὶ κανόνα τοῦ ὀρθοῦ λόγου, *legem & Canonem recti sermonis. Sanctus Chrysostomus, Hom. 13. in 2 Ep. ad Corint.* ἀκριβῆ ζυγὸν ἁπάντων & γνώμονα καὶ κανόνα, *exactissimam omnium trutinam, normam & regulam. Sanctus Augustinus l. 2. contra Donatistas c. 6. divinam stateram. Cyrillus l. 4. Dial. Canonem fidei rectum & perfectum.*

2. Ex *Concionibus.* *Ab Apostolorum temporibus usque ad præsens seculum in more omnium concionatorum positum fuit Textum è Bibliis desumptum ad initium Concionis proponere: & tanquam basin & amussim omnium dicendorum substernere; uti patet ex Homiliis, quas Veteres in suos Commentarios regesserunt.*

3. Ex *Disputationibus.* *Cùm veteres præliaturi essent cum Hæreticis, nunquam opinabantur veritatem esse satis munitam, nisi priùs eam testimoniis Scripturæ circumvallâssent.* εἰ δ' οὐκ ἀρκεῖ μόνον ἁπλῶς εἰπεῖν τὸ δόξαν ἀλλὰ πιστώσασθαι τὸ λεχθὲν, οὐ τὴν ἐξ ἀνθρώπων ἀναμένομεν μαρτυρίαν, τῇ τοῦ κυρίου φωνῇ πιστούμεθα τὸ ζητούμενον. *Si autem non satis est solùm absolutè dicere quod videtur, sed oportet etiam probare quod dictum est, non expectamus testimonium quod datur ex hominibus, sed voce domini probamus quod quæritur,*

quæritur, inquit Clemens Alexandrinus Strom. l. 7. δεῖ πᾶν ῥῆμα ἢ πρᾶγμα πιστοῦσθαι τῇ μαρτυρίᾳ τῆς θεοπνεύστου γραφῆς εἰς πληροφορίαν μὲν τῶν ἀγαθῶν, ἐντροπὴν δὲ τῶν πονηρῶν. Quicquid dicimus, vel facimus id testimonio divinarum literarum confirmari debet ad confirmationem bonorum, & confusionem malorum, inquit * Sanctus Basilius, Moralium regulâ 26. Hinc † Augustinus Tract. 2. in 2 Epistolam Beati Johannis rotundè pronunciat, "Contra insidiosos errores Deus "voluit ponere firmamentum in Scripturis, contra "quas nullus audet loqui, qui quoquo modo se vult "videri Christianum. Author imperfecti operis in Matthaeum ità interpretatur versum decimum sextum capitis vicesimi quarti. Tunc qui in Judaea sunt, fugiant ad Montes. Tunc cùm videritis abominationem desolationis stantem in loco sancto, i. e. cùm videritis haeresin impiam, quae est exercitus Antichristi, stantem in locis sanctis Ecclesiae, in illo tempore, qui in Judaea sunt, fugiant ad montes, i. e. qui sunt in Christianitate, conferant se ad Scripturas, &c. montes autem sunt Scripturae Christi & Apostolorum.

P. 544. Hens.

* Paris.

† Froben.

4. Ex Decretis. Scriptura est columna, cui omnia Conciliorum œcumenicorum decreta innituntur. Doctrina Concilii Nicaeni primi à Sancto Athanasio nuncupatur ὁμολογηθεῖσα πίστις κατὰ τὰς θείας γραφάς. Hinc in Concilio Ephesino & Chalcedonensi Sacrosanctus Evangelii codex regiâ sede in medio collocabatur; ut eam omnes intuerentur, imisque sensibus reponerent, nihil sententiâ decretoriâ figendum esse, praeterquam id, quod congruit cum doctrina inibi inclusâ. Si haec omnia suis momentis ponderemus, liquebit Ecclesiam Catholicam indè ab initio sacras literas pro norma consummatissima ab ipso Deo ordinatâ habuisse. Non diffitendum est autoritatem Epistolæ

In Epist. ad Epict. Severus Binius in Con. Nic. 1. p. 34.

stolæ ad Hebræos, Epist. Sancti Jacobi, secunda Sancti Petri, secundæ & tertiæ Sancti Johannis, Epistolæ Sancti Judæ, libri Apocalypseos in disquisitionem olim venisse apud privatos aliquot viros: Verùm nunquam ulli Ecclesiæ Provinciali, (quantum nobis liquet ex publicis Catechismi confessionibus, Synodorum decretis) nedum Ecclesiæ Catholicæ venit in dubium. Ruffinus asserere non veretur, Patres hæc ipsissima Scripta in Canonem conclusisse. Sanctus Hieronymus, ubi docet nec Latinos Epistolam ad Hebræos, neque Græcos Apocalypsin recepisse, aliquot ex iis, non omnes intelligit. Ille ipse Ecclesiæ Latinæ alumnus in eadem Epistola ad hunc modum loquitur. Nos utramque suscipimus non hujus temporis consuetudinem, sed veterum Scriptorum autoritatem sequentes. *Jam demùm finitum est, quod super tertia parte perfectæ regulæ dicere decreveram. Scriptura est à Deo ordinata in hunc usum. Nihil insuper requiritur ad constituendam amussim omnibus numeris absolutam, præter plenitudinem, claritatem, & ordinationem divinam.*

In Symb. Apost. Vid. Cyp. op.

Epist. ad Dardanum.

Proximè manus conseram cum iis, qui perfectionem hujus regulæ imminutum eunt. Singulas partes, quas recensuimus pro virili impugnant. 1. *Contra plenitudinem sic insurgunt.*

Obj. *Omnia creditu necessaria non continentur in sacra pagina. Ut capiamus, qui, & quot libri sacri, & canonici sint, pendemus toti à traditione Ecclesiæ.*

Resp. *Distinguendum est inter librorum canonicorum numerum, & materiam, quam libri complectuntur.* 1. *Concedimus quantùm ad numerum nos plurimùm pendere à traditione: verùm hæc traditio talis est, ut nullo modo labefactet, sed potius confirmatam det plenitudinem Scripturæ. Ità enim*

se

se habet ad libros canonicos, quemadmodum canalis ad aquam. Nihil adjicit, sed solummodò inservit iis ad nostras manus deferendis unà cum hoc testimonio, quòd in rebus salutis tam consummati, & omnibus numeris absoluti sunt, ut nullis additamentis indigeant. Tum deinde etiamsi hæc traditio non formaliter, tamen virtualiter intra Scripturæ pomœria includitur. Universalitas, quâ omnibus aliis traditionibus antecellit, suam desumpsit originem non solùm ab autoritate illorum, qui primi sacras literas ediderunt; verùm etiam ab ingenita materiæ præcellentia, quæ in singulis libris admodum luculenta est; præsertim si ipsas commissuras intento animo ponderemus. Si concedatur gratis, hanc Traditionem esse omnino extra Scripturam, non indè sequetur plenitudinem Scripturæ in necessariis ad salutem, vel minima ex parte diminui. Ecclesia non desperat de salute eorum, qui olim aliquot libros repudiârunt, quos omnes nunc dierum in album canonicorum referunt.

2. *Quantùm ad materiam, quæ sola necessariò spectat ad salutem, non pendemus à traditione. Characteres interni cœlestem hujus originem patefaciunt. Postquam Ecclesia testimonium de nominibus, & numero librorum perhibuerit, thesaurùmque ibi repositum in manus nostras tradiderit; cujus sit, ex superscriptione protinus percipimus. Imago cœlestis Numinis perinde conspicua est, atque effigies Cæsaris in Romano denario. Patres Scripturam Epistolam Creatoris ad creaturam appellant. Nuncia, quæ defert ad nos hanc Epistolam, est Ecclesia Catholica; quæ testatur se à manu ipsius Dei eam accepisse. Hoc testimonium moralem certitudinem nobis ingenerat. A recta ratione penitus abludit non tenere, quod ab omnibus ubique, & semper creditum est.*

 Verùm

Verùm ubi ipsa consuluimus signacula, nimirum miracula, quibus hæ literæ sigillatæ sunt; materiam, quæ ingenium spirat plusquam humanum, omnésque divinitatis characteres, indè confestim emergit certitudo divina. Etiamsi hæc documenta in qualibet Scripturæ parte non sint pariter manifesta: tamen si tota compages, prout ab Ecclesia Catholica nobis tradita est, intento animo expendatur, neminem latere possunt. Peritia architecti non in lapidibus seorsim sumptis, sed in artificiosis commissuris detegitur.

Obj. *Dei verbum est amussis, ad quam fides nostra est exigenda, verùm hoc non integrè & plenè scriptis mandatur. Omnia à Christo dicta totus orbis continere nequit, nedum unum volumen. Apostoli, qui prædicandi tempora aucupari solebant, plura in concionibus, quàm in Epistolis aperuerunt.*

Resp. *Libenter agnoscimus nonnulla à Christo, & Apostolis dicta fuisse tradita Ecclesiæ seculis sequentibus, non per Scripturam, sed per Oralem traditionem: Verùm non indè sequitur, quæ eo nomine à Pontificiis nobis obtruduntur, ad participationem regulæ admittenda esse. 1. Repositorium, ubi dicta illa fuêre recondita, est admodum labile. Memoria rimis scatescit. Communiter accidit, ut quæ in uno seculo gesta sunt, in proximo oblivione sepeliantur. Levicula, quæ labenti temporis flumini innatant, quandoque ad posteritatem vehuntur; cùm graviora sidant ad imum. 2. Vera ex hoc repositorio exciderunt. Citra dubium est, Apostolos intellectu cepisse omnia* δυσνόητα *Paulina, quid Spiritus sanctus voluerit per* τὸ *baptizari pro mortuis,* τὸ *habere potestatem in capite propter Angelos, & horum nodorum solutiones auditoribus suis impertivisse. Verùm super his rebus nullæ extant interpretationes Apostolicæ. 3. Falsa in locum verorum succenturiata sunt. Papias asseruit,*

ruit, se ab Apostolis didicisse, quòd Christus millennium regnaret. Clemens Alexandrinus, Sanctum Paulum dicere solitum esse, Cui in animo est Christum scire, Sibyllas consulat. Apud eundem ex Apostolicarum traditionum numero est, Christum unum tantummodo annum concionatoris munus præstitisse. Apud Irenæum, Christum quinquaginta annos vixisse, & ex his viginti in opere Evangelii suas impendisse vires. Huic astutiæ obtrudendi Ecclesiæ privata commenta sub Apostolorum nomine dies admodum antiquus ascribendus est. Origenes innuit Doctores misisse Epistolam ad Thessalonicenses, & Sancti Pauli nomen subjecisse: quod præbuit ansam hujus Dehortationis, Ne citò à mente dimoveamini, neque terreamini, neque per Spiritum, neque per Sermonem, neque per Epistolam, tanquam per nos scriptam, 2 *Epist. ad Thess.* c. 2. v. 2. 4. *Regulæ, quarum ope vera à falsis dignosci perhibentur, fallaces sunt. Bellarminus numerat quinque.*

Adver. Hær. l. 2. p. 192. Feuard.

Reg. 1. *Quando universa Ecclesia aliquid tanquam fidei dogma amplectitur, quod non invenitur in divinis literis, necesse est dicere ex Apostolorum traditione id haberi.*

Resp. *Hæc regula nulli inservit usui.* 1. *Nemo poterit sermonem conferre cum universa Ecclesia: siquidem per totum orbem disseminata est. Quisque ex hac communitate consulendus est, priusquam mens universæ innotuerit.* 2. *Illi qui in universæ Ecclesiæ consuetudinem se maxime immerserunt, evincere nequeunt eam vel unum dogma pro articulo fidei habere, quod sacro volumine non includitur.* 3. *Si aliquod hujusmodi amplecteretur, non indè constaret id originem suam ab Apostolis derivâsse. Quamvis universa Ecclesia in necessariis labi non possit, tamen circa alia disparis momenti hallucinatur.*

Reg. 2. *Quando Universa Ecclesia aliquid servat, quod nemo constituere potuit, nisi Deus, quod tamen nusquam invenitur scriptum, necesse est dicere ab ipso Christo & Apostolis ejus traditum.*

Resp. *Hæc regula propemodum cum priori coincidit, eodémque ariete pulsatur. Discrimen in hoc unicè situm est, hæc loquitur de agendis, illa de credendis.*

Reg. 3. *Id quod in Ecclesia universa & omnibus retrò temporibus servatum est, meritò ab Apostolis creditur institutum; etiamsi illud tale sit, ut potuerit ab Ecclesia institui.*

Resp. *Hæc regula est veritati consona. Quicquid omnibus retrò seculis invaluit, venit in usum primo seculo, quo Christus & Apostoli vixerunt: & si jam tum & ab illis servatum fuerit, divinâ Apostolicâque autoritate signabatur: Verùm nequaquam attingit scopum, in quem dirigitur. Minimè inservit secernendis veris traditionibus à falsis. Nemo usque adhuc assignavit aliquid semper, ubique ab omnibus servatum, quod non αὐτολεξεὶ in sacra pagina reperitur; vel saltem consequentiis non invitis indè elici non queat.*

Reg. 4. *Cùm omnes Doctores Ecclesiæ communi consensu docent aliquid ex Apostolica traditione descendere, sive in generali Concilio congregati, sive scribentes seorsim in libris, illud credendum est Apostolicam esse traditionem.*

Resp. *Hæc regula est ejusdem commatis cum prioribus. Doctores in Concilio Nicæno secundo asseruêre cultum imaginum esse ex traditione Apostolica. Quod decretum ex diametro adversum est Canoni Concilii non imparis momenti, omnibúsque primitivæ antiquitatis monumentis. Altera pars regulæ ad praxin rereduci nequit. Scripta quamplurimorum Doctorum inter-*

interciderunt. Quapropter non est penès nos ea versare, & revolvere. Quantùm ad opera eorum, quæ reliqua sunt, Bellarminus desperat de exemplo in sasacris literis non reperto, super quo convenit inter omnes.

Reg. 5. *Id sine dubio credendum est ex traditione Apostolica descendere, quod pro tali habetur in illis Ecclesiis, ubi est integra & continuata successio ab Apostolis.*

Resp. *Hæc regula perinde fallit atque superiores. Successio continuata gemina est, vel doctrinalis, vel personalis. Si Bellarminus ad doctrinalem collimat, incassùm agit. Perindè est ac si affirmaret, id habendum esse pro Apostolica traditione, quod ità esse perhibetur in Sanctis Ecclesiis, quæ, quantùm ad Doctrinam, Apostolorum inhærent vestigiis. Si personalem, regula est falsa. Personalis successio eò loci esse potest, ubi doctrinalis desideratur. Integram successionem Græcæ Ecclesiæ concedit Bellarminus, quam Hæreticam pronunciare non reformidat. Si hæc 4, sc. repositorium esse admodùm labile, vera ab eo excidisse, falsa esse suffecta, regulas, quibus vera à falsis secernenda sunt, esse fallaces, suis momentis ponderemus; liquebit ea, quæ Christi & Apostolorum dicta perhibentur, verùm non reperta sunt in Sacris Bibliis, nequaquam in participationem regulæ accersenda esse.* 2. *Ponamus aliqua commonstrari posse, sive dicta, sive facta Christi & Apostolorum, quæ in Scriptura non complexa sunt: nullo modo plenitudinem labefactarent Sacri Voluminis in iis, quæ spectant necessariò ad salutem. Firmiter enim tenemus omnia tanti ponderis à Christo & Apostolis prolata, in nostris Bibliis extare conspicienda, uti suprà demonstratum est. Dum dimicamus adversùs traditiones non scriptas, memoriâ recolendum est, traditionem, quæ libros*

Canonicos ad nos defert, indè nihil pati incommodi. 1. Quippe nihil adjicit ad Scripturam. 2. In ipsa Scriptura virtualiter continetur. 3. Est omnium traditionum universalissima. 4. In causa est, quare reliquas repudiemus. Sacra volumina ad manus nostras defert unà cum hoc testimonio, quòd tam absoluta & plena sunt, ut traditionum non scriptarum auxilio non indigeant. Cùm hæc traditio reliquas omnes sub Scripturæ pedibus subjecerit, palàm est eam excipi, quæ subjecit omnia.

H. Thornd. *A Plenitudine ad Claritatem progredior. Hæc fortiter à Viro Doctissimo impetita est in* Epilog. *ad Tragœdiam* Eccles. *Ang. c. 5. lib. 1. Rationibus, quæ induxerunt Reverendum Authorem in hanc Sententiam, occurrere conabor. Volumen Sacrum in tria dispescit membra, Legem,* Evangelium, *& Scripta Apostolorum; suósq; inflectit conatus ad evincendum hasce partes sigillatim, & sejunctim sumptas non esse cuiquam perspicuas in omnibus, quæ spectant ad salutem. Priusquam ad argumenta accedo, duo præmittenda sunt. 1. Vir Doctissimus struit fallaciam divisionis. Quæstio ità instituatur oportet: Utrùm totum systema Sacrarum literarum collectivè sumptum sit perspicuum. Si probatum daret, aliqualem obscuritatem competere singulis partibus seorsim consideratis, non indè sequetur, quin omnes conjunctim positæ præfulgidam lucem exhibeant. Supponamus tria lumina seorsim in tribus tricliniis subobscuram lucem fundentia. Si hæc omnia in idem triclinium simul inducta fuerint, lux languida priùs, jam serena & corusca evadet. 2. Cùm asserat Scripturam non esse claram cuivis intellectui: notandum est, quòd nihil in hoc sensu clarum dici potest. Lux meridiana luscioso oculo non est perspicua. Luculentissima scripta, si ab homine præjudiciis occæcato consulantur,*

tenebris

tenebris obducta sunt. Sufficit, si modò sacra Volumina sint illi clara, qui suum deponit præjudicium, seque ex animo accingit ad usum mediorum, quæ Deus ad investigandum Scripturæ sensum instituit. Claritas duo denotat, aptitudinem in objecto, ut percipiatur; vel vires in facultate ad objectum percipiendum. Cùm asserimus Scripturam esse claram, non loquimur de claritate in facultate, sed objecto. Volumus sacras literas quoad voces, stilum & methodum ità formatas esse, ut in se satìs aptæ sint à quovis intelligi, qui facultate ritè dispositâ instruitur. Hisce prælibatis, accedo ad argumenta, quibus claritatem legis, h. e. Veteris Testamenti labefactare conatur.

1. *Vetus Testamentum exhibet tantùm figuram & umbram novi.* Ex *Dei consilio novum veteri velatum est.*

2. *Si Doctrina Christiana clarè tradita sit Veteri Test. nulli usui inserviebant Miracula Domini & Apostolorum, quantùm ad veritatis patefactionem.*

3. *Discipulis specialis gratia fuit indulta ad intelligendas Scripturas, h. e. Vet. Test. verùm id perspicuum dici non potest, quod intelligi nequit citra miraculosam divini Spiritûs operationem.*

4. *Nonnulla ex Veteri Testamento desumpta, quæ Dominus noster Christus & Apostoli in novo Allegorice interpretati sunt, hanc obscuritatem palàm denunciant.*

Ad 1. *Resp. Ultrò concedimus Vetus Testamentum esse umbram novi; verùm non in omnibus. Quamvìs, quæ spectant ad salutem, aliquoties typis & umbris obducta sunt; (Quemadmodum Christus infans fasciis involutus est:) tamen non ità est per totum volumen. Pingitur radiis solaribus, esse Deum, hominem in statu innocentiæ fuisse conditum, per peccatum ab hoc statu excidisse, Messiam venturum*

rum ad dirimendam litem inter Deum & hominem lapsum, propitiationem passionibus peragendam esse, illum solum, qui agnoscit Messiam, & in illum credit, absolutum iri à reatu peccati. Quamvis umbræ alibi occurrant: tamen non adeò densæ sunt, quin sub iis mens divina facilè percipiatur. Aliquoties in umbra meliùs videmus, quàm aperto sole. Lux medioeris lippo & tenero oculo magis grata est, quàm jubar solare. Ex *Chaldaica Paraphrasi, librísque qui compositi fuêre post excessum prophetarum, & ante introitum Messiæ, compertum habemus, nonnullos ex lectione Veteris Testamenti Mysteriorum Christianæ Religionis scientissimos evasisse.*

Ad 2. *Resp. Positâ claritate, quam propugnamus, non indè sequitur miracula Christi edita ad illustrandam doctrinæ veritatem fuisse superflua.* Evidentia *duplex est, vel objectiva, vel subjectiva.* Etiamsi *veritas doctrinæ habuit evidentiam objectivam in veteri Testamento, tamen caruit subjectivâ in mente illorum, quibus oblata est. Hac de causa Christus in colloquio cum duobus discipulis, Luc.* 24. 25, 26, 27. *Mosem & Prophetas non obscuritatis crimine obterit: verùm ipsos discipulos dementiæ & socordiæ insimulat. Miracula inserviunt animæ expergefaciendæ, removendæ huic socordiæ, & ingenerandæ subjectivæ evidentiæ, ubi objectiva non desideratur.*

Ad 3. *Resp. Intelligentia doctrinæ Christianæ in Veteri Testamento est vel externa & speculativa, vel interna & practica. Ad primam assequendam non opus est supernaturali Divini Spiritûs influxu. (Dæmones, quos Deus nunquam hâc speciali gratiâ dignatus est, credunt & contremiscunt.) Ad secundam opus est pariter hisce temporibus atque olim Apostolicis. Nemo citra specialem gratiam salvificâ Scripturæ notitiâ potitur. Hæc gratia Vetus Testamentum*

mentum obscuritatis non arguit. Quandoquidem hoc sensu luculentissima linea sive in novo, sive in veteri Testamento absque ea nequit intelligi.

Ad 4. *Resp.* Ex *Allegoricis interpretationibus hoc solummodo infertur, loca Veteris Instrumenti, quæ Christus & Apostoli ad eum modum interpretantur, esse caligine offusa; non reliqua omnia.* Nemo, *quod scio, asserit salutis doctrinam in unoquoque textu Veteris Testamenti esse retectam. In locis maximè tenebris obductis fateatur oportet Vir Doctissimus, hoc palàm fieri, sc. Deum tunc temporis fidem non pariter claram & distinctam postulâsse, atque sub novo expectat. Omnia fuêre clara eodem gradu, quo creditu necessaria.*

A Lege *progreditur ad* Evangelium. *Hoc non est clarum; quippe Christus veritatem & summam Religionis Christianæ usquequaque & ubique palàm declarare, in animum non induxit.*

Resp. Quamvìs Christo non placuerit passim liberè eloqui: tamen sufficit si quandoque hoc faciat. Sanctus Marcus *dicit illum privatim discipulis suis explicuisse omnia, c.* 4. *v.* 34. *Christus ipse, Quicquid audivi à Patre, notum feci vobis, Johan.* 15. *v.* 15. Memoriâ *recolendum est,* Evangelium *literis traditum fuisse post descensum Spiritûs Sancti, cùm salutis doctrina liquidissimè prædicaretur.* E *Chronologia compertum est; Sanctum* Matthæum *librum suum texuisse anno nono post Salvatoris nostri ascensum,* Marcum *anno decimo, sive undecimo,* Lucam *anno decimo quinto, Sanctum Johannem annum circiter tricesimum secundum. Cùm hi sancti viri omnia penitùs assecuti fuissent, priusquam se ad scribendum accingerent: Spiritus Zeli, quo incitati fuerunt ad propagandam impertiendámque Christi notitiam, nos certissimos facit, eos tam defæcato penicillo*

cillo, támque vivis coloribus doctrinam operáque Christi pinxisse; ut indè totum Dei consilium facilè edoceamur. Nullâ Christi lege cavetur, ne eloquerentur, quæ explorata habuerant de mysteriis Christianæ Religionis. Interdictum non excurrit in id tempus, quo Evangelium scriptis fuit mandatum.

Ab Evangelio pergit Vir D. ad Scripta Apostolorum. Hæc perspicua non sunt, propterea quòd Apostoli obiter tantùm tractant, quæ spectant ad salutem æternam, non eâ gratiâ conferentes se ad scribendum, ut pandant summa Religionis Capita, utpote non ignari, Ecclesias, ad quas suas miserunt Epistolas, elementa Christianæ fidei jam antè edoctas fuisse.

Resp. Non ingratiis fatemur errores nonnullos, qui grassabantur in Ecclesia, Apostolis ansam præbuisse formandi suas Epistolas: Verùm non indè sequitur summa Religionis Capita obiter tantùm inibi tractata esse. Dum in redarguendis erroribus versantur, speciali ducti sunt providentiâ, summam Religionis Christianæ palàm proponere; ut non solùm curvæ lineæ, quas Hæretici duxerunt, ad hanc rectam emendentur: verùm etiam ut Ecclesiæ seculis omnibus usque ad mundi periodum accuratissima regula suppetat. Hac de causa doctrina in Epistola ad Galatas complexa κανὼν *nominatur. Spiritus Sanctus pronunciat, pacem super eos esse futuram, qui juxta hanc normam incedunt. Hinc summa in Ecclesia super hac re emersit concordia ex temporibus Apostolicis. Mirum est V. D. se inducere potuisse ad repudiandum tam evidentem traditionem, qui passim in tutelam traditionis vires suas impendit. Nullus fidei articulus magìs eminet, & altiùs caput suum exerit in Ecclesiæ monumentis.*

Argumentum, quo agmen claudit, petitum est ab inter-

intervallo temporis inter ævum, quo sacra volumina fuerunt literis mandata, & præsens seculum. Ex rerum & morum mutatione secùs accidere nequit, quin obscura evaserint.

Resp. 1. *Hæc ratio perinde militat adversùs perspicuitatem doctrinæ ore atque scriptis traditæ. Non minùs absumus ab ævo, in quo fides Christiana primùm ore tradita fuit, quàm à seculo, in quo literis fuit mandata.*

2. *Subruit pariter claritatem monumentorum antiquæ Ecclesiæ, sive Patrum, sive Conciliorum. Ab illo tempore nova tum loquendi, tum scribendi consuetudo invaluit.*

3. *Si perspicuitatem Epitomæ fidei, & monumentorum Veteris Ecclesiæ, oppugnet; ab imis revellit radicibus fidei certitudinem, & Scepticismo latam aperit fenestram. Si Ethnicus inter certamina, quibus vexatur præsens Ecclesia, cupidus esset assequendi notitiam doctrinæ Apostolicæ; quâ viâ illi pergendum est, ut voti compos evadat? Non consulenda est sacra pagina, utpote obscura, & ad tenebras damnata: non confugiendum ad Epitomen fidei traditam ante Scripturam, nec ad veterum monumenta; eodem enim laborant morbo. Si consulat (uti suggerit V. D.) sensibilem professionem, & praxin Ecclesiæ, tum vel præsentis, vel antiquæ. Si præsentis, tum totius, vel alicujus partis; non totius, quia inter omnia membra nondum convenit. Et absonum est rationi, ad arbitrium partis stare; ubi quælibet pars est vel Actor, vel Reus; quorum neutri munus judicis est deferendum. Si antiquæ, unde mens illius innotescat, nisi ex reliquiis, quæ veterum monumentis extant conspiciendæ? Si autem hæc monumenta præ temporis intervallo occulta & involuta sint, Ethnicus ad instar Sodomitarum se incassùm defatiget, dum ostium, ubi*

ubi cœlestis veritas hospitio accepta est, invenire conatur.

4. *Quamvis præ temporis intervallo hominum scripta tandem obscura evadant; tamen longè secus est cum libro Dei. Homines librum nequeunt contexere, qui luculentus perstabit seculis futuris; propterea quòd ab illis prænosci non potest, quas mutationes, quantùm ad modum loquendi, varii mores introducturi sint. Verùm Deus, utpote præditus consummatissimâ futurorum scientiâ, stylum suum ad genium & gustum cujuslibet seculi potest accommodare. Hujusce rei insigne exemplum occurrit in Cœna Domini, cùm* Christus *panem distribuat, tantùm dicit, Accipite, & comedite; cùm poculum ministret, præscius controversiarum de vino, adjicit, Bibite ex eo omnes.*

5. *Quamvìs temporis intervallum sacra volumina in aliquibus reddat intricata, (nonnulla in lege haud probè intellectu consequemur citra notitiam morum Zabiorum, in prophetis absque historia Maccabæorum, in Evangelio sine traditionibus Talmudicis, in Epistolis Apostolicis, nisi Gnosticorum dogmata percipiamus,) tamen Deo placitum est pro misericordia, quâ pollet, infinitâ, ea, quæ spectant ad singulorum salutem, tam dilucidè proponere sine ratione consuetudinum istius ævi, quo singuli libri fuerint compositi; ut ab intellectu mediocri facilè investigentur. Hujusmodi fidei articuli sunt nobis perinde clari atque iis, qui temporibus Apostolicis vixerunt. Instar Planetæ Jovis nudo oculo conspici possunt: quamvis alii, qui circumstant, instar Stellarum Mediceearum, quæ circa Jovem faciunt circuitum, sine Telescopii subsidio detegi nequeant. Qui Deum votis solicitat, ut librum aperire dignetur, circumstantias cujusque loci animo revolvit, obscuriora confert cum apertioribus,*

bus, in veritatem primæ magnitudinis oculorum defigit aciem, constanter repudiat quicquid, post diligentissimum scrutinium adversum videatur, avidè complectitur, quod non invitis consequentiis indè elicitur; intervallum temporis ei in mora non erit, quò minùs intellectu consequatur, quicquid insolubili vinculo saluti annectitur. Graves querelas ultrò citróque jactamus de Scripturæ obscuritate ad morem fatuæ mulierculæ apud Senecam, quæ cùm oculis capta esset, in ipsum meridiem crimen caliginis trajicere non dubitabat. Controversiæ non ex tenebris Scripturæ; verùm ex animo privatis rationibus inclinato & occæcato emergunt. Sectæ ex intellectu præjudiciis putrefacto nascuntur: quemadmodum insecta ex putri materia. Qui prudentiam Serpentis imitatur in evomendo veneno, priusquam sacros fontes delibaverit, & innocentiam columbæ in ducenda vita ad normam eorum, quæ indè edoctus est, promptus aditus ad capessendam æternam gloriam illum non diu latebit. Jam demum Scripturæ claritatem in rebus salutis asseruimus ab objectionibus V. D. Utinam id temporis, quod in expugnanda Bibliorum sacrorum perspicuitate absumpsit, fugandis tenebris è suis ipsius scriptis fuisset dicatum.

A claritate pergo ad ordinationem divinam. Hanc variis modis oppugnatum eunt adversarii.

Obj. 1. *Deus ante Scripturam datam nobis regulam prospexit, sc. doctrinam ore traditam, quæ obscurè tantùm sacris Bibliis comprehenditur, verùm clarè alibi conspicienda est.*

Resp. *Sententia V. D. qui studia inflexit sua, ut hoc ariete sacras pulset literas, ad 4 capita revocari potest. 1. Scriptura supponit regulam & compendium Religionis. 2. Quicquid continetur in hac regula obscurè tantùm in Scriptura exprimitur.* H. Thornd.

3. Con-

3. *Consulere hanc antecedentem regulam, & juxta eam interpretationi Scripturæ terminos figere est via maximè compendiosa ad laxandas tenebras, & ad assequendum sensum genuinum.* 4. *Hæc regula invenienda est in Ecclesiæ monumentis. Qui hac methodo procedit, circuitione hâc utatur necesse est. Primò oportet monumenta Ecclesiæ, h. e. Patres & Concilia consulere: tum indè eruere sensum Catholicæ Ecclesiæ in eo seculo, ubi monumenta fuêre composita: indè demum traditionem Christi & Apostolorum in primo seculo. Cum hac divina virgula in manu ad sacras fodinas accedere tenetur, ut effodiat cœlestis thesauri cubilia.* 1. *Libenter asserimus doctrinam Christi & Apostolorum esse in se regulam infallibilem.* 2. *Hanc doctrinam non esse quoad nos infallibilem normam, nisi quatenus in sacris literis continetur.* 3. *Methodum, quam V. D. nos edocet ad investigandam alibi hanc regulam, ineluctabili incommodo affici.* 1. *Quantùm ad usum, aliquibus impossibilis est.* 2. *Omnibus difficilis.* 3. *Nemini infallibiliter certa.*

Vid. Epilog. ad Trag. l. 1. c. 31. p. 202.

1. Aliquibus impossibilis est. *Nemo potest commodum indè decerpere, nisi priùs revolvat monumenta antiquitatis: quod pensum nè millesima pars eorum, qui accersuntur ad insistendum Christi vestigiis, valet absolvere. Quamplurimi sunt, quorum munia Secularia, ad quæ peragenda à Deo ipso designantur, eum tam operoso scrutinio in concordiam adduci nequeunt.*

2. Omnibus difficilis. *Hæc methodus nihil compendii allatura est hominibus literis imbutis, donec didicerint, quæ scripta sint authentica, & quæ sublestæ fidei. Utì res est, hoc opus non est minimi molimenti. Nullum nobis occurrit seculum sine Lemuribus, qui legitimam Patrum progeniem clàm surripuer-*

surripuerunt, & eodem loci vestigiò monstra sua deformia non dubitârunt supponere. Si hunc superent scopulum, non minus difficultatis in assequendo germano sensu experientur. V. D. asserit fieri non posse, ut sine adminiculo traditionis, sacrarum literarum sensus pateat. 1. Propterea quòd autori non fuit in animo omnia luculenter tradere. 2. Quippe nonnulla ibidem obiter tantùm tractata sunt. 3. Quia longè distamus ab ævo, quo composita fuêre. Hæc omnia æquè militant adversùs monumenta Ecclesiæ. Patres non usque liberè pandunt religionis mysteria, verùm de industria & consultò quandoque abscondunt. Hoc aperto ore profitentur: τὰ μὲν ἑκὼν παραπέμπομαι, ἐκλέγων ἐπιστημόνως, φοβούμενος γράφειν ἃ καὶ λέγειν ἐφυλαξάμην, *Nonnulla quidem consultò prætermitto, timens scribere, quæ etiam cavi dicere, inquit Clemens Alexandrinus. Idem innuit Origenes* ἀποκρύπτομεν καὶ παρασιωπῶμεν τὰ βαθύτερα, *Celamus & silentio præterimus sensus profundiores. Scopus, ad quem collineârunt, utplurimùm, aliò spectat. De controversiis hodiernis statuere non potuerunt, quas ne famâ & auditione acceperant. Hinc Arrius eò insolentiæ processit, ut ad priora secula provocare non erubesceret; & Pelagius jactitare solitus est, ac si antiquitas ejus favisset errori. Id damni, quod patimur in interpretandis sacris literis ex intervallo temporis, in enodando quoque scriptore antiquo pariter subimus.*

Strom l. 1. p. 202.

L. cont. Celsum, p. 143.

Si fortè alicui accidat sensum assequi, nondum res ad umbilicum perducta est. Oportet ulteriùs quærere, an eadem mens sit Ecclesiæ Catholicæ. Ecclesia in duas classes diducitur; quarum altera se ad scribendum accingit, altera non. Quæ libros non contexuit, altera longè frequentior est in quovis seculo. Quâ arte fas sit expiscari mentem illorum, qui nihil scriptis mandârunt, ex operibus eorum, qui scripserunt; præ-

fertim in tribus primis seculis, ubi scripta perpauca sunt, & Oecumenica Concilia nulla?

3. Nemini infallibiliter certa. *Si quis adminiculo monumenti assequeretur mentem Catholica Ecclesiæ in uno vel altero seculo, unde exploratum habeat Christum & Apostolos idem sensisse & docuisse in primo seculo? Hæc propositio [Quicquid Ecclesia tenet in uno vel altero seculo, convenit cum doctrina Christi & Apostolorum] non est vera. Si vera sit, tum vel contingens, vel necessaria. Si contingens, potest esse falsa, & deinceps certitudo de ea comparari nequit. Si necessaria, non deforent aliquot è gradibus necessitatis. Non est in primo gradu necessaria; quippe nonnulla ab Ecclesia Catholica olim accepta, jam explosa sunt. Apud antiquos creditum fuit Christum Millennium in terris regnaturum, Eucharistiam infantibus concedendam, regnum cœlorum ante diem novissimum non apertum iri. Si hæc propositio primo gradu necessitatis indigeat, tum secundo & tertio. Duo ultimi primum comprehendunt. Si quis regerat propositionem ad ea, quæ necessariò spectant ad salutem, restringi debere; atque ità non solùm in primo verùm etiam in secundo gradu necessaria est, (prædicatum enim in definitione Subjecti includitur: Ecclesia est Cœtus hominum, qui omnia à Christo & Apostolis tradita tanquam necessaria ad salutem, fide amplectitur.) Resp. Hæc propositio bis limitibus circumscripta, duplici sensu accipi potest. 1. Quicquid universalis Ecclesia tenet in uno vel altero seculo in rebus ad salutem necessariis, à Christo & Apostolis traditum fuit. 2. Quicquid Ecclesia tenet tanquam ad salutem necessarium, pro parte ejusdem traditionis numerandum est. Si primo, nequicquam agitur. Nihil toti attribuitur Ecclesiæ, quod cuivis fideli non competit. Quicquid minimus ex discipulis Christi*

tenet

tenet in rebus ad salutem necessariis, est pars Apostolicæ traditionis. Nemo in albo fidelium nomen meretur, qui eatenus non credit. Quinetiam tantùm absumus ab infallibili regulâ, quantùm priùs. Quamvis quælibet veri nominis Ecclesia teneat omnia ad salutem necessaria, tamen alia quamplurima amplectitur, in quibus hallucinari possit, & errore teneri. Cùm omnia sive vera, sive falsa in gremio Ecclesiæ jaceant remista; quo pacto, qui Ecclesiam consulit, vera à falsis poterit secernere, nisi regulâ infallibili priùs instructus fuerit? Si Propositio in altero sensu sumatur, veritati dissona est. Quamvis vera Ecclesia nunquam cæspitet in re ad salutem necessariâ; tamen per errorem inducatur ad propagandum dogma tanquam necessarium ad salutem, quod revera necessarium non est. Talis error fundamentum fidei non subruit. Quapropter per promissum non stat, quo minùs Ecclesia in eum incidat. Passim olim credebatur Eucharistiam necessariam esse ad salutem tam puerorum, quàm adultorum; ea de causa ab ineunte ætate protinùs post baptismum cœnæ Dominicæ participes fieri solebant. Hæc evincunt, quòd nobis non innitendum est doctrinæ ore traditæ, tanquam regulæ regulanti, nisi quatenus in Scriptura continetur.

Quantum auguror, V. D. cujus excussimus opinionem, majori longè rationis prætextu sententiæ, quam hîc propositurus sum, accedere potuisset. Sacræ Literæ in omnibus ad salutem necessariò spectantibus claræ sunt. Ex locis maximè claris colligendum est fidei compendium. Nobis hoc compendio munitis accedendum est ad loca obscura, ut ejus ope sensus genuinus eruatur. Interpretationes huic repugnantes compendio illicò citra ulteriorem disquisitionem rejiciendæ sunt. Si autem plures occurrant quarum nulla ei adversatur; ut sciamus, quæ earum sit præ-

 ferenda,

ferendæ, voces pensitandæ sunt : Quæ textum comitantur, expendenda : Quæ alibi extant similia comparanda : Patrum scripta consulenda. Si verò ob rationes modò prolatas dubitatum sit de Patrum mente, consultissimè faciet, qui illos eo acceperit sensu, qui cum Ecclesiæ nostræ doctrina maximè congruit. Profitetur enim Ecclesia se doctrinam sequi V. & N. L. Can. an. 1572. *Testamenti, quódque ex illa doctrina Catholici Patres & Veteres Episcopi collegerint. In dubiis cuique tutius est Ecclesiæ vestigiis insistere, quàm suo privato judicio confidere. Absonum est arbitrari, unum oculum plus videre posse, quàm clarissima Ecclesiæ lumina. Eis quæ perspicua sunt in Sacris literis, adhærendum est, sive tacuerit, sive aliter locuta fuerit Ecclesia. Quæ enim suâ patent luce, Interpretem non desiderant. Verùm in obscuris non temerè deserenda est Ecclesiæ interpretatio. Si judicium nostrum illi conforme reddere nequeamus illius judicio ; (penes enim neminem est ad libitum de mente sua desistere) tamen fides (utpote in re obscura, ad salutem non necessaria, ideóque non tanti momenti, quanti sit pax Ecclesiæ) apud nosmetipsos retinenda est ; ne declaratione intempestivâ Communitatem in partes scindamus. Inter omnes convenit, tuendam esse Ecclesiæ concordiam : verùm non pariter convenit in quam sententiam, re dubiâ, propendendum sit. Itaque longè satius est opinionis nostræ declarationem supprimere, de cujus veritate tantopere dubitatur ; quàm divulgando eam Ecclesiæ concordiam in discrimen adducere, cujus conservatio pro officio omnibus incumbere passim habetur.*

Obj. 2. *Non minima pars Scripturæ fortuitò nata est. Evangelistæ & Apostoli inopinatis quibusdam occasionibus ad scribendum fuerunt inducti, & obiter tantùm notant quæ spectant ad salutem.*

Resp.

Reſp. *Providentia divina ad minimum pertingit apiculum in ſacris literis. Etiamſi aliqui ex Amanuenſibus fuerint ad ſcribendum inducti hæreſibus, quæ quaſi ex improviſo emergebant, (ferunt enim Sanctum Johannem Evangelium ſuum ſcripſiſſe, ut redargueret hereſin Ebionitarum, & Apoſtolos ſuas Epiſtolas, ut errores Gnoſticorum diluerent :) tamen firmiter tenemus ſupremum Numen, cui nihil accidit inopinatum, hoſce Sanctos viros ità direxiſſe, ut errores ſimul retunderent, qui tunc temporis graſſari cœperunt, atque etiam totam ſalutis doctrinam literis conſignarent in conſummatiſſimam regulam uſque ad diem noviſſimum; ne Eccleſia quandoque decederet de via, quæ ducit ad vitam æternam. Talis regula eſt optimum munimentum adversùs hæreſes tum præſentes, tum futuras.*

Obj. 3. *Si Deus in animo habuiſſet perfectam amuſſim ſcriptis mandare, Catechiſmum, aut Syſtema componere voluiſſet juxta methodum artis.*

Reſp. *Nimiam redolet audaciam Deum ad methodum aſtringere, quam humana excogitavit induſtria.* οὐ χρὴ δὲ τοῖς ὑμετέροις ἐνθυμήμασι μετρεῖν τοῦ θεοῦ τὰ ἔργα. Author Chriſtian. ad Græc. Qu.p.212. *Ferunt regem Perſicum tentâſſe, an mare compedibus vinciret : Non minùs temerarium eſt moliri, ut immenſum perfectionis Oceanum in vincula noſtra conjiciamus. In componenda ſacra Scriptura declinavit Deus à communi regula, quæ poſtulat, ut homogenea ſimul tractemus; & veritatem, quæ intimè æternam reſpicit ſalutem, paſſim per totum volumen diſſeminavit. Ex hac methodo geminum emergit commodum.* 1. *Omnis molimina ad falſandam veritatem illicò deteguntur. Confeſtim liquet, utrùm pecunia acciſa ſit, ſi cum nummis conferatur ab eodem monetario ſignatis.* 2. *Si falſarii eraderent aut delerent veritatem in uno loco, nihilo ſeciùs in aliis*

uberrimè conservaretur. Quemadmodum Jacob in duas acies greges distribuebat, ut si Esau alteram invaderet, altera elaberetur salva: ità Deus eodem consilio fidei articulos undique versùs per sacras dispersit literas.

Obj. 4. *Cum decreto ordinandi Scripturam in regulam, minimè congruit providentia divina, quæ permisit, 1. Veterem Hebraicum Characterem in desuetudinem venire, & novum sc. Chaldaicum esse suffectum. 2. Ipsum Textum Hebraicum quandoque luxari, & aliquoties intercidere; utì patet ex Psalmis Alphabeticis. 3. Masorethas Tiberienses circa annum Domini quingentesimum, sensum totius Veteris Testamenti punctatione suâ depravare. 4. Tot varias lectiones in utrumque Testamentum irrepere, ut textus genuinus haud ferme internosci queat. 5. Textûs dignitatem authoritatémque quamplurimis obteri antilogiis. 6. Ipsa Autographa perire; adeò ut infallibiliter certi esse nequeamus, an cum eis nostra Apographa concordent. Si sacræ literæ essent à Deo in normam constitutæ, providentia divina earum patrocinium suscipere, & ab hujusmodi injuriis munire non recusâsset. Hæc objectio in 6 partes dispescitur, quarum singulis occurrendum est.*

Ad primam resp. veterem Hebraicum characterem non permisit providentia divina in desuetudinem venire. Hodiernus character est vetus Hebraicus. Certamina inter viros clarissimos nos ab omni culpa reddent immunes, si illicò adversam sententiam non deglutiamus solidam. Liquebit periculum facienti, nihil rationi absonum ab illis in patrocinium suscipi, qui apud Judæos, exactâ captivitate, primigenias Hebræorum literas permansisse opinantur. Mutatio in antiquo scribendi modo, 1. non sponte, 2. non necessariò, 3. non omnino introducta est. 1. *Non sponte.*

Qui

Quis animo poterit effingere Judæos, (qui ob librum legis exustum, hebdomatim bellum ventri indicebant; annuatim, quòd in Græcum sermonem verteretur; qui persuasissimum habebant, magna mysteria è characteribus pendere, qui mortem subire malebant, quàm ultrò pati, ut vel minima literula periret) gratis resignâsse jus suum ad omnes literas, quæ à Deo cœlitùs indultæ; suâ ipsius manu in tabulas lapideas insculptæ, & in arca fœderis positæ fuerunt, tanquam lectissimum cimelium? 2. Non necessariò. Ad hanc necessitatem evincendam gemina effertur causa. 1. Samaritani (quos Judæi cane pejùs & angue oderant) pridem occupaverant antiquam Scripturam; idcirco perquam necessarium fuit novum characterem usurpare; ut hoc pacto à Samaritanis secernerentur. 2. Chaldaicum præ aliis sibi desumpserunt; quòd Chaldæorum tam linguæ quàm characteri assueverant, memoriáque Hebraici sermonis & characteris propè jam aboleverat. Capell. in diatr. de lit. Hebr. p. 88.

Ad primam regero. 1. Odium Samaritanorum, votúmque quamvìs flagrantissimum, Judæos inducere non potuerunt, ut usum veteris Characteris repudiarent, saltem in Hagiographis & Prophetis. Samaritani legem solam h. e. 5 libros Mosis acceperunt. Abunde finem suum assecuti fuissent h. e. distinctionem, modò legem novis literis mandare instituissent, & in reliqua Bibliorum parte, veteri charactere uti perrexissent. 2. Æquè facilè credamus, potestate revertendi ad terram Cananæam à Cyro concessâ, Judæos eò proficisci noluisse, quòd Samaritani eam priùs occupaverant: atque existimemus eos redire nolle ad usum veteris characteris quòd consuetudo utendi eodem charactere apud Samaritanos increbuisset.

Ad secundam respondeo. 1. Judæos non eò usque

Chaldæorum linguæ & charactéri assuetos fuisse, ut sermonis vernaculi obliviscerentur. Cùm in aliquos incidat Nehemias non scientes loqui Judaicè, & hoc illis vitio det, palàm innuit hunc esse specialem casum, & plerosque omnes linguam Hebraicam calluisse. 2. Ponamus Judæos fuisse assuetos linguæ Chaldaicæ, memoriámque primigeniæ illis ex animo defluxisse: hæc non est ratio satìs valida ad introducendam mutationem. Si eam premamus, non solùm characterem, verùm ipsam linguam mutandam esse juxtà evincet. Utriusque memoria pariter ex animo excesserat. Si Ezra eâ re adduci non potuit, ut Sermonem mutaret, nedum ut Characterem. Longè enim facilius est intermortuam characteris, quàm linguæ memoriam renovare.

Capell. diat. de Lit. Hebr. p. 51.

3. Hæc mutatio non omnino introducta est. Argumenta, quibus adversa opinio innititur, petita sunt 1. ex Siclis antiquis, quibus ex altera parte inscribitur, Jerusalem Sancta, *characteribus Samariticis. Non putandum est Samaritanos urbem illam, quam exosam habebant, hoc titulo ornari voluisse. 2. Ex nomine, quo appellatur à Judæis hodiernus Character. Nuncupatur* אשורית *Assyriacus. 3. Ex suffragiis Eusebii, præsertim Hieronymi, qui disertè dicit Ezram sub Zorobabele alias reperisse literas, quibus nunc utimur, cùm ad illud usque tempus iidem Samaritanorum & Hebræorum characteres fuerint. 4. Ex testimoniis veterum Judæorum, nimirum Rab. Josis & Mar Zutræ.*

Ut hosce nodos divellamus, prælibandum est, linguam Hebræam post confusionem duobus locis conservatam fuisse, sc. in Mesopotamia & terra Cananæa. 1. In Mesopotamia. Hâc regione destinatâ iis in domicilium, qui ad structuram Babelis nihil contulerant, Deo placitum est primigeniam linguam ibi con-

servare.

servare. Cùm præ commercio cum alienigenis in Chaldaicam degenerare inciperet; tamen in familia Heberi & Abrahami puritatem primitivam retinuit. Vel ipsa nomina Peleg, Abraham palàm declarant, cui sermoni Sancti illi viri assueti fuerant. 2. *In terra Cananæa. Deus linguam Hebræam hîc conservari voluit, non in Chami aut gentis interneciοni devotæ, verùm in Patriarcharum gratiam; ut inter peregrinandum concordia in Sermone eos indigenis gratiores redderet. Compertum est ex nominibus locorum, prinsquam Abrahamus eò loci accessisset, linguam Hebræam apud incolas in usu fuisse.* Salem, &c. *A ratione penitùs abludit opinari, Hebræos vetera nomina extinxisse, postquam ibi suas fixissent sedes, & nova imposuisse. Etenim vel indiderunt nomina omnibus urbibus intra fines terræ Cananeæ, vel iis tantùm, quas suæ potestati subjecerant. Si omnibus, quid est quod Moses notet, nova nomina à Reubenitis indita fuisse iis urbibus, quas extruxerant. Proculdubio hoc sine notatione præterierat, si passim eadem consuetudo invaluisset. Si iis tantùm, quas in ditione sua tennêre, unde evenit, ut urbes extra ditionem Hebræorùm nominibus Hebraicis insignirentur; ut Tyrus & Sidon? Ex hac causa lingua Hebræa nuncupatur lingua Canaan, Esai. 19. v. 18. Hinc emersit summa affinitas inter vocabula in sermone Hebræo & Phœnicio. Sanchoniathon* Βεελσάμην, *cœli dominum,* σαδὺκ *justum,* Μοὺθ *mortem interpretatur. Hinc etiam non legimus quenquam vices præstitisse interpretis, cùm Abrahamus sermonem consereret cum filiis Heth, aut exploratores cum Rahab.*

Linguâ Hebræâ his duobus locis conservatâ, geminus emersit character, alter in usu apud Heberi posteros in Mesopotamia, alter apud posteros Chami in terra Cananæa. Character in Mesopotamia idem

est cum Chaldæo. Cùm Chaldaica lingua nihil aliud sit, nisi Hebræa alienigenarum commercio depravata: (Hinc Philo Judæus nomine Chaldaici Sermonis intelligit Hebræam, & lingua Chaldaica appellatur Hebraica. Joan. 19. *v.* 13, 17.) *Consuetudo utendi eodem Charactere apud Chaldæos & Hebræos invaluit; Quemadmodum, cùm lingua latina in Italicam degeneraret, nulla in charactere mutatio introducta est. Hic Character est primigenius ab incunabulis mundi usurpatus. Hine Plinius rotundè pronunciat, Literas semper arbitror Assyrias fuisse.*

L. 7. Nat. Hist. c. 56.

Character in terra Cananæa est idem cum Phœnicio, aut Samaritano. A charactere quadrato sive Assyriaco suam desumpsit originem: utì patet ex similitudine, quæ inter aliquot literas utriusque Alphabeti remanet. Ex. gr. ג & ࠂ, ט & ࠈ, כ & ࠊ, נ & ࠍ, ק & ࠒ, ש & ࠔ. *Quemadmodum ipsa lingua, (utì constat ex reliquiis Punici Sermonis) ità character tempore procedente, à primitiva natura descivit.*

Plaut. Pœn.

Cùm Israelitæ sedes suas fixissent in terra Cananæa, utroque charactere promiscuè utebantur: donec populus miscellaneus à Rege Assyriæ in Samariam adductus, Pentateuchum Mosaicum Phœnicio charactere exaratum occupaverant. Ab eo tempore Judæis sordere incepit. Ad extremum, captivitate exactâ, Ezra, *ut populi votis obsequeretur, sancivit, ut Judæi literas Phœnicias Samaritanis relinquerent, & charactere solo uterentur, cui Abrahamus, ante introitum in Palæstinam, assueverat.*

Hisce prælibatis respondeo ad 1. *Siclos tantopere decantatos charactere signatos esse, quem Phœnicii ante peregrinationem Abrahami usurpaverant.*

Ad 2. *Character quadratus appellatur Assyriacus; propterea quòd usurpatus fuit in Heberi & Abrahami*

mi familia, cùm in Mesopotamia commorarentur, & Ur Chaldæorum incolerent. Cùm termini Assyriaci imperii essent longiùs protensi, Syria & Chaldæa Assyriæ nomine passim innotuère.

Ad 3. Cùm Hieronymus asserat ante tempora Zorobabelis eosdem fuisse Samaritanorum & Hebræorum characteres; verùm Ezram *sub Zorobabele alias reperisse literas; hoc solùm in animo habuisse videtur, sc. ante id tempus Phœnicium characterem in usu fuisse tam apud Judæos quàm Samaritanos: verùm exitu* Captivitati *imposito,* Ezram *Sanctorum Patriarcharum characterem vulgo non priùs obvium, in publicum proposuisse: Unà cum hoc mandato, ut singuli ab usu Samaritani characteris temperarent. Literas reperisse perhibetur, sc. absconditas. Quemadmodum Hilkias librum hisce literis exaratum dicitur reperisse sub Josiæ imperio.* Eodèm *pertinent verba Eusebii.* (Præf. in Lib. Regum. 3 Tom. p. 342.)

Ad 4 resp. 1. Mar Zutra palàm in suo testimonio cæspitat; asserit enim Israelem reliquisse להריוטית כתב עברית ולשון ארמית *h. e. idiotis sive Samaritanis Scripturam Hebræam, & linguam Chaldæam: cùm à nemine non concessum sit, Cuthæos sive Samaritanos Pentateuchum Mosaicum, non in lingua Chaldaica sive Syriaca, sed in Hebræa occupâsse. 2. Testimonium tam Mar Zutræ, quàm* Rab. *Josis, exponendum est de mutatione, quæ specie tenus facta est ab* Ezra. *Non novum characterem introduxit, verùm veterem protulit in lucem, & ad vulgi usum restituit. 3. Si concedamus* R. *Josen & Mar Zutram in eam opinionem ivisse, quam Capellus iis attribuit, tamen longè plures sunt veterum juxtà atque recentiorum Judæorum, qui secùs statuunt. Capelli argumentum (sc. quòd unius Judæi ità sentientis, testimonium pluris est, quàm reliquorum* (Exc. Gem. San. Coc. p. 186.)

liquorum omnium ab eo dissentientium; propterea quòd ille asserit, quod genti suæ probrum & ignominiam impingit; cæteri, quod ad gentis suæ gloriam & honorem maximè facit) non est tanti ponderis, si rationis trutinâ pensitetur. Æquè bene concludamus testimonium Plotini (quòd Christus est ψιλὸς ἄνθρωπος) pluris fieri debere, quàm testimonium omnium Christianorum, qui non juxtà sentiunt; quippe sententiæ accedit, quæ honorem suæ imminuit communitatis. Dedecus enim Christianæ religioni incutit, qui Christo divinam naturam adimit. Judæus, cujus autoritatem Capellus tanti æstimat, ad aucupium nominis hanc sententiam potuit amplecti. In omni seculo sunt, quibus in deliciis est cum communi opinione non concinere; ut hoc pacto sibi januam famæ patefaciant. Qui soli incedunt, magis conspicui sunt, quàm qui vagantur cum caterva. Nonnullorum astra non oriuntur, donec sol h. e. splendor totius gentis occidat. Ad instar lunæ plenissimi apparent, cùm ad oppositionem provecti sint.

Jam progredior ad 2 partem objectionis. Providentia divina permisit textum Hebraicum luxari, & aliquoties intercidere; uti constat ex Psalmis Alphabeticis.

Resp. Agnoscamus oportet eandem methodum in Psalmis Alphabeticis non semper servari, quam series literarum postulat. In Psal. 25. duo versiculi incipiunt à litera א, *duo à litera* ר, *nullus à literis* ב ו ק. *Post* ח *versiculus adjicitur, qui incipit à* פ. *In Psalmo 34. literæ* ה *&* ו *in eodem versiculo junguntur, &* פ *bis occurrit, semel in suo ordine, iterum post literam* ת. *In Psal. 37. nullum reperitur comma, quod incipit à* ע. *In Psalmis 111. & 112, cùm singula Hemistichia inchoentur à litera ordine Alphabetico, tria in ultimam & penultimum versum conjecta*

conjecta sunt, præter morem reliquorum versiculorum, qui duobus duntaxat constant Hemistichiis. In Ps. 145. nullum comma incipit à נ. Verùm hæc omnia non evincunt Providentiam divinam in tutandis sacris libris indormivisse. Unde compertum est, Spiritum sanctum hosce Psalmos non ità contexuisse? Methodo nobis obviâ non usque uti tenetur, nedum causam dicere, si aliquoties intermittat. Honor Dei est rem abscondere, Prov. 25. Heraclitus dicere solitus est, φύσις δὲ κρύπτεσθαι φίλει, ϗ περὶ τῆς φύσεως ὁ τῆς φύσεως δημιουργός. Maximam insolentiam sapit, conformitatem ad modulum nostrum à supremo Rectore exigere. Perinde est, ac si ipsum oceanum compedibus indueremus. Deus aliquoties methodum, cui assuescimus, missam facit, ut nos doceat, se imbui intellectu, qui nostrum multis superat parasangis. 2. Capellus ipse fatetur artem, quâ Judæi in pangendis poematis utebantur, oblivione penitùs extingui. Unde habet compertum, ea omnia, quæ magno molimine ad deprimendam textûs Hebraici puritatem urgentur, non esse consona regulis poeseos Hebraicæ? Nemini tutum est statuere de iis, quæ ab amussi deflectunt, cui indoles ipsius amussis penitùs ignota est. Perinde est, ac si quis periculum faceret, an horologium ad motum solis aptare queat, quem motûs cœlestis natura penitùs latet. 3. Prætermittunt sæpenumero Poetæ, quod regulæ, ad quas sua componunt poemata, postulare videntur. Carmina Virgiliana Heroica sunt, quæ sex pedibus constarent: tamen aliquoties occurrunt Hemistichia, & fragmenta versuum: ubi artis Poeticæ callentissimi nihil intercidisse opinantur; verùm Virgilium deditâ operâ ità illa composuisse. Grammaticorum aliqui rudes artis Virgilianæ, ad instar Capelli artis Davidicæ perinde ignari, emendare & perficere co-

nati

A. C. in not. in. Davideidos Lib.

nati sunt, quod imperfectum esse augurabantur: verùm præter mentem Authoris, qui in hac parte supremam manum suo imposuerat operi. Hoc videre licet (uti notavit è nostratibus Poetarum Coryphæus) in verbis Didonis

Æneid. lib. 4.

——————moriamur inultæ?
Sed moriamur ait ——————

Persuasissimum enim habet, Virgilium stilum suum attemperantem ad incitatum, quo Dido afficiebatur, animi motum, qui plerumque sermonem solet incidere, hoc in loco nihil ampliùs dixisse. Quæ sequuntur verba,

Sic, sic juvat ire sub umbras,

Virgilii indolem non sapiunt, utpote generosæ fœminæ affectui minimè consentanea: Verùm ab aliquo Sciolo in Poetam nimis officiosò appensa esse videntur ut lacunam expleret. Si, cùm in profanis versemur poëmatis, tam facilè hallucinemur, & id imperfectum & mancum esse, quod revera non ità est, ad credendum inducamur; non temerè judicandum est de imperfectione poëmatum Sacrorum, in quibus pangendis conservandisque æquum est, ut existimemus providentiam divinam plus invigilâsse. 4. *Non verisimile est ordinem Alphabeticum culpâ librariorum luxatum esse. Primâ inspectione talis error non potuit non conspici, quem, quippe ad nullum privatum compendium spectantem, emendare & ultimâ limâ polire non recusâssent.* 5. *Si totum concedamus, non sequetur providentiam divinam incuriæ insimulandam esse in conservanda regula, quantùm ad ea, quæ spectant ad salutem æternam. Materia versiculi, qui deesse perhibetur in Hebraica veritate, & extare versione Græcâ, Ps. 125. alibi in centum locis sacræ paginæ reperienda est.*

Jam

Jam accedo ad tertiam objectionis partem. Providentia divina permisit Masorethas Tiberienses punctatione circa annum quingentesimum post Christum natum excogitatâ sensum totius Veteris Testamenti depravare. Rusworth. Dial.

Resp. 1. *Non constat Tiberienses primos textum Hebraicum vocalibus induisse. Diem longè antiquiorem sibi vendicant.* 1. *Extiterunt ante tempora Masoretica. Irregularis punctatio, quam Masorethæ ad censuram revocârunt (ut ex. gr. omne* שֵׁם *scriptum est cum Tzere exceptis sex cum Segol. Omne* לָלֶכֶת *cum sex punctis, excepto uno,* Eccles. c. 1. v. 7. תֵּרָאֶה *Dan.* 1. 13. *non extat ampliùs cum Tzere. Omnia* הִנֵּה *significationis* הֵן *sunt cum Camets, excepto uno Geneseos* 19. 2.) *indicio est, illos vocalium figuras non finxisse; sed de vocibus priùs punctatis suum tulisse judicium. Qui in Græca & Latina Grammatica omnia pensat anomala rationis trutinâ, facilè ad credendum inducetur, ea ab ipso Grammatico non cusa fuisse; sed tantùm notata, prout in Classicis Scriptoribus reperiuntur.* 2. *Non liquet ullos publicos literarum professores Tiberiade fuisse circa annum Domini quingentesimum ad hasce figuras formandas. R. Jehuda, qui composuit* מִשְׁנָה *decessit de vita circa annum Domini ducentesimum tricesimum. Hillel Hannasi, qui computum reformavit Hebraicum, circa annum tricentesimum quadragesimum. Tunc temporis omnes promotiones Scholasticæ desierunt in terra Israelis. Sanctus Hieronymus, qui diem extremum confecit anno quadringentesimo vicesimo secundo, refert memoriam alicujus Doctoris Tiberiensis, quem consuluerat à capite ad calcem: verùm utrùm intelligat hominem, an librum, nondum convenit. Perhibetur Doctorem assumpsisse, quæ verba librum potiùs quàm hominem indigi-*

indigitare videntur. De hujusmodi viris circa annum quingentesimum penitùs silet antiquitas. Jam tum literæ floruêre in Scholis Babylonicis, & non in Tiberiensibus. 3. Si fuerint privati aliquot & obscuri Doctores, quorum memoria in nulla historia continetur, qui puncta commenti sunt; mirum est Judæos, præsertim Babylonicos, qui inter eruditos primatum obtinuerant, hoc inventum (nemine renuente) avidis ulnis amplexos fuisse. In aliis rebus internecina fuêre dissidia: in hac summa concordia. Si altercatori & vitiligatorem agere in animo habuissent, ansam arripere potuissent satìs amplam ex anomaliis. Nec non eis etiam currentibus calcar addidisset inconditus Tiberiensium Sermo. Rusticitas Galilæi Sermonis ipsum Petrum prodebat: Tiberias autem fuit in Galilææ meditullio sita. Hoc silentium argumentum est, puncta fuisse textui appensa, non ab homuncionibus obscuri nominis nemini notis, nisi ob sermonis barbariem; verùm à sacra aliqua manu, cujus autoritas tanti erat, ut contra eam ne vel hiscere auderent. 4. Mentio facta est punctorum ante annum quingentesimum post Christum natum. In ספר הַבָּהִיר *(cujus author est R. Nechonia Christo Salvatore nostro antiquior, uti monet Buxtorfius) hæc verba occurrunt* נִמְשְׁלוּ הָאוֹתִיּוֹת לְגוּף וְהַנְּקוּדָה לִנְשָׁמָה *h. e. assimilantur literæ corpori, & puncta animæ. In* סֵפֶר הזוהַר *cujus concinnator fuit Rabbi Simeon Ben Jochai Christo centum plus minus annis posterior, vocales Holem, Schureck, & Chireck commemorantur. Etiamsi apud Talmudicos nulla sit expressa mentio punctorum: tamen ubi citant Scripturam, nunquam non cum Bibliis concinnè punctatis; uti constat ex matribus lectionis & antecedentibus, & consequentibus. Si fas sit inferre, penès LXX. Biblia punctata non fuisse; propterea quòd*

Vid. Morin. l. 2. Exerc. 18. c. 2.

Commen. Masor. c. 11. p. 73.

Vi. Buxtorf. de Antiquit. Zohar. p. 1. De ant. punc. p. 68, 69, 70, 71.

quòd ab iis multoties discrepant: pari ratione statuamus penès Talmudicos fuisse; quippe usquequaque conveniunt. 5. Si protinus post excessum Prophetarum textus Biblicus non fuisset punctis vestitus, jam tum defuerat certa ratio legendi totum Scripturæ volumen. Antecedentia & consequentia non semper huic defectui ferre potuerunt suppetias: quoniam aliquot textus, ut Proverbia Solomonis, nullo nexu conglutinantur; nec Matres lectionis, uti in codicibus Talmudicis: quippe ibidem diligenter inseruntur ad supplendam vicem punctorum; verùm in Bibliis multùm admodum desiderantur. Hinc V. C. asserit, quòd longè facilius est legere Rabbinica scripta, non punctata, quàm librum aliquem Biblicum. 6. Elias Levita, qui novitatem punctorum primus propugnavit, eundem diem eis & accentibus assignat: Verùm accentus innotuerunt priusquam Deus Spiritum Prophetiæ Israeli adimerat. Ante illa tempora Levitæ in templo voce modulari consueverunt. David suos ipsius Psalmos secundùm artem canebat. Hoc fieri non potuit citra ministerium Musicarum notarùm. Nullas autem notas memorant Judæi præter accentus, qui in Bibliis nostris in conspectum dantur. 7. Omnes Hebræi, (uno Eliâ excepto, qui vixit centum plus minus abhinc annis) uno ore pronunciant, originem punctorum referendam esse aut ad Ezram, aut ad Mosem, aut ad Adamum. Sententia unius Judæi apud Christianos famam aucupantis, non est tanti momenti, ut degravare mereatur testimonium universæ gentis, in qua plurimi floruerunt literis non minùs exculti. 8. Nullum est argumentum pro novitate punctorum, quod non facilè diluamus. Quod vulgò adductum est ab eis, qui in hac arena dimicant, ad sex capita revocari potest.

De punc. orig. pars 2. p.370.

1. Vetus Hebræus character, sc. Samaritanus, vocalibus

calibus nunquam fuit indutus. Samaritani ope [...]um literarum, quas Matres lectionis appellant, [...] legunt.

2. *Defuêre puncta in Bibliis, quibus LXX. [...]bantur. Ob hunc defectum aliter interpretati [...] quàm hodie in punctatis Bibliis legimus.*

3. *Apud Hieronymum, qui operam suam nava[...] ad investigandum quicquid textui Hebræo lucem [...]ferat, nullum de punctis apparet vestigium.*

4. *Volumina sacra, quæ hodie populo prælegun[...] in Synagogis, non sunt punctata.*

5. *Keri & Ketib versantur circa consonantes, [...] non circa vocales.*

6. *In toto Talmude, tam in Mischna quàm [...] Gemara, nulla est punctorum mentio. Ut hos [...] solvamus, quædam prælibanda sunt.*

1. *Post linguarum confusionem usus linguæ H[...]braicæ duobus locis sc. in Mesopotamia & terrâ C[...]nanæâ invaluit, uti suprà demonstratum est.* 2. *H[...] geminus emersit character: alter, cui incolæ Me[...]tamiæ assueverant; alter, cui Cananæi. Prior [...]spiciendus est in hodiernis Bibliis: posterior in P[...]teucho Samaritano.* 3. *Postquam Abrahamus M[...]sopotamiam reliquisset, & in terram Cananæam [...]egrè fuisset profectus, posteri utrumque characte[...] usurpare non dedignabantur. Huic rei testimon[...] luculentum perhibent Sicli antiquissimi tam Assyri[...]cis, quàm Phœniciis literis procusi. Sebikkar[...]*

De Num. Hebr.

asserit nummos Assyriacis literis signatos Hierosoly[...]mis effossos fuisse cum Solomonis nomine, ex [...] parte vultum Regis, ex altera templum exhibent[...] Typi Siclorum cum Phœniciis literis ostentant[...] ex altera parte urnulam auream, in qua Manna [...]ponebatur, ex altera virgam Aaronis, conspiciend[...]

De Sic.

sunt apud Ariam Montanum. 4. *Hinc lege [...]*

[...]

duo exemplaria in usu fuêre apud Hebræos; alterum descriptum Charactere Mesopotamico sive Assyriaco, qui, utpote à Deo primitùs datum, nuncupatur מִכְתַּב אֱלֹהִים γραφὴ θεοῦ, Exod. 32. 16. alterum in Phœnicio sive Cananæo. 5. Exemplar Assyriaco sive Mesopotamico descriptum, fuit punctis indutum, (Hinc appellatur ספר מפרש Nehem. 8. 8. h. e. liber, cujus literæ punctorum & accentuum subsidio valde distinctæ, & omnium oculis expositæ sunt.) Alterum in Phœnicio sive Cananæo sine punctis. Utrumque exemplar manibus hodiernis teritur. Nemo mortalium designare poterit authores quibus, aut tempus quo puncta fuêre appensa exemplari Assyriaco. Capellus ipse in dubio est, quinam fuerint primi punctatores, Tiberiensésne an Babylonii, an verò etiam alii.

De Antiq. punc. l.2. c. 15. p. 247.

Tempus præcisè definire videtur hactenus ἀδύνατον, inquit Morinus. Deserit hîc Eliam Levitam, qui arbitratur ultimam manum punctationi Bibliorum circa annum Domini quingentesimum impositam fuisse; & hariolatur inventionem paulò antecessisse annum Christi nongentesimum; cùm Arabes Alcorani legendi gratiâ tres vocales consonantibus adjecissent. Conjicit enim Doctores Judæorum indè originem punctorum derivâsse, & Arabum exemplo sacra volumina pinxisse. Verùm meliori fide asserere potuisset Arabes in punctando Alcorano Judæorum vestigia premere, & Biblia punctata imitari. Non minima pars Alcorani est tralatitia. Etenim est farrago ex sacris literis malè intellectis, fabulisque Talmudicis remistis concinnata. Ipsum nomen convenit cum titulo, quo sacra Scriptura insignitur apud Hebræos. Alcoranus ab Al & Koran lectio, idem sonat quod המקרא apud Judæos. Si Alcoranus Biblia Hebræa tum quoad rem, tum quoad nomen imitetur,

L.2. Exer. 14. c. 2. p. 432.

Fatha, Damma, Kesra.

 quidni

quidni etiam quantùm ad puncta? Hebræi nunquam tanti æstimârunt Alcoranum, ut inducerentur sacra volumina ad illius formam exornare. Cùm Authores definiri nequeunt, nec tempus, quo puncta fuere charactèri Assyriaco appensa; rationésque quas suprà recensuimus, strenuè militent adversùs novitatem, quam Pontificii iis attribuunt; non est nobis vitio vertendum, si asseramus punctationem ab immemorabilis rerum fuisse, donec contrarium liquidò constiterit. Quum Deus decreverat, ut totum sacrum volumen in charactère Assyriaco conservaretur; prospectum est, ut meliori muniretur vallo, quàm cæteri characteres, sive Orientales, sive Occidentales. In qualibet lingua vix plures sunt quàm quinque vocales; Græca exceptâ, in qua septem occurrunt: At Hebræis sunt quatuordecim, è quibus geminum decerpimus commodum. 1. Demonstrant, quæ syllabæ (paucis exceptis) simplices sint, quæ compositæ: longæ vocales adhibentur simplicibus, breves compositis. Ex prima inspectione intelligi queat, quæ consonæ & vocales in syllabam coalescunt, quod in aliis linguis non sine longa consuetudine discendum est. 2. Tollunt quicquid occurrit ambiguitatis, quod lectori moram injiciat. Si nullum esset inter legendum subsidium, præterquam id, quod Matres lectionis suppeditant, Scriptura passim incertitudine laboraret, quæ in Sacris alea plena est. Hæ notulæ, longæ, breves, brevissimæ eò usque omnem homonymiam fugant; ut rudes non sine fructu in lectione Bibliorum brevì possint versari. Quæ res cum proposito divino apprime concinit. In concinnandis enim divinis oraculis non tantùm Doctorum, quibus lingua Hebræa familiaris fuit & vernacula; verùm etiam rudium literarum, & proselytorum saluti prospectum est. Hine promptior & facilior aditus ad sensum à Deo

 indultum

indultus est, quàm in aliis linguis Orientalibus? 6. Quùm exemplar in Charactere Assyriaco cum punctis tum lectu, tum intellectu fuerit longè facilius, & quoad sensum magis determinatum; Sacerdotes in fæce temporum id populum celabant, permittentes nullum exemplar esse protritum & pervulgatum, præter id in Charactere Phœnicio sive Samaritano: ut cùm ob defectum punctorum voces ambiguæ occurrerent, & sensus non satis expositus, ad Sacerdotes illico confugeret, qui, utpote libro punctato non obstricti, varias interpretationes cudere potuerunt, & eas potissimum inculcare, quas præsenti rerum scenæ maximè inservituras noverunt. Hinc Rabbini asserunt, Jussi sumus non punctare librum legis, quia vox punctata omnem sensuum varietatem, & multiplicationem tollit. Ut Sacerdotes hanc techinam larvâ induerent, passim prædicabant punctationem esse partem legis Oralis Mosi traditæ in Monte Sinai, quæ per traditionem vi memoriæ propaganda, & non temerè vulgo in scriptis prostituenda est. Hinc liber in Assyriaco charactere à Deo per Mosen datus tam abditè latuit, ut Israelitæ dicantur multos dies egisse sine lege, 2 Chron. 15. v. 3. Hinc cùm Jehosaphat res Ecclesiasticas reformaret, hoc exemplar in publicum protulit. Levitas misisse perhibetur unà cum libro legis Jehovæ per civitates Jehudæ, 2 Chron. 17. 9. Hic liber sub imperio Regum Idololatricorum ad pristinas damnatus latebras Josiæ temporibus denuò detectus fuit ab Hilkia Sacerdote, qui antecessorum astutiam comprobare noluit. Insuitatum spectaculum omnes fecit attonitos, & in stuporem redegit. Postquam character Phœnicius Samaritanis esset relictus, & Assyriacus jussu Ezræ publicè usurpandus; vetus consuetudo habendi unum exemplar publicum sine punctis, aliud privatum cum punctis

R. Bechai in Cap. 11. Numb. v. 15.

L. Cozri 3. c. 22. Vid. Morin. l. 2. Exer. 13. p. 421.

brevi revixit. Scribæ rarò sui privati compendii immemores studia inflectebant ad arcendum populum ab usu facilioris exemplaris, apprimè callentes eum eò lubentiùs ad pedes Rabbinorum sessurum. Eli. Levit. *Hinc constante famâ atque Hebræorum sermone celebratum est, punctationem Bibliorum spectare ad legem Oralem, quæ publicè in scriptis minimè doceri debuit. Quamvis discipulis liceret signis notare & conscribere, quæ excidebant ex ore Rabbinorum, quæ tamen occultabant, &* מגלת סתרים *librum occultorum vocabant. Hisce prælibatis,*

Vid. Halicoth Olam, non procul ab initio. Constan. L'emp. p. 62.

Ad 1. *resp. Quamvis liber legis Samaritano charactere exaratus non pingeretur vocalibus: tamen alter Assyriaco fuit iis indutus.*

Ad 2. *LXX, utpote publicæ personæ in legatione ad Ptolomæum nihil efficere audebant, præterquam quod publicâ autoritate fuit signatum. Cùm autoritas publicum usum Bibliorum punctatorum non comprobaret, necessitas temperandi ab iis, LXX Interpretibus incubuit, dum in contexenda versione Græca versabantur.*

Ad 3. *Quamvis Sanctus Hieronymus ad miraculum fuerit industrius in comparanda Sermonis Hebraici notitia, tamen liquidò constat illum maximam suæ peritiæ partem hausisse à Judæo, qui Nicodemus appellatur. Quo precio (inquit) Barhanum nocturnum habui præceptorem: timebat enim Judæos, & mihi alterum exhibebat Nicodemum.* Epis. ad Pam. *Hic Judæus, qui interdiu ad Hieronymum accedere verebatur, non consultum putavit, tam grande arcanum atque puncta in scriptis recludere: præsertim cùm memoriâ recolleret, quod ab eo magis penderet Hieronymus. Nihil Judæum ad retegendum tale mysterium potuit allicere præter thesaurum ingentem, ab Hieronymo, qui mundi opulentiæ valedixerat, non expectandum.* Præf. in Job. p. 345.

Hinc

Hinc commemorat se ob unius voluminis intelligentiam, Lyddaum quendam non parvis redemisse nummis. Si silentium Hieronymi sufficiat arguendæ punctorum novitati: parili ratione concludamus Paraphrases Onkelosi aut Jonathanis diem non adeò antiquum sibi vendicare; quippe de iis penitùs silet Hieronymus.

Ad 4. Biblia non punctata in Synagogis prælecta sunt; quippe ità in usum venerat apud majores, quorum vestigia usquequaque premunt hodierni Judæi, ubi à ratione maximè abludunt. Ad corroborandam praxin suam aliquot ex iis asserere non reformidaverunt, puncta polluere librum Synagogicum.

Ad 5. Keri & Ketib sunt notæ in Exemplar Hebraicum vocalibus non vestitum.

Ad 6. Quamvis Systema legis oralis in Talmude scriptis mandetur; tamen subobscurè mysterium punctorum recluditur. Authores, utpote Doctores non minimi nominis, apprimè callebant, silentium in hac re plusquam in ulla alia sibi profuturum. Hoc unico mysterio celato, quamvis cætera omnia retecta sint, necesse est, ut populus pro interpretatione Scripturæ pendeat ex judicio Rabbinorum. Aliquantò pòst ingruente majoris dispersionis metu, hæc ratio paulatim evanuit. Jam demum plurimi cœperunt punctorum memoriam facere, formámque in scriptis pingere. Hinc Elias ad asserendum inductus est, post exactum opus Talmudicum puncta excogitata fuisse: cùm revera tunc temporis non fuerint inventa, sed tantùm in scriptis singulorum oculis magis exposita.

2. *Si concedamus gratis Tiberienses primos vocales determinâsse, & cum iis Biblia pinxisse; non indè sequetur sensum esse depravatum, aut detortum*

*ad placitum Hebræorum. Si pensitemus loca pal-
maria, quæ errorem Judaicum altis confodiunt vul-
neribus*, Ex. gr. *Esaiæ caput* 53. *Dan. c.* 9. *v.* 24.
*constabit sensum ad quem vocalibus determinantur,
maximè favere Christianæ Religioni. Si in animo
habuissent Tiberienses sensum Scripturæ ad gustum
suum accommodare, sine dubio hisce palmariis locis
talem punctationem impertivissent, quæ tanquam le-
thalis arundo hæreret lateri Christianæ Religionis.*

L. 2. Exer. 12. c. 11. p. 390, 391. *Morinus non veretur asserere Masorethas elusisse
splendidissimum divinitatis testimonium, Es.* 9. *v.* 6.
(pro יִקָּרֵא *enim legunt* יִקְרָא*) & corrupisse insignem
textum in patrocinium passionis Domini passim pro-
latum, Ps.* 22. *v.* 17. *(pro* כָּרוּ *legunt* כָּאֲרִי*) Ve-*
L. 2. Exer. 22. c. 6. p. 589. *rùm ad* 1. *respondeo, ipsos Judæos non diffiteri ter-
tias personas formæ Activæ plerumque accipi Passivè;
itaque* יִקְרָא *potest idem sonare, quod* יִקָּרֵא*, si indo-
lem Hebraici Sermonis comprobare velimus. Si con-
cedamus vocem Activè sumendam, perinde est quan-
tùm ad sensum; modò* quisque, *aut* Spiritus Sanctus
subintelligatur. Ad 2. *resp.* 1. *Masorethas nequaquam
Psalmistam corrupisse. Arbitrantur* כארי *significare*
foderunt. *Etenim notant hanc vocem in sacra pa-
gina bis occurrere; semel Es.* 38. *v.* 13. *semel in hoc
Psalmo, verùm duplici significatu. Apud Esaiam ci-
tra controversiam est,* Sicut Leo. *Ergo in Psalmo
diversâ significatione accipi debet, quæ alia esse non
potest, quàm* foderunt. 2. *Nulla reperitur in hac
voce anomalia, cui lingua Hebræa non assueta est.
In* כָּאֲרִי *pro* כָּרוּ א *per Epenthesin inseritur, ut in*
C. 10. v. 14. קאם *pro* קם *apud Oseam, &* המלאכים *pro*
L. 2. c. 11. v. 1. המלכים *apud Samuelem, &* ו *convertitur in* י*,
ut* נשאי *pro* נשאו *Ezræ* 10. *v.* 44. 3. *Si sensus
sit depravatus, aut detortus; tamen hæc inflexio,
(si fidem habeamus ipsis Pontificiis) veritati nihil
officit.*

officit. Bellarminus digitum intendit ad medelam, Possumus, (inquit) si volumus, puncta detrahere, & aliter legere.

Jam deventum est ad 4. objectionis partem. Tot varias lectiones in utrumque Testamentum irrepere divina permisit Providentia, ut textus genuinus haud ferme internosci queat.

Resp. Non inviti concedimus extare varias lectiones in utroque Testamento. Non existimamus donum tale cœlitus singulis librariis fuisse indultum, ut nè vel latum unguem à primis autographis aberrare potuerint. Nihilominus firmiter tenemus, hasce lectiones non esse tot, aut tanti momenti, ut indè meritò vereamur, ne textus genuinus in discrimen adducatur.

1. Non sunt tot in veteri Testamento, quot perhibentur. Ludovicus Capellus ex variis veteris Testamenti libris, ex veteris & novi locis parallelis, Judæorum Keri & Cetib, codice Samaritano, variis Editionibus textûs Hebraici, translatione LXX Interpretum, Chaldaicis Paraphrasibus, translationibus Aquilæ, Theodotionis, & Symmachi, vulgatâ editione, translatione Syriacâ, & Arabicâ, notis Massoreticis, Commentariis Rabbinorum, recentioribus Interpretibus, collegit 1826 varias lectiones, uti constat ex summa, quæ ad calcem Criticæ Sacræ à Capello filio pompaticè apponitur. Verùm quâ lege omnes hæ discrepantiæ variarum lectionum nomine insignirentur, nondum habemus compertum. Variæ lectiones propriè dictæ sunt discrepantiæ in codicibus Hebraicis melioris notæ. Ubi Capellus se accingit ad deprehendendas varietates in codicibus Hebraicis, notat solummodò 4 circa puncta, novem circa literas, 4 circa voces, unam solùm circa integros versiculos. Quantùm ad alias, quæ aliunde colliguntur, variarum

arum lectionum nomen minimè merentur. Si nobis persuadere voluisset ex varietatibus in antiquis versionibus patere, earum concinnatores coràm habuisse exempla, quæ perinde discrepabant atque versiones ab hodierno codice Hebraico, demonstrare debuerat, 1. Translatores nè vel latum pilum aberrâsse in reddendis vocibus Hebraicis. 2. (Si tam faustè evenerit) Librarios nunquam suo defuisse officio. Quandoquidem varietas imperitiæ aut incuriæ in horum altero vel utroque ascribatur juxtà atque defectui in exemplaribus Hebraicis. 3. Ostendi oportuit, quare Masorethæ ad stuporem industrii in omnibus notandis, quæ spectant ad textum Hebraicum, silentio præterirent discrepantias in Hebraicis codicibus, quas olim extitisse opinatur. Quod scribit ad conjecturam suam de vocibus Hebraicis, quæ olim fuerunt in exemplaribus, quibus versionum concinnatores utebantur, non magni ponderis est. Simeon de Muis profitetur tempus fuisse, cùm eadem persuasio animum suum occupâsset, quæ Capelli mentem tenuit. Operam navabat, ut codicem Hebræum ad vulgatam versionem reformaret: quemadmodum Capellus ad illam cæteràsque versiones. Invertebat vocabula, addebat nonnunquam, aut subtrahebat literas, quibusdam in locis videbatur sibi pulchrè divinâsse. Verùm tandem puduit illum vanitatis & Solœcismorum, quos in librum alioquin elegantissimum invexerat, puritatísque textûs Hebraici acerrimus defensor evasit. Si quis Capelli vestigiis insisteret, & veritatem Hebraicam antiquis versionibus conformem reddere moliretur, perinde facturus est, ac si solem ipsum ad horologium aptaret. Non decet quenquam in libro Dei esse tam ingeniosum.

2. Quemadmodum variæ lectiones tot non sunt, quot perhibentur, in veteri Testamento: ità in novo

tam

tanti sunt ponderis, ut meritò vereamur, ne in discrimen adducatur textus genuinus. Rusworthi divinatio de mendis, quas verisimile est præ librariorum incuria in omnia exemplaria irrepsisse, non magni momenti est apud eos, qui ipsos codices versârunt. Si cui, qui à partibus ejus stat, visum fuerit prælustrare 2384 varias lectiones collatas à Roberto Stephano ex 16 exemplaribus novi Instrumenti, ceteráque notatas à Ludovico Capello, Luca Brugensi, clarissimísque viris, qui in edendis Bibliis Polyglottis operam navârunt, experietur indè nihil detrimenti accedere ad textum in iis, quæ ad fidei spectant fundamenta. Quandoque utraque lectio retineatur sine ullo damno Analogiæ fidei illato: aliquoties facile est ex antecedentibus, & consequentibus percipere, quæ lectio sit præferenda, quamvis neutra cum Analogia fidei non concinat. Plerumque ipsa Analogia palàm indicat, quæ sit repudianda. Eò usque invigilavit Divina Providentia, ut omnia ad salutem spectantia integra illibatáque conserventur. Res non secùs ivit cum scripto, quàm cum essentiali verbo. Nè vel unum os confractum est. Tentatori indultum fuit corpus, non animam, vaginam, non gladium divini Spiritûs impetere. Dum invehimur per mare fluctuantis mundi, variatio pyxidis non impedit, quò minùs plenissimis velis in tranquillum portum tandem deferamur. Non sunt tanti momenti ejusmodi errores, (inquit Bellarminus) ut in eis, quæ ad fidem & bonos mores pertinent, Sacræ Scripturæ integritas desideretur. Dial.

Proximo loco ad quintam objectionis partem progredior. Textûs Sacri Autoritas quamplurimis obteritur antilogiis, dignitásque illius deprimitur. Exemp. gr. Arphaxad dicitur Sale genuisse, Gen. 11. v. 12. verùm Cainan ejus perhibetur pater, Luc. 3. 36.

David mille & septingentos cepit equites, 2 *Sam.* 8. 4. *mille currus & septem millia equitum*, 1 *Chron.* 18. 4. *Jetra Amasæ pater Israelita dicitur*, 2 *Sam.* 17. 25. *Ismaelita*, 1 *Chron.* 2. 17. *David aream & boves ad Holocaustum ab Arauna emit argenti Siclis quinquaginta*, 2 *Sam.* 24. 24. *Siclis auri sexcentis*, 1 *Chron.* 21. 25. *Solomoni erant præsepiorum quadraginta millia*, 1 *Reg.* 4. 26. *quatuor millia*, 2 *Chron.* 9. 25. *Jehojachin, cùm regnare inciperet, natus erat octodecim annos*, 2 *Reg.* 24. 8. *octo annos*, 2 *Chon.* 36. 9. *Ahazia rex Juda, cùm suum auspicaretur imperium, viginti & duorum fuit annorum*, 2 *Reg.* 8. 26. *quadraginta & duorum*, 2 *Chron.* 22. 2. *Zacharias inter templum & altare interfectus filius appellatur Jehojadæ*, 2 *Chron.* 24. 20. *filius Barachiæ*, *Mat.* 23. 35. *Allegantur verba ex Jeremia*, *Mat.* 27. 9. *quæ apud Zachariam solum leguntur*, *Zach.* 11. 12. *Verba Paulina*, *Act.* 13. 20. *ex diametro adversantur temporum supputationi*, 1 *Reg.* 6. 1. *Marcus dicit id fuisse factum sub Abiathare*, c. 2. v. 26. *quod factum legimus sub Achimeleco*, 1 *Sam.* 21. v. 1. *In descriptione Christi genealogicâ non convenit inter Matthæum & Lucam.*

Resp. 1. *Si hæc omnia* ἐνάλλαγα *sint quæ fato aliquo sinistro in textum irrepserunt; tamen indè non bene infertur, Scripturam normam esse non posse in omnibus ad salutem spectantibus consummatissimam. Etenim in locis quæ ullum ad salutem habent momentum, nulla hactenus reperta est discrepantia. Leviora sunt hæc, cæteráque omnia, quibus Pontificii Bibliorum dignitatem solent deprimere: nec magis impediunt, quò minùs Scriptura omnium mensura sit ad æternam in cœlis spectantium durationem; quàm Solis maculæ, quò minùs motu illius rerum in terris durationem metiamur.*

2. Non

2. Non ἐναντία sunt, sed tantùm ἐναντιοφανῆ. Quamvis primo aspectu adversa videantur, tamen, re propiùs inspectâ, summa se prodit concordia. Arphaxad Sale genuit non immediatè; verùm mediante Cainane: sicut Joram Uzziam genuisse perhibetur, mediantibus Abaziâ, Joâ, Amaziâ. Quemadmodum Matthaeus hosce tres silentio praeterit Tessaradecadis gratiâ: ità Moses Cainanis omittit memoriam ad Decadem conservandam. Ab Adamo ad Noam decem recensuerat generationes: totidémque à Noa enumerat ad Abrahamum. Conciliatio haec minimè Mosis adversatur Chronologiae, cùm Arphaxadum asserat Sale genuisse anno aetatis tricesimo quinto: genuit enim Cainanem decimo octavo, Cainan Sale decimo septimo: & sic anni complentur triginta quinque, quos Moses Arphaxado avo attribuit.

Cùm David cepisse dicitur Mille, subauditur רכב currus. Non infrequens est in Bibliis ejusmodi Ellipsis. Per equites septingentos non oportet tot intelligere homines, sed tot decurias, quarum singulae ex mille viris constabant: atque sic apprimè convenit Samuelis numerus cum eo, quem Liber Chronicorum commemorat.

Jetra Amasae pater prosapiâ fuit Ismaelita: Israelita verò Religione.

David boves, ligna, & aream Araunae quinquaginta emit argenti Siclis. Exindè, cùm compererat, voluisse Deum, ut eò loci templum aedificaretur, totum montem Morijah sexcentis auri Siclis mercatus est.

Divisa fuêre praesepia Solomonica in majora & minora. Majora ex minoribus decem continebant. Libro Regum intelligamus oportet minora: Libro Chronicorum majora. Quatuor enim majorum millia

minorum

minorum quadraginta millia constituunt. Hujus[c]
ansam conciliationis ipsa dederunt voces. In lib[ro]
Regum ארות, *Chronicorum* אריות. *Jod* num[eri]
nota denarii inseritur ad innuendum unum hor[um]
septorum decem priorum includere.

Jehojachin, patre adhuc regnante, in imperii co[n]*sortium fuit ascitus. Octo annos natus unà cum* pa*tre tenere cœpit principatum : verùm autem deci*[mum] *octavum annum attigerat, cùm imperium solus* [au]*spicaretur, patre ejus in Babylonem abducto.*

Liber Regum *ætatem notat Ahaziæ, cùm* pr[i]*mùm rerum potiretur.* Liber Chronicorum *æta*[tem] *regni domûs Omri usque ad Ahaziam filium* At[ha]*liæ Omri neptis. Quandoquidem ex illo* temp[ore] *quo Omri cœpit ad clavum sedere, ad Ahaziam* [an]*ni erant quadraginta duo.*

Jehojadæ Zachariæ *patri duo fuêre* nom[ina] *itaque nihil obstat, quò minùs, qui veteri* Te[sta]*mento filius appellatur Jehojadæ, novo* Bar[a]*chiæ nomine perhibeatur.*

Jeremias nominatur, ubi apud Zachariam [so]*lum reperitur textus.* Jeremias *enim in* Prophet[a]*rum posteriorum volumine primum olim tenebat lo*[cum] *uti constat ex Hebræorum monumentis. Solenne* [au]*tem est, ubi plures ad unum volumen compo*[nen]*dum sua studia contulerint, quicquid ex parte illius* [qu]*icunque allegatur, sub ejus proferre nomine, qui* [ag]*men ducit.*

Verba Paulina, Act. 13. *v.* 20. *supputati*[o] *temporum,* 1 Reg. 6. 1. *nequaquam adversa*[ntur.] *Hæc enim,* ὡς ἔτεσι τετρακοσίοις καὶ πεντήκοντα, *non* [re]*ferenda sunt ad sequentia* ἔδωκε κριτὰς· *verùm* [ad] *antecedentia, hoc sensu, Post hæc, quæ facta* [fu]*êre annis quadringentis quinquaginta, Deus dedit* [ju]*dices usque ad Samuelem. Nam Sanctus Paulus,* ...

tatis

de electione loquitur Patrum, quæ cœpit ab eo tempore, quo Ismael fuit exterminatus, & dictum fuit Abrahamo, In Isaaco vocabitur tibi semen. Ab illo tempore ad terræ, deletis Cananæis, occupationem anni erant quasi quadringenti quinquaginta: sc. ab Isaaco nato ad legis traditionem 400. à lege tradita ad introitum in Canaan 40. ab ingressu, Cananeis deletis, ad distributionem, octo. ὡς *inseritur ad innuendum, ex usu Apostolum loqui communi, qui numeros rotundare solet.*

Abiathar, cùm David panes ederet propositition, erat Sacerdos, nempe Abimeleci patris Vicarius. Verisimile est Marcum Abimileci nomen reticuisse, & Abiatharis fecisse memoriam, quippe notioris ob Ephod allatum ad Davidem, óbque Pontificatum sub insigni illius imperio diu gestum.

In describenda Christi genealogia nulla est inter Matthæum & Lucam discrepantia. Matthæus enim Josephi describit stemma: Lucas Virginis Mariæ. Jacobus pater fuit Josephi, Mariæ verò Heli. Verisimile est Lucam, cùm viderat genealogiam Josephi à Matthæo contextam, accinxisse se ad describendum etiam Mariæ genus; ut veritatis Christianæ hostibus cavillandi ansam præcideret, omnibúsque palàm faceret Jesum Nazarenum, sive Josephum patrem, sive Mariam matrem spectamus, stemmate prognatum esse Davidico. Si verba hæc apud Lucam, ὡς ἐνομίζετο υἱὸς Ἰωσὴφ *parenthetica esse dicamus, parenthesinque finiamus post* Ἰωσὴφ *hoc sensu, Jesus (* ὡς ἐνομίζετο υἱὸς Ἰωσὴφ, *ut existimabatur filius Josephi) revera filius fuit Heli, h. e. nepos ex Maria filia, conciliatio minimè coacta sed perquam commoda videtur. Hisce non dissonum est, quod tradunt Veteres de V. Mariæ patre, quasi Joachim illi fuisset nomen. Eli est vox contracta pro Eliakim.*

Joakim

Joakim autem & Eliakim idem significant, promiscuèque usurpantur. Ubi apud Lucam Neri dicitur pater Salathielis, apud Matthæum Jechonias, idem non est apud utrumque Evangelistam Salathiel. Salathiel enim Matthæi genitus fuit μετὰ μετοικεσίαν post Captivitatem Babylonis, & genuit Zorobabelem; verùm Salathiel Lucæ ante vel saltem ad initium deportationis. Quandoquidem Zorobabel filius illius, captivitate exactâ, id ætatis attigerat; ut sub ejus auspiciis populus ad patrias rediret sedes.

August. de consf. evangel. Buxtorf. Anticrit. Solom. Glass. Philo. Menasse Ben Isr. Concil.

Digitum tantùm intendo ad solutionum capita. Si cui in animo sit plura videre, adeat oportet scripta Clarissimorum Virorum qui suos impenderunt conatus, ut literas sacras ab antilogiis vindicarent. Si displiceant eorum solutiones, non illico accusanda est Scriptura, quasi laboraret antilogiis; verùm adoranda est potiùs ejus profunditas, quæ ingenii belle de humani nequit exquiri. Placuit Spiritui sancto δυσνόητά τινα inserere; ut in versandis Bibliis animus sit magis intentus; ut ferventiores sint preces nostræ pro auxilio divino; denique, ut pluris fit veritas inibi reposita. Flocci facimus, quæ trita & facilia sunt. Ex hac re asserunt Hebræi aliquot in sacris literis esse nodos, quorum speranda non sit solutio, donec venerit Elias. Haud bene merentur de Scriptura, qui cùm occurrat nodus, nec solvere conabuntur, nec Eliam manebunt: sed illico vestigiis insistunt Alexandri, qui fatalem Gordii nodum ense dissecuit, quem explicare nescivit. Cùm enim turpe ducant, suam fateri ignorantiam, protinus in librum sacrum involant, mendosum esse pronunciant, vindemque sibi castigandi sumunt licentiam, quâ solent Philologi, cùm in profanis versentur: quasi utrorumque sors esset æqualis, & in utrisque conservandis invigilaret pariter providentia. Quemadmodum

modum Deus omnium conservator est hominum, maximè verò fidelium: ità etiam librorum, maxime verò eorum, qui fidem complectuntur. Humana Solomonis scripta intercidere permisit: verùm sacra ab interitu asseruit. Εὐαγγοφασὰ commemorata divinæ voluit sapientia sacro exstare Canone, ut compertum habeant omnes, Authorem fucum nullum fecisse. Qui enim eo consilio cogitata sua literis mandant, ut Lectorem irretiant erroribus, stylum suum solent lenire, solicitóque animo rejicere, quicquid discrepare, & cum reliquis libri partibus non concinere videatur. Deceptoris verba oleo leniora sunt, Ps. 55. 21.

Nunc demum ad sextam & ultimam objectionis partem deventum est. Ipsa Autographa perire permisit divina providentia, adeò ut infallibiliter certi esse nequeamus, an cum eis nostra concordent exemplaria.

Resp. Infallibiliter certi perhibentur, qui talem cognitionis gradum adepti sunt, ut falli non possint. Ad certitudinem hanc assequendam tria requisita sunt. Proximè, ut Deus jubeat, nos in naturam objecti inquirere. Mox, ut ad naturæ humanæ indolem dispositus sit intellectus. Tertiò, ut objectum sit evidens. Cùm autem varia sint cognoscibilium genera, varia sit oportet evidentia; Mathematicorum alia, alia Moralium, alia juris, alia facti. Hoc unicè requiritur, ut quod nobis intelligendum proponitur, evidens sit, quantum fert illius natura. Ubi occurrunt hæc tria, protinus infallibilis emergit certitudo, utpote fundamento suffulta minimè fallaci, sc. Conditoris perfectione, cui ex diametro repugnat in mandatis dare, ut rei assequamur notitiam, & tamen intellectum ità formare, ut hallucinari possit, cùm objectum perspicuum sit. Perspicuitas enim unicum est κριτήριον divinitùs institutum, quo verum à falso internoscitur. In re, quam præ manibus habemus, hæc tria non desiderantur. Non dubitandum est, quin velit Deus, ut

inquiramus, an Autographis congruant exemplaria. Hoc enim scire plurimum nostrâ interest; ut si, scrutinio facto, constiterit ea non concordare, aliam investigemus regulam, ad quam fidem moresque nostros componamus. Nec ambigere oportet, an quandoque disponi non possit intellectus ad naturæ humanæ indolem. In objecto denique tantum elucet evidentiæ, quantum patitur illius natura: Quod latebit neminem qui hæc quatuor intento animo pensitat.

1. *Universalem Ecclesiæ traditionem*, unam eandemque autoritatem per omnia secula Apographis tribuentem, quam libri Prophetica Apostolicaque manu exarati sibi vendicarent, si in hunc diem perstitissent.

2. *Providentiam divinam*. Supra enim demonstratum est, Deum in animo habuisse, ut Scriptura Ecclesiæ sit amussis per omnia secula usque ad mundi periodum. Itaque fine excidet, nisi eò usque invigilaverit, ut in rebus maximi momenti non aberrent Librarii.

3. *Characteres internos*. Prius patefecimus verbum revelatum perquam necessarium esse. In necessariis autem sua non deesse solet Deus Ecclesiæ. Quin etiam non dubium est, quin viam divina elegerit sapientia ad conservandum hoc verbum convenientissimam. Huic proposito maximè quadrat Scriptura. Nulla autem est Scriptura, in qua reperti sunt tot divinitatis characteres quot in exemplaribus hodiernis. Itaque complectantur necesse est verbum Dei revelatum, ipsisque congruant Autographis.

4. *Curam Librariorum in Bibliis describendis*. Quantùm ad Vetus Testamentum, liquidò constat Hebræos ad miraculum & stuporem fuisse industrios. Illis enim longè optatius erat fata subire tristissima, quàm ultrò permittere, ut minimus interiret apiculus. Inde fuit, quòd in numerato haberent librorum singulorum versus, voces, literas, medietates. Totam legem memoriter tenebant quamplurimi. Ad curam hanc vincalis

cujus fuêre obstricti arctissimè. Nulla enim sunt invitamenta ad studium & diligentiam fortiora, quàm utilitas & honor; quæ duo apud Hebræos ex hujusce monumenti conservatione plurimùm pendebant, in quo patres eorum majoresque omnes nominatim habentur, nec non jus divinum ad Terram melle lactéque abundantem.

Quantum ad Novum Testamentum, liquebit, curam adhibitam fuisse non disparem, si in memoriam revocemus tribus primis Centuriis multa Christianorum millia Christi fidem sanguine consignâsse. Si autem apud illos tanti erat, ut pro ea animam profundere non reformidarent, sine dubio nihil illis charius fuit antiquiúsque Novo Testamento, quippe monumento unico cœlitùs dato, in quo comprehensa est hæc doctrina. Si autem Testamentum novum tanti ducebant, extra dubium est illos in eo describendo summam adhibuisse diligentiam.

Hujusce curæ specimen nobis exhibent τὰ κεφάλαια in quæ divisi sunt Codices, quibúsque rerum argumenta, alia ab aliis distinguuntur, nec non περικοπαί, sive sectiones minores, in quas divisa sunt κεφάλαια; deinde Canones juxta sectiones minores, ad concordantias Evangeliorum faciliùs inveniendas: vocum denique singularium enumeratio, uti patet ex calce versionis Æthiopicæ. Si quis de industria prima exemplaria depravare conatus fuisset, tentamen irritum fecissent ipsa Autographa & Versiones. Tertullianus seculo post Christum tertio ad Codices provocat Originales. Quinetiam adornatæ fuêre versiones quamplurimæ, pérque totum disseminatæ imperium. Omnes simul corrumpi non potuerunt, mendáque in unam earum primùm introducta reliquarum ope facilè apparuerit. Exemplaria hodierna cum primis congruere abundè liquet ex testimoniis apud Antiquos è Scriptura petitis, inter quæ nostrósque Codices summa est convenientia.

Nulli hujusce sortis rei major competere potest evidentia,

tii, [illegible], quae [illegible] emergit. Itaque cum Dei voluntas sit, ut inquiramus, an Autographis in rebus salutis [illegible] conveniant Apographa: si de illis in partem nostram propendat assensus, cui evidentia suffragatur adeò illustris; cum natura divina non videtur congruere, ut intellectum ad naturae indolem dispositum hallucinari pateretur.

Qui non obstante hac claritate, animi pendet, ad vacillandum adductus est, vel majore, vel aequali, vel minore ex altera parte evidentia. Non Majore. Tanta enim est, quam protulimus, ut in re hujusce indolis esse nequeat major. Non aequali. Quicquid enim ad testimonium perhibendum idoneum est, in partis nostrae favorem jam antea tulit suffragium. Non minore. Nemo sani judicii dubius animi esse potest, an minori evidentiae anteponenda sit major. Perinde pendulus sit, an totum sit parte majus: vel an minori praeferendum sit majus bonum. Ad majoris praesentiam minor illico evanescit evidentia ad instar minorum luminum, cum Sol supra Horizontem caput suum exerere incipiat, & Hemisphaerium nostrum radiis suis undiq; depingere. Sicut enim perspicuitas unicum est indicium coelitus datum quo verum à falso secernitur: ità in re omni quae in disquisitionem venerit, perspicuitatis gradus ex praescripto divino arbitrum induat oportet litemq; consopiat. Pariter firma est certitudo inde nascens, atq; illa, quam assequi solent, qui in Mathesi versantur. In demonstrationum claritatem non desinit Geometrarum certitudo, verùm in Conditoris nostri naturam, cui adversatur, animam humanam ità fingere, ut decipi possit; cùm adeò evidens & luculentum sit objectum. Certitudo, cujus suscepimus patrocinium, eidem fundamento innititur.

Hisce praemissis, concludere non veremur sacram Scripturam in omnibus ad salutem necessariò spectantibus esse regulam perfectam.

FINIS.

SYLLABUS
Dogmatum Leviathanis
Et Capitum Examinis.

Dogma 1.

NIhil est bonum aut malum simpliciter p. 1.
Sensus Dogmatis ibidem
Pater, Deum esse 3.
Aliquid Deo simpliciter bonum & malum ibid.
Si Deo, multò magis hominibus 5.
Ad calculos vocatur Hobbii defensio 6.
Omnia ad septem reducuntur capita 7.
Duplex Civitas, Universalis & particularis 12.
Proprietas ante Civitatem particularem 13.
Duplex pactum 14.
Non licet Belli statu in hominem innocentem sævire 15.
Obligandi vim habent verba sola 17.
De lege gratitudinis 18.
Inter ea, quæ simpliciter bona, conservatio privata primatum non obtinet 19.
Honor divinus prærogativam hanc sibi vendicat 20.
Derivatur indè moralium officiorum, & legum naturæ bonitas 22.
Occurritur objectionibus, quæ sententiam hanc infirmare videntur 24.

Dogma 2.

Quod ad actionis honorem attinet, modò actio magna & ardua sit, & proinde magnæ potentiæ argumentum, utrùm justa an injusta sit, parùm refert 27.
Honor est opinio de excellentia ibid.
Actio justa, magnáque, aliâ longè excellentior perinde magnâ, ubi deest justitia ibid.
Philosophi magis idonei honoris æstimatores, quàm Poetæ 28.
Prædones nusquam in honore, nisi apud Gentes feras, quæ latrocinia non illicita esse opinabantur 29.

Lex de furibus apud *Lacedæmo-nios* ibid.
τὸ λῃςεύειν in honore apud Græcos, significat militis fortissimi partes agere ib.
Duella apud æquos Arbitros non honorifica 30.

Dogma 3.

Deus est corpus 31.
Corporalitas cum attributis divinis minimè consistis 32.
Respondetur testimonio ex Tertulliano 35.
Patres uno ore pronunciant Deum esse incorporeum 36.
Si vox, *incorporeum*, non sit in Scriptura, tamen res inibi centies ibid.
Deum esse incorporeum patet ex Symbolo Nicæno 37.
Crimen Atheismi verbis Damasceni minimè impingendum 38.
Nescit H. ubi pedem figat, cum inficietur Spiritum 39.
Natura Spiritûs intellectu perinde facilis, ac natura Corporis 41.
Significationes vocis, *Spiritus*, in Scriptura 42.
Spiritus tertiam significat Trinitatis personam ibid.

Dogma 4.

Religionis Semen naturale consistit in metu spirituum, ignorantia causarum secundarum, cultu eorum quæ timemus, & sumptione for-

tuitorum pro prognosticis
Religio pro actibus [illegible] cultûs divini [illegible]
Actus cultûs emergunt è cognitione Numinis ibid.
Cognitio hæc lumini duplici originem suam refert acceptam ibid.
Gentium omnium consensus de existentia Numinis [illegible]
Sententia Hobbii de religionis Semine examinatur [illegible]
Origo Ethnicæ Religionis [illegible]

Dogma 5.

Status naturæ est status [illegible]
Triplex naturæ status [illegible]
Hic est de statu instituto ib.
Statu instituto non [illegible] Belli [illegible]
Fundamenta adversæ sententiæ convulsa [illegible]
In bello nonnulla injusta [illegible]
Officia charitatis eorum [illegible] nâ lege fundantur [illegible]
Mittitur H. ad formicam [illegible] discat naturæ statum [illegible]
Occurritur ejus responsis [illegible]

Dogma 6.

Unicuique jus esse omnibus viis & modis seipsum conservandi jure naturali summum est 6[illegible].
Dogmatis explicatio 6[illegible].
Lex naturæ non unicè spectat ad vitæ conservationem [illegible]
Contraria sententia cum Deo [illegible]

tum homini multùm admodum infesta ibid.
Fatetur H. ratiocinationem esse speciosam 69.
Diluitur Responsum 70.
Ratio primigenia præstandi promissa, & parendi ex pacto summæ potestati 73.

Dogma 7.

Status humani post mortem nulla est scientia 74.
Post mortem duplex status ibid.
In utriusque scientiam ducimur lumine naturæ 75.
H. non solum omnem scientiam statûs humani post mortem, verùm etiam omnem tollit fidem ib.
Vera fidei basis ibid.

Dogma 8.

Moses est prima persona in Sacrosanctâ Trinitate 76.
Hobbius errorem suum fatetur ibid.
Dum ex uno elabitur errore, alio se induit 77.
Personalitati Patris, Filii & Sp. Sancti adimit æternitatem ibid.
Definitio personæ apud H. neque Ecclesiæ, neque fori, neque theatri authoritate signatur ibid.
Potestas pro suo loquendi arbitrio Ecclesiæ perinde indulgenda, atque theatro aut foro 78.
H. eâ laborat insaniâ, cuju insimulat Scholasticos 79.
In dubio est, an *persona* sit vox latina 80.
Apud Theologos persona ὑφ-ιστάμενον νοερὸν ibid.
Qui utuntur pro persona voce, *hypostasis*, non faciunt pro tribus personis tres Deos 81.
Dissidium inter Græcos, & Latinos, de voce *hypostasis* ibid.
Synodus Alexandrina arbitrum induebat ibid.
A tempore Concilii discriminatim usurpantur οὐσία & ὑπόστασις 82.
Apud Ciceronem persona significat substantiam singularem intelligentem 83.
πρόσωπον idem quandoque significat ibid.
ὑπόστασις in N. Testamento & οὐσία distinguuntur ibid.
H. imitatur Hæreticos, qui scripturæ phrases æmulabantur, eadem quidem loquentes, non eadem sentientes ibid.

Dogma 9.

Si multi homines contra Civitatis potestatem Summam crimen aliquod commiserint capitale, propter quod nisi se defendant, exspectant mortem, habent libertatem, junctis viribus, se mutuò defendendi 84.
Dogma hoc Civitatis fundamenta

menta convellit, bellum facit in se utrinque justum, id licitum declarat, quo divinæ resistitur ordinationi, adversatur Christi Exemplo, & praxi veterum Christianorum 85.
H. in votis habet, ut Leviathan in manus alicujus Principis incidat 86.
Quatuor propugnat, quæ omnis imperii incidunt nervos 87.

Dogma 10.

Docendi potestas in Ministris à Magistratu solo immediatè derivatur 88.
Ecclesia legitimis Ministris donata ante Monarcharum conversionem ibid.
Reges Ecclesiæ Patres, non qui generant, sed qui succo alunt nutricio ibid.
Potestas docendi, quæ est immediatè à Christo, quantùm ad exercitium, plurimùm pendet à Magistratu 89.

Dogma 11.

Consilium Dei in Sacris literis differt à præcepto 89.
A præcepto diversum esse potest hominis consilium, non Dei 90.
Hæc verba, *vende omnia*, &c. particulare continent præceptum juveni datum ibid.
Mandati explicatio 91.
Consilium divinum versatur circa bonum, bonum omne tendit ad perfectionem, quod eò spectat, imperatur 92.

Dogma 12.

Cives omnes obligantur pro lege divina habere, quicquid à lege Civili pro lege divina declaratur 92.
Methodus, quâ utendum, ut sciatur, quæ lex sit divina 93.
Miracula veritatis Sigilla 94.
Miraculorum notitia per universalem traditionem ibi.
Neutiquam pugnant juberi, & fieri à Deo 96.
Magistratus donis sæpenumerò ornatur præcellentissimis, tamen extra erroris aleam non positus 98.

Dogma 13.

Sententia eorum, qui motus animi primos peccata esse aiunt, nimis severa esse videtur 99.
Motus animi ad triplicem classem reducuntur 99.
Decimi præcepti explicatio 100.
Summoperè collimat ad motus, qui titillant animum, ubi nullum est desiderium parandi rem expetitam per vim aut dolum ibid.

Dogma 14.

Hæc doctrina [quicquid facit Civis

Civis contra conscientiam suam peccatum est] est seditiosa 101.
Conscientia operam vicariam Deo impendit ibid.
Apostolus, qui od obediendum hortatur, pronunciat omne quod non est ex fide, esse peccatum 102.
Constantius Constantini M. pater in optimorum subditorum album cooptabat, qui contra imperium simulachris immolare recusaverant ibid.
Publica lex non pro conscientia habenda 103.

Dogma 15.

Quilibet Civis privatus non est judex bonarum & malarum actionum 105.
Triplex Judex ib.
Privato judicio utebantur tres Adolescentes, Daniel, Petrus, & Joannes 106.
Civitati nullum damnum ex hac doctrina ib.

Dogma 16.

Fides & sanctitas non naturaliter infunduntur, sed acquiruntur studio & ratione 107.
Scripturæ repugnat hoc Dogma ibid.
Rationi 108.
Consensui Ecclesiæ 109
Hobbius sibi non constat 111.
Defensio ad calculos vocatur 112.

Dogma 17.

Regnum & Dominium potentiæ naturaliter adhærent 112.
Quatuor argumenta adversùs Dogma 113.
Hobbii ratio nullius ponderis ibid.
Primitivus naturæ status protinus à creatione 114.
à diluvio 115.
Veteris consuetudinis usque adhuc remanent vestigia in vocibus, *Vicus, Pagus, Oppidum, urbs* 116.
Victoriâ comparatur idoneitas, jus ad regnandum populi consensu consummatur 117.

Dogma 18.

Miraculorum operatio sola non est sufficiens nota veri Prophetæ 118.
Miraculum opus vires superans naturæ ibid.
Operibus hujusmodi Deus solitus est fidem facere missioni Prophetarum 119.
Potestas miracula præstandi nunquam Impostoribus concessa ibid.
Prospectum est, ut à fictitiis vera dignoscantur miracula ibid.
Miraculorum characteribus signatorum operatio sola est nota sufficiens veri prophetæ 120.

In-

Intelligenda Mosis verba Deut. 13. de Prophetis secundariis. ibid.
Incongruè dicit H. Deum pati, ut fiat miraculum 121.
Citra miracula innotuit olim Prophetarum quamplurimorum missio 122.
Explicatur Deut. 18. 22. ib.

Dogma 19.

Literæ sacræ non sunt adeò antiquæ, ac communiter existimantur 123.
A Mose scriptus Pentateuchus 123.
Versus octo novissimi à Josua 124.
Verba hæc, *Chananæus erat in terra*, explicantur ibid.
Quid Bella Domini contra Vahebum Num. 21. 14. 125.
Nihil dictum, quod à Mose dici non potuit ib.
Historiam Josuæ schedis repertam solutis ante excessum Josuæ, Samuel in ordinem redegit hodie conspiciendum 126.
Collegit Samuel librum Judicum & Ruth ex Annalibus apud Ecclesiam conservatis 127.
De Samuelis, Regum, Chronicorum libris 128.
Quid, *Usque in hunc diem* ibid.
Liber Jobi Historicus 129.
De tempore, quo scriptus Psal. 79. 130.

Dogma 20.

In veteri Testamento plerumque, si non semper, per Angelum Idea aliqua in phantasia excitata à Deo ad significandam præsentiam divinam in operatione ejus aliqua supernaturali denotatur 131.
Angeli non phantasmata in ventriculis cerebri genita 132.
Occurritur locis ab H. prolatis 134.
Duplex Angelus 135.
De Sadducæis 136.

Dogma 21.

In Testamento novo locus nullus invenitur, unde probari possit, Angelos esse res permanentes & simul incorporeus 136.
Permanentia Angelica 137.
Immaterialitas 138.
Substantia immaterialis igne potest torqueri 139.

Dogma 22.

Regnum Dei in scriptura nihil est nisi regnum Civile 139.
Regnum Dei in scriptura aliquid regno Civili longè præcellentius 142.
Sensus Commatis 23 capitis Ef. 24. ibid.
H. videtur Judicem imitari apud

apud Eusebium, regnante Diocletiano 144.

Dogma 23.

Locus, in quo homines vitâ aeternâ perfruituri sunt, est in terra 145.
Mors duplex, duplex itidem vita 146
Paradisus, quid in scriptura ibid.
Respondetur textibus ab H. prolatis 147.
Locus Beatorum supra coelum stellatum 148.
Explicatur Joan. 3. 13. 151.

Dogma 24.

Anima post mortem ante resurrectionem non extitura est 152.
Sententia haec sacris adversatur oraculis 153.
Merces duplex 155.
Triplex animae status 156.
ἐνδιάστασις statum significat animae peculiarem protinus à morte 157.

Dogma 25.

Punitio reproborum in terris futura est 158.
Dogmati huic adversatur sacra pagina 159.
Judaeorum traditiones 160.
Ethnicorum scripta 161.
Ecclesiae Christianae testimonia 162.
Vita functorum duo tantum in sacris literis receptacula 164.
Corah à terra non absorptus 165.
Phrasis haec, *descendere in Infernum*, originem suam non desumpsit ab Abirami & Dathanis poena ibid.
Infernus non puteus infinitae magnitudinis & profunditatis 166.
In coetu רפאים quid 168.
Verba haec, רפאים sub aquis gemunt, explicantur 169.
Locus reproborum non ideo significatur per ignem, quòd urbes Sodoma & Gomorrha igne essent consumptae ibid.
Non patet, Infernum appellari tenebras exteriores à plaga Aegyptiaca 170.
Ignis infernalis non aeternus dicitur propter ignem perpetuum in valle Hinnom ardentem ibid.
Quid πυρὸς αἰωνίου δίκην ὑπέχειν 171
Sententia Hobbii de Inferno 172.

Dogma 26.

Punitio reproborum non est aeterna 174.
Dogma hoc sacris adversatur literis ibid.
Impugnat rationem 175.
Menti Ecclesiae Catholicae oppositum est ibid.
Quid mors prima & mors secunda 177.

Eadem

Eædem Personæ in Inferno permansuræ in æternum 178
Nihil nimis durum, quod de Deo dictum in sacris literis 179.

Dogma 27.

Jerusalem erit locus salvationis fidelium in regno Cœlesti 180.
Vocis, *Hierusalem*, variæ significationes ibid.
Respondetur eis, quæ prolata ab *Es*. 33. 181.
Nec non, quæ à cap. *66*. 183.
Quid *salus ex Judæis* ibid.
Quid *ex fide in fidem* 184.
Explicantur Joelis & Obadiæ vaticinia 185.

Dogma 28.

Ecclesia est res eadem cum Civitate.
Regimen temporale & spirituale verba inania sunt 186.
Regimen spirituale à civili diversum in Novo testamento 187.
Patet { in genere 188. / in specie 189.
Quid κυβερνήσεως & ἀντιλήψεως 190.
Regiminis modulum in Novo Test. in exemplum trahebant veteres Christiani 191.
Potestas Ecclesiastica non devoluta à Magistratu, nec assumpta per voluntariam confœderationem 192.
De Christianorum conventionibus ante tempora Constantini M. 192.
Celsi sententia ibid.
Origenis responsum 193.
Utriusque regiminis meta Ib.
Si collisio contigerit, quid faciendum 194.
Hobbius sibi contradicit ib.
Potestas Ecclesiastica ad Ministros pertinens, Regibus ad fidem conversis 195.
Imperium Ecclesiæ est Oeconomicum 197.
Duplex Christi mandatum, ad Ecclesiam plantandam alterum, alterum ad regendam ibid.
Officium Apostolorum non absolutè ministeriale ibid.
Prædicare auctoritatis actum 198.
Quid baptizari 200.
De clavibus Ecclesiæ 201.
Matt. 18. exponitur 204.
Cùm Incestuosus ab Ecclesia esset abigendus, judicium Apostolo soli tribuitur 205.
Excommunicatio ante captivitatem Babylonicam 208.
Excommunicatio doctrinæ causâ 209.
Excommunicationi competit vis obligatoria 211.
Ab excommunicatione damnum pati potest Civis Christianus 212.
De Scripturarum interpre[tatione] 215.
Electio Apostoli non penes totam Ecclesiam 217.
Presbyteri electi ab Apostolis 218.
Electio Pastorum non per suffragia populi 220.
Dissidium inter Damasum & Ursinum 222.

Di.

Diaconi non electi à plebe Christiana 223.
Asseritur jus decimarum 226.
Duplex potestas ordinis, vel jurisdictionis 232.
Sententia Ecclesiæ 233.

Dogma 29.

A Mose usque ad Saulis tempora summa potestas mansit in summo sacerdote 234.
Mose fatis defuncto, ad Josuam delatum fuit summum Imperium 235.
Non patet Num. 27.21. mortuo Aarone, regnum ad Eleazarum pervenisse 236.

Dogma 30.

Regnum Christi ante resurrectionem non incepturum est 238.
Probatur Christi regnum incepisse protinus à morte 239.
Hobbii argumenta diluuntur 240.
Quid παλιγγενεσία Mat. 19.28. 242.
Verba hæc, *in tempore hoc restitues regnum?* exponuntur 243.
Quid *adveniat regnum tuum* in Oratione D. 244.

Dogma 31.

Christus venit, ut Deo patri per pactum novum restitueret regnum, quod à populo in electione Saulis rejectum est 245.
Regni Theocratici descriptio ante Saulis tempora 246.
Christus non venit ad regnum tale restituendum 247.
Respondetur textibus in Dogmatis patrocinium prolatis 248.

Dogma 32.

Si quis fidelis à Principe suo legitimo jubeatur dicere, se non credere in Christum, licitum est obedire 251.
Expugnatur Hobbii sententia 251.
Textus de Naamno in domo Rimmon explicatur 252.
Respondetur dilemmati de Mahometano 254.
De Martyribus ibid.
Martyres ante Messiæ resurrectionem 255.
H. sibi non constat 256.
De lapsis 257.

Dogma 33.

Novum Testamentū ante Constantinum Magnum non fuit lex, sed consilium tutum, quod unusquisque recipere & rejicere potuit sine injustitia 258.
Lex est regula subdito data à superiore authoritatem habente ibid.
Novum Testamentum ante Constantini tempora talis regula 259.
Definitio legis ab H. prolata ad calculos vocatur ibid.
Sciri potest, quæ leges sint divinæ, citra novam revelationem aut Magistratûs authoritatem 261.
Hobbii Dilemma 263.
Decalogus, quà à Mose traditus, spectat ad universam Ecclesiam tam Christianam quàm Judaicam 264.
Pœna non spectat ad legis essentiam 266.
Si spectaret, nihilominùs doctrina

ctrina Apostolica legis naturam induere potuisset ante Constantini tempora 268.
Decreto Concilii Hierosolymitani competit legis
Materia 269.
Forma 271.
Efficiens ibid.
Finis ibid.
Peccârunt, qui ante Constantini tempora Christi doctrinam recipere noluerunt 272.
In nullo Concilio post seculum Apostolicum Scripturæ sacræ sunt Canonicæ 274.
In authoritatem inquiritur Canonum Apostolicorum 275.
De Concilio Laodicensi 277.

Dogma 34.

Licitum est Regibus Christianis administrare Sacramenta, & totum munus sacerdotale exercere 278.
Interiora domûs ad Ministrum, exteriora spectant ad Magistratum 279.
Argumentum H. diluitur ibid.
Ecclesiæ sententia 280.
Ex jure judicandi utplurimum infertur idoneitas ad munus sacerdotale exercendum, non jus actuale 281.
Imperatores Ethnici quare dicti ποιμένες λαῶν. 282.
Pastores quà tales subditi non vicarii 283.
Hobbius sibi valde diversus 284.
Praxis Solomonis extraordinaria in exemplum trahenda 285.
Cui potestas, ei competit exercitium 286.

Dogma 35.

Pastor supremus solus est, à quo fides subditorum determinari debet 28[illegible]
Fidei Christianæ propriet[illegible]
Non competunt subditorum [illegible] dei, si resolvenda sit in Pri[illegible] pis testimonium
Quæritur, an Christiani [illegible] dicrum non audiant Deum [illegible] per Magistratum loquen[illegible]

Dogma 36.

Unicus articulus, quem [illegible] lutem æternam necessariu[illegible] ciunt Scripturæ sacræ, hic [illegible] quòd Jesus est Christus
Doctrina fidei duplex
Obligatio ad credendum [illegible] mum pendet ab auxiliis
Status Quæstionis
Demonstratur, plures re[illegible] articulos
Respondetur quinque H[illegible] argumentis
Qui tenet Jesum esse Chr[illegible] non omnia tenet, quæ in[illegible] ducenda sunt, sive vim il[illegible] nis intelligit, sive non in[illegible]

Dogma 37.

Anima non est suâ natur[illegible] mortalis
Quid Immortale naturâ
Anima humana est incor[illegible]
Materia nequit percipe[illegible]
Definire
Dividere
Syllogismos co[illegible]

In methodum digerere ib.
Sentire se sentire ibid.
Memoriam rerum conservare 302.
Quod incorporeum immortale est 302.
Opinio de immortalitate animæ ortum suum non habuit à vocibus Scripturæ malè intellectis 303.
Mors sumitur pro vita in cruciatibus 304.
Anima in sacris literis aliquid præter vitam & creaturam viventem significat 305.
Quid ad Deum redire Eccl. 12. 7. 307.
Scopus Ecclesiasticis 309.
Quid Deo vivere 312.
Vox αἰώνιος, cùm applicetur ad punitionem reproborum, æternitatem non limitatam, sed absolutam denotat 314.
Sensus horum Verborum εἰς τοὺς αἰῶνας τῶν αἰώνων. 315.

Dogma 38.

Blasphemare in Spiritū Sanctū non impropriè dici potest blasphemare in Ecclesiam 316.
Refutatur Dogma 317.
Christi scopus Mat. 12. 32. ibid.
Quid Blasphemia in Spiritum Sanctum 318.

Dogma 39.

Dæmones non sunt res incorporeæ per se exsistentes, sed Idola cerebri 319.
Dæmones ὑφιστάμενα incorporea 320.
De Dæmonum exsistentia testimoniū perhibet sortilegiū 321.
Apparitiones 325.
Obsessiones 328.
Dæmonologia 332.
Hebræorum Dæmonologia non à Græcorum scriptis 334.
Christus non solùm asserit spiritus esse, verùm etiam incorporeos 335.
Quid σῶμα πνευματικόν 336.
Christus ductus in desertum & in montem positus reipsa, & non κατὰ φαντασίαν 337.

Dogma 40.

Scholæ hactenus inutiles fuere 340.
Artium Origo sermoni ferè coæva 341.
Chaldæorum & Ægyptiorum Sacerdotes & Persiæ Magi, non primi philosophiæ professores 342.
Origo philosophiæ & artium in Græcia. 343.
Tres Sectæ, Eleatica, Italica, Ionica, ante Platonis Academiam aut Aristotelis Lycæum 344.
Discrimen antiquitùs inter Scholam & Synagogam ibid.
Mathematici peritissimi *Scholæ* Alexandrinæ alumni 345.
Plato institutus Scholâ Socraticâ, Megarensi, Cyreniacâ, Italicâ, Egyptiacâ ibid.
Defensio Scholæ Peripateticæ 346.
Specimen Dialecticæ 348.
Argutiæ longè plures in computatione Hobbiana 351.
Rhetorica *Scholæ* Peripateticæ ibid.
Utilitas { Scholæ Druidum 352. Scholæ Gymnosophistarum ibid. }

Utilitas

Utilitas { Academiarum Arabicarum 353. / Scholæ Tarsensis 354.
Academiæ in Veteri Test. 355.
Alumni Academiarum sacra oracula
Scriptis mandârunt 356.
Consignârunt Canonẽ 357.
Masoram excogitârunt ib.
Simeon, qui cupidis ulnis Jesum amplectebatur, Academiæ alumnus 358.
Gamaliel Simeonis filius, eodẽ institutus Gymnasio, Christi præconibus favebat 359.
De oratione adversùs hæreticos Gamalieli à Maimonide attributâ ibid.
Judæi doctrinam deserunt antiquarum Scholarum 360.
Quæritur, quid damni religioni attulerit philosophia in Ecclesia primitiva usque ad Concilium Nicænum ibid.
Platonica philosophia in maximo honore tempore primitivæ Ecclesiæ 361.
Non patet philosophiam Peripateticam originem dedisse sectis & hæresibus 362.
Vera Sectarum origo 363.
Descendit H. ad secula concilium Nicænum sequentia 364.
Athanasius vindicatur à calumniis 365.
Proximè devenit H. ad tempus, quo rerum potitus est Carolus M. 367.
Triplex ætas Theologiæ Scholasticæ 368.
Hebræi, *est*, utuntur vice copulæ 369.

Vox *essentia* in Scriptura
Philosophia apud *Sanctum* P[aulum] non Peripatetica, sed ...
λεκτική
Theologia Scholastica ...
Bella in Europa non ab A[ri]stotelis Ethica & politica ... losophiâ
Hobbii fides
Decalogus

Dogma 41.

Hæc doctrina [Christus est æternus Dei filius] non ... obligare conscientiam
Filiatio Christi æterna asse[ritur] Scripturâ, & ratione
Doctrina hæc est creditu ne[ces]saria
Defensionis Dogmatis Ex[amen]

Dogma 42.

Deus est causa peccati
Vindiciæ divinæ puritatis
Natura permissionis
Deus causa prima efficiens, ... deficiens
Discrimen inter actum, ... congruitatem actûs
Subtilitas, quam H. docet ... lasticos, crassissima est bl[asphe]mia
Series divini Consilii de ... num salute
Præteritio providentiæ di[vinæ] consentanea
Nullum decretum ad da[mnati]onem absolutam
Libertas humana non ... omnipotentiam, omnisc[ienti]am, aut libertatem divinã ...

F I N I S.

Idea Theologiæ Leviathanis:

In qua proponuntur

1. Leviathanis Dogmata,
2. Dogmatum defensio ab Authore.
3. Defensionis Examen.

Dogma I.

Nihil est bonum & malum simpliciter. c. 6. p. 26.

QUicquid appetitûs in homine quocunque objectum est, idem illud est, quod ab ipso appellatur bonum. Similiter id, quod aversionis in ipso & odii causa est, ab ipso appellatur malum. Voces enim bonum & malum & vile ntelliguntur semper cum relatione ad personam, uæ illis utitur; cùm nihil sit simpliciter ità, neque lla boni & mali & vilis communis regula ab ipsorum bjectorum naturis derivata: sed à Natura (ubi ivitas non est) personæ loquentis; vel ubi est, per- onæ civitatem repræsentantis; vel ab arbitro vel udice constituto, *Lev. c. 6. p. 26.* *H.*

Ut neminem lateat hujus Dogmatis indoles, præ- ittendum est, 1. Juxta tuam ipsius sententiam Na- rà ità comparatum est, ut quisque ad suæ conser- ationis & utilitatis expetitionem quàm maximè fe- tur. 2. Quid utile, aut inutile sit, jure Naturæ t penès uniuscujusque arbitrium statuere. 3. Id lummodo bonum censendum est, quod utile; & *T.*

id malum, quod inutile naturis suis in statu Natur[æ] singuli, in statu Civitatis præpositi arbitrantur. Idcirco cùm asseras nihil esse bonum simpliciter, hoc tibi in animo est, nempe nulli rei hoc nomen competere simpliciter, & in se consideratæ, sive ad offici[a] spectat hominum mutua, sive ad cultum Dei naturalem: verùm solummodo πρός τι, quatenus scilicet ad conservationem & utilitatem conducit personæ, qu[æ] illâ utitur.

Quicquid prioris est generis, bonum esse opinaris; quippe officiis illis insuper habitis, nemo semetipsum conservare poterit. Leges enim naturales, quibus hæc officia in nos devoluta sunt, pacis appell[as] articulos, quos humana suggerit ratio, utpote conscia in statu belli (qualis est Naturæ conditio) sperari non posse, ut diu conservemur.

C. 14. p. 66.

Quicquid posterioris generis est, ideo bonum arbitraris, quippe homines divinæ potentiæ, velint nolint, subjiciuntur. Propterea singulorum inter[est] paratissimum spondere obsequium; anxiè declina[re] quicquid iram commoveat: ut hoc pacto potenti[am] ejus, cui nequeunt resistere, sibimetipsis propiti[am] reddant. Et sic bonitatis cujuscunque rationem [in] privatam resolvis conservationem, & utilitatem, qu[am] statuis esse bonorum primum; & cætera omnia e[a]tenus hoc nomen mereri, quatenus ad eam promovendam conducunt.

C. 31. p. 167.

Ut sententiam huic adversam demonstremus, [tria] probanda sunt.

1. Aliquid est bonum & malum simpliciter, [citra] privatæ utilitatis & conservationis intuitum.

2. Inter ea, quæ simpliciter bona sunt, primat[um] jure non vendicat conservatio privata.

3. Prærogativa hæc unicè Supremi Numinis competit honori, qui officiorum nostrorum omnium fi[nis] est.

Quod

Quod ad primum attinet, ut scilicet aliquid esse bonum & malum simpliciter, h. e. in se, semper, ubique, nec non omni personæ (& non tantùm pro certo statu & tempore quatenus ad utilitatem aut inutilitatem confert) demus demonstratum, res paulo altiùs repetenda est.

1. *Deus est.* Hoc liquidò constat ex canone sacro, cujus autoritatem exercitatione superiore asseruimus. Gregorius M. paginam sacram Epistolam Creatoris ad Creaturam appellat: Nuncia sc. Ecclesia Catholica continuâ successione per omnia secula hanc epistolam tandem ad nos detulit, unà cum hoc testimonio, quòd numinis supremi manu exarata est. Sigillum, quo obsignatur, est ejusdem numinis annulus signatorius, sc. miracula præstita in veritatis inibi repositæ assertionem. Epistolâ resignatâ, nomen Dei protinus in conspectum datur. [*Sic ait Jehova, Sic dixit Dominus*] nobis ad legendum accinctis characteres se illico produnt, quos Deus solus potuit imprimere. Hi in vaticiniis, præceptis, fidei dogmatibus, summopere elucent. Quàm plurima per totas literas disseminata sunt, quæ indolem plusquam humanam aut Angelicam recipiunt. Ex hisce liquet, quicquid literis acceptis fidem faciat eas non esse fictas, sed reipsâ missas ab amico, cujus esse prætenditur, in hac sacra Epistola non desiderari; scilicet tabellionis testimonium, sigillum, nomen subscriptum, characteres peculiares. Hoc pacto in notitiam ducamur supremi Numinis lumine revelato. Existentia ejus infrà pleniùs patebit lumine innato, & illato; cùm Dogma de naturali Religionis semine excusserimus.

2. *Aliquid Deo simpliciter bonum & malum est.* Necessitate enim naturæ obstringitur, semetipsum, utpote præstantissimum bonum, intentissimo amoris ardore amplecti; Suum unigenitum filium unicè depe-

sire. Quinetiam, quantum ad Creaturam rationalem, immensâ suâ perfectione obligatur quoad articulos fidei, morum præcepta, solutionem promissorum. Quandoquidem 1. præcipere non potest, ut fides à nobis accipiatur, quod veritati dissonum est; puta ut his propositionibus fidem habeamus, *Deus non est*; *Deus non est omnigenâ scientiâ præditus*; *Veneratio maxima Deo non debetur*; à veracitate divina prorsus abhorret hujusmodi axiomata in articulos fidei cudere. 2. In mandatis dare nequit, ut illum non depereamus, ut suis non pareatur præceptis, ut divino cultu impertiamus Diabolum, ut proximi nostri invidiâ flagremus, ut imaginem divinam nobis impressam intemperantiâ & temulentiâ deleamus. Si Deus hæc nobis præciperet, sua ipsius subrueret attributa, & margaritis, quibus coruscat Cœlestis corona, splendorem omnem adimeret. 3. Fidem suam non potest non reluere. Promissis enim stare est una earum rerum, in quibus ἀδύνατον ψεύσασθαι τὸν Θεόν, *Heb.* 6. 18. Non liberare fidem, immutabilem Dei veritatem funditus evertit. Ut compendifaciam; Si nulla sit bonitas in signo rationis liberam divinæ voluntatis determinationem præcedens, Deus, si velit, jubere potest, ut mendacio habeatur fides; ut suis ipsius jussis detrahatur obedientia: Denique, cùm cœlum spondeat, quatenus scimus, infernum minetur; cùm vitam, mortem; cùm gaudia superna, dolores infernos. Imò fieri non potest, ut aliqua sciamus explorate, quid sibi velit. Neutiquam fas est asserere, quæ commemoravimus, ex ea re sola Deo bona aut mala esse; quippe quòd ad conservationem & utilitatem conducant: quandoquidem necessariò adeò divina existit essentia, ut nullo pacto destrui possit, & in nihilum abire: & adeò immensa est, & omnigenâ perfectione instructa, ut nulla nova utilitas ei possit accedere.

3. Si

3. Si quid Deo bonum & malum sit simpliciter, & in se, citra utilitatis aut incommodi intuitum, sunt multò magis hominibus. 1. Deus condidit hominem ad suam ipsius imaginem; & imago in omnibus Archetypum referre debet. Consistit hæc imago in conformitate non tam ad liberos divinæ voluntatis actus, qui revelatione solâ innotescunt, quàm ad naturam & essentiam divinam. Hinc ubi post lapsum renovatur, homines illi θείας φύσεως divinam naturam accepisse perhibentur. Cùm in essentia divina ratio boni & mali immutabilis reposita sit, & nemini liceat mortalium illud adire sacrarium, & eam inibi repositam immediatè exploratam habere; Summo numini pro bonitate (quâ pollet) infinita, visum est ejus lineamentum ducere, & animæ imprimere humanæ, quod nomine Rectæ Rationis passim insignitur. 2. Plurima, quæ simpliciter Deo bona & mala sunt citra utilitatis aut inutilitatis intuitum, ad homines tantundem spectant; ut quæ bona sunt, non possint non imperari, quæ mala, non interdici. Exempli gratiâ, in Deum credere, Deo parere, Deum colere, imaginem Dei sive in nobis sive in aliis non perimere, in genere boni: Actus hisce contrarii in genere mali. Etiamsi Deo liberum sit hominem condere, vel non condere; tamen Creatione semel peractâ, obligatio ad hæc jura servanda protinus emergit, quam nemo in statu quocunque, sive Naturæ sive Civitatis, poterit excutere. Cujuscunque simus ordinis, creaturæ sortem vel relationem nusquam deponere valemus. Et hæc jura sive ad hujusce vitæ conducunt commoda, sive non conducunt, tam insolubili nexu cum hac relatione conglutinantur, ut nullo pacto queant divelli. A Deo in genere moris, atque entis pariter pendemus. 3. Deus in uniuscujusque pectore testem inclusit ad notandum, ubi jussis hisce paretur, aut denegatur obedientia. Enimverò, ut notum

fiat actuum prædictorum bonitatem utilitati originem suam non referre, plerumque inexpugnabili horrore reus suffunditur, ubi scelere patrato plurimum mundani emolumenti acquiritur, & nullus omnino e judicio in foro humano exoritur metus.

Proximè perpendenda sunt in sententiæ tuæ patrocinium prolata. Perlibenter tibi concedo, Quicquid appetitûs in homine quocunque objectum est illud est quod appellatur bonum; Similiter, Id quod aversionis in ipso & odii causa est, ab ipso appellatur malum: Verùm non indè sequitur, id esse veri nominis bonum aut malum, quippe ità appellatur. Cujusque in fæce Adami via est pervulgata malum boni titulo insignire, & bonum mali nomine dehonestare. Fateor id vile appellat quisque, quod ipse contemnit; tamen vilitas, utpote causa contemptûs, ipso contemptu prior est: sicut bonitas, utpote causa appetitionis, & malitia, utpote causa aversionis, ipsam appetitionem & aversionem præcedunt. Voces bonum & malum & vile intelliguntur semper cum relatione: Verùm relatio duplex est, vel ad personam, vel ad regulam. Relatio ad personam bonum & malum non constituit; (sæpenumero enim evenit, ut appetat persona, quæ revera nociva sunt) verùm relatio ad regulam, sc. rationem rectam, quâ persona imbui tenetur. Et ratio tum recta habenda est, cùm Archetypæ & primævæ rationi in mente divina conformis sit. Cùm adjicias nihil esse bonum aut malum simpliciter, nec ullam boni, mali & vilis communem regulam ab ipsorum Naturis objectorum derivandam esse; animadvertendum est, objectum eò usque bonitatem in actum derivare, ut actus in genere plerumque ejus ope in certam determinetur speciem. τὸ amare in genere mediæ est naturæ, verùm indifferentiæ statum exuit, & in numerum bonorum aut malorum cooptatur pro

objecti

objecti indole: Si in Deum terminetur, protinus bonus hic evadit actus; si in Diabolum, malus. Nihil opinor citiùs te inducturum fore ad credendum aliquid bonum & malum esse simpliciter, quàm boni & mali Ideas suprà commemoratas in memoriam revocare, quæ in mente Divina repositæ fuêre in signo rationis, ante omne decretum de hominibus aut civitatibus condendis, nedum de conservationis aut utilitatis mediis. Regula boni & mali indè petenda est; & non ab hominis sive publici sive privati naturâ, aut voluntate. Ratio cujusque est tantùm regula regulata. Regula regulans est Idea in summi numinis mente: Ex hac re, nondum homine condito, aut interpositâ Divinâ autoritate, aliquot eò usque bona fuêre, ut in mala non potuerint formari; Alia usque adeò mala, ut nullo positivo præcepto potuerint bona evadere. Quid tibi videtur de odio Dei? nonne simpliciter malum censendum est? Quid de Dei amore? nonne tantum bonitatis in se complectitur, ut à Deo ipso interdici nequeat? Pro congruentiæ aut discrepantiæ gradu inter actum aut objectum, solenne est de actûs bonitate aut malitia statuere: verùm inter τὸ amare & Deum tam arcta est connexio, ut nullo pacto queant divelli. Quemadmodum propositio vera habetur, cujus subjectum & prædicatum insolubili nexu conglutinantur: Ità præceptum hoc [Deus est amandus] necessariò & simpliciter bonum censendum est; quippe membra illius pariter conveniunt. Summa enim in eo elucet ratio, sc. ratio objectiva, quæ in congruentia inter actum & objectum consistit: ratio etiam subjectiva, sc. facultas rationalis in anima ad primum intuitum hanc congruentiam agnoscit. Ut hæc omnia magìs distinctè & articulatim teneantur, ea ad septem reducam capita.

1. Id bonum censendum est, quod conveniens; & malum, quod inconveniens est.

2. Convenientia, in qua sita est boni natura, aliud nihil est præter congruentiam cum bonitatis regula.

3. Regula bonitatis primæva est lex sive ratio æterna & immutabilis in essentia divina, quæ in signo rationis liberos divinæ voluntatis actus præcedit. Talem regulam extare abunde innotescit ex voluntate divina, quæ, quemadmodum nonnulla bona effecit, quia voluit; ità alia voluit, quia bona.

4. Id simpliciter est bonum, quod huic regulæ conforme est. Si ratio in essentia divina sit immutabilis & necessaria; tum quicquid cum ea concinit, necesse est, ut sit bonum simpliciter & in se immutabile, & non contingens pro vario rerum & personarum statu, quatenus conservationi aut utilitati inserviturum sit.

5. Hujus regulæ sive rationis æternæ exemplar ab incunabilis rerum animæ humanæ insculptum fuit. Homo ad Dei imaginem formatus est. Ex hac re Deus, ut in providentiæ operibus suam expurget Justitiam, & omnem de se demoliatur culpam, plerumque ad homines provocat, & juxta hanc regulam, *Es. 5. 3. Ezech. 18. v. 25.* animæ humanæ impressam, de suorum operum æquitate & bonitate judicari permittit. Minimè fas est tecum asserere, quasi homo nasceretur solummodo quinque sensuum satellitio stipatus, & nullæ omnino essent ei *Lev. ch. 5. p. 12.* facultates, nisi quæ in instructione & disciplina initium habuerint. Rerum enim Satori placuit, non solùm corpora gravida facere seminibus, quibus ad sua munia reddantur habiliora; verùm etiam animum humanum. Sunt enim Semina quædam sive principia ei à natura indulta, quorum subsidio citra disciplinam idoneus reddatur ad munus suum palmarium; quod est, ut æquum ab iniquo, bonum à malo secernat, & internoscat. Hinc de gentibus dicitur, Quòd ἑαυτοῖς εἰσι νόμος, sibimetipsis lex sunt, Rom. 2. v. 14. & quòd ostendunt

ostendunt opus legis, γραπτὸν ἐν ταῖς καρδίαις αὐτῶν, scriptum in cordibus suis. Quinetiam, quod de Deo sciri expedit, φανερὸν ἐστιν ἐν αὐτοῖς, manifestum est intra ipsos, Rom. 1. 19. Inter ea quæ in ipsis manifesta sunt, numeratur θειότης Divinitas, v. 20. sive divina illa ratio in Supremi Numinis essentia, ad quam bonitas moralis, tanquam ad norman Archetypam, exigenda est. Hanc Deus eis perhibetur manifestam fecisse, αὐτοῖς ἐφανέρωσε, v. 19. lumine sc. innato, quod vel è reliquiis imaginis Dei, ut ut per peccatum conspurcatæ, emanat; vel quod post imaginem penitus deletam de novò generi humano in commune indulgetur, humanæ societatis ergò; ne homines ob rationis defectum, quàm primùm nascuntur, sui obliviscerentur generis, & in bestias degenerarent.

Nobis in hac re accedunt alii. Lex naturæ à Philone Judæo exarata dicitur ὑπ' ἀθανάτου φύσεως ἐν ἀθανάτῳ διανοίᾳ ab immortali natura in mente immortali. Notum est illud Epicharmi apud Clementem Alexandrinum & Eusebium, *L. Quòd omnis probus liber.*

Ὁ δέ γε τοῦ ἀνθρώπου λόγος πέφυκεν ἀπό γε θείου λόγου,
Ratio hominis ratione ex divina sata est.

Præpar. Evang. L. 13. c. 13. p. 682.

Hinc Antonius Imperator uniuscujusque mentem ἀπόσπασμα appellat, particulam à Jove avulsam: & Hierocles ἔνοικον θεὸν Deum inhabitantem. *Par. L. 5. εἰς ἑαυτὸν parag. 27.*

6. Hujus regulæ sive æternæ rationis exemplari, quàm plurima sunt, quæ in signo rationis ante omne de conservatione consilium conveniunt. Ut, exempli gratiâ, parentibus præstare obsequium, miseriâ laborantibus suppetias ferre, grato animo beneficium acceptum pensare. Hæc sunt primitiva rationis dictamina, & non theoremata (uti inquis) de rebus, quas ad conservationem conducere autumamus. Antequam enim homo de sui conservatione iniverit consilium, actus hosce albo dignatur calculo: & con-

trariis moralem turpitudinem adhærere pronuncia[t]. In ætate tenella propensio ad bene aliis faciendum [s]e prodit, uti notavit Plutarchus ; nec non misericor[-] diæ specimina sponte erumpunt. Officia commemo[-] rata menti humanæ adeò congrua sunt, ut non poss[it] eorum æquitatem & bonitatem jam tum non agno[-] scere, cùm præstatio nullum mundandum compendi[um] allatura sit. Hinc si homines præ hujus vitæ amor[e] aliquando inducti sint ad patrandum aliquod his[ce] officiis contrarium, protinus cæco conscientiæ ver[-] bere vapulant, & gravissimas luunt pænas. Qui e[-] quuleo positi, & nervis & fidiculis excruciati sunt, do[-] lorem non sentiunt acutiorem. Hinc cecinit Poeta,

Illud habet damni vitium inter cæterea, quòd mens
Palpitat assiduo flagitiosa metu.
Semper enim vel si non deprendatur in ipso,
Sese deprendi posse putat scelere.
Deque suo, alterius quoties de crimine sermo est,
Cogitat, & credit se magis esse reum.

Unde obsecro hæc emergit molestia, nisi ex sens[u] convenientiæ operum prædictorum cum ratione an[te] omne de conservatione aut utilitate consilium? Pa[s-] sim enim grassatur, etiam ubi genus humanum in [je-] cundis est, & omnia, quantum ad statum extern[um,] fluunt ad voluntatem. Enimvero adeò rationi con[-] veniunt hæc munia, ut ab animalibus, ubi umbr[a] tantùm rationis primitivæ reperitur, quandoque præ[-] stati videantur. Observavit Philo Judæus, quòd ca[-] nes, ubi aluntur, beneficio vicem rependunt : de[-] fendunt enim domum, pro heris moriuntur, si quod subitò periculum eos contigerit. Ciconiarum sen[es] volare invalidæ in nidis manent, dum soboles earu[m] per omnes terras mariáque volitant, victum undiqu[e] parentibus quærentes. Notat Porphyrius, Columb[a-] rum mares ova vicibus fovere ; & fœmellam, si d[e-]

Ad Decal. pr.

περὶ ἀπο-χῆς L. 3. p. 131.

tius

tiùs evigetur, rostro tundentes ad ova & pullos compellere.

Si homines aliquot reperirentur adeò inhumani, ut juribus commemoratis album calculum adjicere renuerent; id nihil moramur, dum moratiores omnes, præsertim illi, in quibus æternæ rationis exemplar per gratiam renovatur, æquiores longè arbitri, aliter sentiant. Si animus nobis pendeat de congruentia officiorum prædictorum cum natura rationali citra commodi aut incommodi intuitum, quippe ab aliquot vitæ inconditæ & incultæ vix ægrè agnita sint; eâdem lege pendulus stet animus & in dubio sit de mellis dulcedine, eò quòd palato morbido & vitioso quandoque amarum videatur. Hinc apposité dictum est ab Andronico Rhodio, παρ' ἀνθρώποις τοῖς τι ὀρθῶς ϗ ὑγιῶς ἔχουσι, ἐστιν δίκαιον ἀκίνητον· Apud homines rectâ 'sanâque mente præditos, immutabile est Jus illud 'quod Naturæ dicitur. Quòd si his, qui morbido '& distorto sunt animo, aliter videtur, nihil ad rem 'pertinet; nam nec mentitur qui vel mel dulce esse 'dicit, ideo quòd ægrotis aliter videatur. *Vid. Grot. de jure Belli & pacis, L. 1. c. 1. p. 6.*

Quàm plurimi sunt (ut Justini Martyris verbis utar) qui τὰς φυσικὰς ἐννοίας ἀπώλεσαν naturales notiones perdiderunt. Oculis orbatus æquè bene de coloribus ferat judicium; atque tales homunciones de rerum cum ratione congruentia.

7. Si hæc officiis exemplari animæ humanæ insculpto consentanea sint, & hoc exemplar legi in essentia divina immutabili congruat, & hæc lex sit primæva bonitatis regula, & omne, quod huic regulæ convenit, sit simpliciter bonum; consequentiis non invitis concludamus, officia prædicta non solùm ὠφέλιμα, quatenus ad conservationem & utilitatem conducunt; verùm etiam simpliciter bona esse, & eis contraria simpliciter mala. Hinc est, quòd apud Antiquos Themis sive Jus non solùm Terræ perhibeatur filia;

filia; verùm etiam Cœli: & Aſtræa ſive Juſti-
filia Jovis & Themidos. Ex ea re fingunt Poe-
eam cùm terram reliquiſſet, in Cœlum protinus ave-
lâſſe, unde ortum ſuum derivaverat.

H. Juſtitia eſt voluntas conſtans ſuum cuique trib-
endi, ubi ſuum non eſt, *i. e.* ubi proprium non e-
ibi juſtum nihil eſt, & ubi civitas non eſt, propr-
nihil eſt. Juſtitiæ autem eſſentia conſiſtit in pr-
ſtatione pactorum, quæ tunc valida eſſe incipiun-
quando conſtituta eſt Civitas. Itaque Civitas, Pr-
prietas bonorum, & Juſtitia ſimul nata ſunt, *p.* 73.

T. Hoc in loco ſtudia tua inflectis ad probandum nul-
lam eſſe Juſtitiam æternam; verùm unà cum Ci-
tate naſci omnem: quippe Juſtitia ibidem ſolum-
modò eſt, ubi proprietas, & proprietas omnis
civitate exordium ducit.

Verùm notandum eſt, civitatem duplicem eſſe;
alteram univerſalem, particularem alteram. Univer-
ſalis eſt totus mundus, cujus cives naſcimur univerſi,
Particularis verò civitas quæque legibus huma-
fundata.

τῶν εἰς ἑαυτὸν L. 4. p. 24. Ad vivum depingitur Univerſalis ab Antoni-
Imperatore, εἰ τὸ νοερὸν ἡμῖν κοινὸν, καὶ ὁ λόγος,
ὃν λογικοί ἐσμεν, κοινός· εἰ τοῦτο, καὶ ὁ προστακτικὸς τῶν
τέων, ἢ μὴ λόγος κοινός· εἰ τοῦτο, καὶ ὁ νόμος κοινός· εἰ τοῦτο,
πολῖται ἐσμεν· εἰ τοῦτο, πολιτεύματός τινος μετέχομεν·
τοῦτο, ὁ κόσμος ὡσανεὶ πόλις ἐστί. Si intellectus no-
communis eſt, etiam ratio, quâ rationales dicim-
communis eſt: ſi ratio, etiam ea, quæ quid agendu-
quid omittendum præſcribit, ratio communis eſt:
hæc, lex quoque communis eſt: hoc ſi conceditur, ci-
ves ſumus; & hoc dato, politiæ alicujus participes:
ex conſequenti civitatis inſtar mundus eſt. Hisc

Tuſc. l. 5. conſonum eſt illud Ciceronis: Socrates cùm roga-
retur, cujatem ſe eſſe diceret? mundanum inqui-
totius enim mundi ſe incolam eſſe & civem arbitra-
batur.

batur. Nec non illud Tertulliani, Unam omnium rempublicam agnoscimus mundum. *Apol. c.38.*

Communitati huic præsidet Deus. Legem tulit hâc propositione complexam, *Numen honore afficiendum est.* Hanc promulgavit Ratio cœlitus indulta. Etenim inter naturam Numinis & honorem nodum percipit insolubilem, qui manu aliâ nullâ præterquam divinâ potuit connecti. Hinc inter omnes convenit Numen esse, quod honore impertire devincti sunt. Ex hac re evenit, quòd Deorum sacrificia & ritus Honores appellantur. Hoc sensu dixêre Poetæ, indicere Honores, mactare Honores, instaurare Honores, *Briss. de form. l. 1. p. 29.*

Ipse suos adsit Genius visurus Honores.

Hinc etiam illud Quintiliani: Præcedat enim aliquid semper necesse est, ut in ludis, Honor Deorum. Hujusce legis sanctio in sævis acutissimísque conspicienda est animi doloribus, de quibus sæpenumerò conquesti sunt Ethnici, cùm omisissent, quod ad Deorum Honorem conferre opinabantur. *L. 3. c. 10.*

Hisce prælibatis nullo negotio ostenditur proprietatem unà cum civitate particulari non nasci. Ratio in universali, quæ nexum percipit inter honorem & Rectoris naturam, facillimè insuper exquirit, quæ honori illius agglutinantur. In horum album non immeritò Ordinem ascíscit. Subditorum enim ordine plurimùm elucet Rectoris Majestas. Et Proprietas Ordóque comites sunt, qui divelli nequeunt. Ordo est quasi ὅρον δῶ inquit Scaliger; terminum innuit, quo circumscribitur & definitur jus privatum. Statum itaque sensu tuo politicum præcedunt dominium & proprietas.

Imò antequam homines in societatem particularem coaluissent, Dei ipsius fuêre: æternâ enim lege obstringebantur singuli ei obsecundare, nec non mutua charitatis officia inter se commutare. Imò etiam ante

ante Civitatem constitutam in proprietatem e
iverunt bona mundana. Passim convenit ; ut quisq
pro suo habeat, quod ipse primum occupaverit. Hi
Ruth 4. 8. antiquitùs obtinuit, cùm dominium alii transfere
dum esset, exuere calceum (quo possessio prim
obtinetur) in signum juris translati : possessio e
nihil est nisi pedis positio. Et si proprietas p
cesserit civitatem, idem asseramus necesse est de j
stitia & injustitia. Hinc est quod dixerit Q
lianus, ' Si hæc conditio est, ut quicquid in usum h
' minis cessit, proprium sit habentis, profectò q
' quid jure possidetur, injuriâ aufertur. Cùm
cias, quòd justitia consistit in præstatione pactoru
notandum est, quòd duplex sit pactum, nempe N
turæ & Civitatis. Antequam enim Civitates con
tutæ fuerint, passim innotuit pactum Naturæ. De
enim cum genere paciscitur humano : etenim cult
postulat sibi exhibendum, nec non, ut quisque al
faciat quod sibi fieri vellet. In hujus obedient
compensationem mercedem pollicetur. Illa p
pacti, quæ ad officium spectat, passim per totum
bem agnoscitur. Altera de danda mercede peri
comperta est. Ubique Gentium scitur, quòd bo
bene futurum sit, & malis malé. In hujus pa
præstatione constitit justitia ante Civitatem co
ditam.

H. Ante summam potestatem constitutam, erat j
omnibus in omnia, quod erat causa Belli. Regul
ergo, quibus definiuntur Meum & Tuum, & in acti
onibus bonum & malum, licitum & illicitum, à qu
bus dependet pax Civitatum, ab habente summam p
testatem præscribendæ sunt. *c.* 18. *p.* 89.

T. Si homines (ut tua fert opinio) ex terra tanqua
tot fungi nascerentur ; tamen eorum omnibus jus
competeret in omnia. Quilibet fungus illam terr
partem sibi jure vendicaret, ubi nascitur. Eten

ubique

ubique Genitum potior est conditio possidentis. Bellum, quo vexatur genus humanum, ex jure omnium in omnia nequaquam exoritur; verùm ex inordinatis animæ cupiditatibus, quibus singuli ad sua repagula perfringenda feruntur, & in aliena involant jura. Libentissimè concedimus, regulas, quibus bonum & malum, licitum & illicitum definiuntur, ab habente summam potestatem præscribendas esse; Verùm non indè bene infertur, earum regularum aliquot à Deo priùs non fuisse præscriptas. Etenim suprà demonstratum dedimus, boni & mali rationes in essentia divina fuisse definitas, ante liberum divinæ voluntatis actum, nedum ante edictum Magistratûs Civilis: Et rationes hasce lumine naturæ satis manifestas, Magistratûs est subditis suis præscribere, gladio civili munire, ne quis eas temerare audeat. Si intra Civitatem solam bonum & malum, licitum & illicitum definiantur, tum homines innocentes, si cives non sint, liceat eâdem tractare humanitate, quâ Davidis legati ab Ammonitarum Rege fuêre excepti, nempe barbas abradere, vestes præcidere; immò parum hoc est; Fas est insuper idem facere, quod factum legimus, cùm David contumeliam ulcisceretur, sc. serris ac securibus innocentiam candidissimam subjicere, & per fornacem Moleci traducere. *Jac. 4. 12.*

In hominem innocentem mali cujuscunque inflictio, si civis non sit, si sine præcedentis alicujus pacti violatione fiat, si denique eo fine fiat, ut juvetur civitas, legis naturalis transgressio non est. Omnes enim homines, aut cives sunt aut hostes, aut pacto inter Civitates amici sunt. Sed contra hostes à Civitate judicatos, à quibus damnum Civitati expectatur, jure Naturæ bellum facere licitum est. In quo bello neque gladius judicat, neque victor distinguit, quatenus ad tempus præteritum, inter nocentes & innocentes; neque cuiquam parcit, nisi quatenus conducit *H.*

conducit ad salutem civium. c. 28. p. 149.

T. Eò redeunt hæc omnia, ut ostendas in hominem innocentem extra Civitatem, utpote in statu belli, quodvis malum infligi posse. 1. Si Homo innocens extra Civitatem quovis malo citra injustitiam excruciari possit, quippe quòd hostis est, & in statu belli: pariter dicas innocentem ideo posse ad libitum torqueri; propterea quòd innocens non est. Qui enim hostis est, & in statu belli, utpote stans in procinctu ad nocendum, vix in albo innocentium nomen meretur. 2. Extra Civitatem quilibet hostis non habendus est. Status naturæ non est belli status; uti constabit, quum ad dogma 5^tum^ fuerit deventum. Refugiunt hostes, alter alterum, & familiaritatem repudiant: Verùm homo naturâ societatis cupientissimus est, animâ induitur notitiæ avidâ, gaudióque non mediocri afficitur, cùm occasionem nactus fuerit cum aliis serendi sermonem; & quæ didicerit, impertiendi opportunitatem. 3. Si status extra Civitatem esset status Belli; (quod à veritate longè abhorret) tamen non indè sequitur, quòd liceat in hominem innocentem sævire. Qui militem induit, non suam exuit humanitatem: ex metallo confectus est ejus gladius non adeò duro; quin remollescat quandoque, & liquefiat. Solenne est in bello fœminis & pueris parcere. Globuli è bombardis explosi suas protinus deponunt vires, cùm iis obviàm eant hæc molliora temperamenta. Innocentiam laneam vis maxima nescit pervadere.

Verba dare videris cùm asseras, quòd in innocentem sævire liceat, si sine alicujus pacti violatione fiat; quandoquidem ex pactis & promissis nullam autumas oriri obligationem.

H. Verba sola, si de futuro sint, donationis signum idoneum non est: nam verba hæc, *cras dabo*, significant nondum dedisse, & proinde jus nondum

dum translatum esse, sed manere, &c. *p.* 68.

Si contractus fiat, quo neutri contrahentium statim præstare obligantur, sed ad diem certum futurum; Pactum illud in mera conditione Naturæ, id est in bello, si quæcunque interveniat suspicio de præstando, invalidum est, &c. *p.* 69.

Verba per se homines ad pactorum præstationem constringendi vim non habent: duo enim ei rei auxilia tantùm sunt, nimirum metus damni à violatione pacti, vel quia fallere ut signum impotentiæ, dedignentur, *p.* 71.

Verbis hisce *cras dabo* etiamsi jus in re translatum non sit, tamen transfertur jus ad rem: ab eo enim momento jure exuitur promissor ad rem retinendam ultra diem crastinum. Constringendi & obligandi vim habent verba sola; Deus enim ipse ex natura sua Verbis obligatur; promissa sua non potest non exsolvere: & si verbis constringatur Deus, multò magis homines, qui ad Dei conditi sunt imaginem. Deinde jus ad res humanas hominibus indulsit Deus. Quinetiam voluit, ut dominium hoc transferant alii ad alios voluntate suâ. Instituit insuper, ut verba sint hujusce voluntatis indices. Itaque si verba de jure transferendo in re quacunque, sive in statu Naturæ, sive Civitatis, non constringant, ab instituto suo excideret ipse Naturæ Author. Hinc Solomon promissorem asserit verbis oris sui esse illaqueatum; nec non fatetur Sanctus Paulus se per promissum constitui debitorem. M. Attilius Regulus, ut suam relueret fidem, Carthaginem rediisse legitur, quamvis ibi se exquisitissima luiturum supplicia, non ignoraret. Illum inter & Carthaginenses initum fuit pactum in statu Belli. Reditu suo ad eam collineare non potuit utilitatem quam statuis fontem esse legis Naturæ, sive ad fidem, sive ad gratitudinem, sive ad mutua spectantis auxilia. Officia enim hæc cæteráque omnia eatenus

T.

Epist. ad Phil.

C tantùm

tantùm bona esse opinaris, quatenus commodum promoveant privatum.

H. Qui beneficium gratis datum accipit, conari debet ne danti justa caussa sit beneficii dati pœnitendi: nemo enim dat nisi respiciens ad bonum sibi. Propterea omnis actionis voluntariæ finis bonum volenti est; quod bonum, si frustrà expectandum esset, homines scierint, nullum erit benefaciendi initium, neque confidentiæ mutuæ, neque mutui auxilii, neque reconciliationis inter inimicos, *p.* 75.

T. 1. Qui beneficium accipit, non lege prudentiæ unicè obligatur rependere; ne scilicet datorem facti sui pigeat: verùm etiam lege gratitudinis, citra omnem ad ulterius commodum intuitum. Sentit enim unusquisque qui suam non exuerit humanitatem, se ligari & quasi in vincula conjici; donec grati animi exhibuerit specimen, & meritis vicem reddiderit. Dolorosum est benefico gratiam non referre. Quoties obviàm it, qui beneficium contulerit, pudore suffunditur ingratus animus. In votis habet, ubi nihil amplius speratur lucri, ut è vivis eripiatur beneficus; utpote sibi conscius, se hoc pacto à dolore suo liberatum iri.

Qui beneficium dat, ad bonum, fateor, respicit; sed non semper privatum, quod sibi in lucro est. Quemadmodum enim Deus suam exerit benignitatem, nihil indè expectans utilitatis: ità etiam indolem eandem Creaturæ suæ communicatam voluit. Non contentus est ipse Sol sibi lucere: verùm ipsas dirumpit nubes, ut terram radiis suis collustret: nihil inde lucratur præter tenues aliquot vapores quos condensat, ut in pluviam convertantur terræ multùm admodum fructuosam. In fontibus sæpenumero auditum est querulum murmur, ac si tristitiâ afficerentur; quòd in publicum commodum pleniori rivo aquas suas nequeant emmittere. Genere in humano non dispar ad

ad benefaciendum aliis citra privatæ utilitatis intuitum se prodit proclivitas. Cùm Samaritanus illum, qui in latrones inciderat, exspoliatum & semineceṁ videret, è vestigio misericordiâ commotus, ejus ligabat vulnera, infundebat oleum, &c. Ad talis hominis aspectum, omnium protinus, qui humanitati non valedixerint, intima commoventur viscera, & ad suppetias ferendas se illico accingunt; quamvis nihil indè decerpant, quod sibi ponant in lucro, præter animi gaudium, quod usquè bonum opus comitatur. Jam absolvimus primum quod explicandum suscepimus, sc. Aliquid est bonum & malum simpliciter citra conservationis privatæ intuitum: Quod superest breviter attingam.

2. Inter ea quæ simpliciter bona sunt, conservatio hæc privata primatum non obtinet. 1. Bonitas affectio est, quæ rei essentiam comitatur: verùm ad existentiam unicè vitæ spectat conservatio. Quemadmodum essentia rationis signo existentiam præcedit; ità bonitas conservationem. 2. Si nihil bonum sit nisi quatenus ad conservationem conducit, hujusce propositionis veritas [Deus est honorandus] in hanc resolvenda est [vita humana est conservanda:] verùm hoc valde absonum est. Prioris propositionis membra arctiùs longè connectuntur quàm posterioris. Deo enim magìs debetur honor quàm nobis conservatio. Illi jus est ad honorem ex natura sua: nobis verò ad conservationem ex libero voluntatis actu. In mandatis dare nequit, ut illum honore non afficiamus: verùm jubeat, ut relabamur in nihilum. Quemadmodum penès illum est vitam largiri; ità etiam pro libitu suo eripere. Ab omni prorsus abhorret ratione, ut propositionis maximè necessariæ veritas in veritatem minùs necessariæ resolvatur. 3. Ad equuleum cogi, & in æternum acutissimos pati cruciatus, majus malum est, quàm vitâ hac fragili

destitui: & si majus detur malum quàm mori; ma-jus itidem est bonum, quàm vivere & conservari. 4. Si vitæ conservatio sit bonum maximum, tum nulla est ratio, quare Apostolus diceret, *Cupio dissolvi*. Non opinandum est hominem spiritu veritatis ductum in votis habere potuisse maximum malum. 5. In albo bonorum primas ceras occupant, quæ Numinis Supremi gloriam reddunt maximè illustrem. Deus summum est bonum; itaque quò magìs eum nostra respiciunt munera, eò meliora censenda sunt. Verùm non pauca sunt quæ Deo magìs cedunt in honorem & gloriam, quàm vivere & conservari. Ex Martyrum morte quàm lapsorum vita ei plus honoris metitur. 6. Si vitæ conservatio sit bonum primarium & reliquorum omnium mensura, tùm est vel necessario vel contingenter bonum: si necessariò & simpliciter, tua cadit assertio (sc. nihil est bonum simpliciter;) si contingenter, tum ratio assignari potest, quare bonum esse contingeret. Ab alio enim bono priori petenda est hæc ratio. Ergo non est bonum primarium. Jam demum ad tertium & ultimum deventum est. Inquirendum sc. quid sit illud cui in albo bonorum locus debetur primarius, & ex quo tanquam fonte derivanda sunt nostra officia.

3. Prærogativa hæc honori Dei unicè competit. Hi enim in universum nobis studendum est, eóque tanquam communi mensurâ metiendum quicquid boni moralis nomen meretur. Sententiæ huic plurimùm favent sacra Oracula, *Omnia operatus est Jehova propter se*, Prov. 16. 4. *Omnia εἰς αὐτὸν in ipsum sunt*, Rom. 11. 36. *δι' ὃν propter quem sunt omnia*. Heb. 2. v. 10. Ad ejus gloriam omnia facere jubemur. 1 Cor. 10. 31. Ex hisce liquet, gloriam sive honorem divinum palmarium esse omnium finem, & idcirco bonum potissimum, unde reliqua omnia utpote media suum nitorem, pulchritudinem, bonitatémque mutuantur.

tur. Hinc non dissonum est illud Hieroclis, cùm se ad explicandum accingat, qualis sit honor ille, qui Divis, Heroibus, parentibus debetur, apertè profitetur quòd oporteat δεῖ τὸν δημιουργικὸν μόνον αὐτῶν θεὸν ἀναφέρειν τὸ σέβας ad Deum unicum eorum opificem referre honorem. Non desideratur etiam hac in re rationis suffragium. Cùm ratio illa, quâ induti sumus, adulta esse incipiat, & oculo magis intento perlustrare omnia, facilè infert Numen immensum existere, omnigenâ perfectione præditum, quod nos ex nihilo condidit, quotidie omnipotenti suffulcit brachio, eximiis donat beneficiis. Hisce compertis nihil prius nobis suggerit, quàm ut in ejus honorem & obsequium exhauriamur, cui tantopere sumus devincti. Nequaquam ferenda est vel minima mora & protelatio. Ingratum animum resiperet officium hoc in diem crastinum rejicere. Numine hoc ubique præsente nunquam desideratur opportunitas tributum pendendi. Et nemini beneficiis pariter obligamur. Cùm numen hoc infinitum sit, nullis limitibus definienda est obligatio; sed sicut quicquid possidemus sive virium sive temporis ab eo accepimus: ità id solidè, quod sumus & fruimur, in honorem ejus impendendum est: Si autem hunc in modum terendum sit totum tempus, nihil relinquetur temporis aliis officiis, nisi quatenus ad hoc promovendum conferant. Deinde Honor unicum est Dei bonum. Nullum enim est aliud, quod sibi possit acquirere, utpote omnimodâ perfectione ex natura præditus. Ad Creaturam spectant reliqua omnia. Et quemadmodum Creatura nihil est comparatè quantum ad Deum; verùm suam protinus amittit essentiam, si Deus suum vel tantillum auxilium inhibeat: Ità bonum quod creaturæ competit, à bono, quod Dei est, pariter pendet: Illicò suam exuit naturam, quamprimum inter id & Dei honorem nexus abrumpitur. Abrahamo

homo bonum fuit suum conservare filium: verùm cùm officium hoc, mandato ad sacrificandum cœlitùs dato, cum honore Deo per obedientiam deferendo in pacem adduci non potuerit, non diutiùs fuit obstrictus; sed propter animum in obsequium compositum elogiis ornatur. Ex hac re, in opere quovis materialiter bono, si inter operantis mentem & honorem Dei solvatur nexus, Deo ingratum redditur totum opus.

Denique adjicere liceat, Deum, cùm præcellentissimam suiipsius intelligat naturam, semetipsum non posse non deamare, utpote bonum summum: si autem se tam ardenter diligat, amet oportet ex rebus creatis potissimùm suam ipsius imaginem, quæ ab hac natura secunda est. Imago hæc aliud nihil est, nisi gloria ejus extrinseca sive honor. Itaque honori huic augendo pro virili incumbendum est; & opera nostra eatenus bona censenda sunt, quatenus ad eum quadrant. Hinc non difficile est à priori officiorum moralium bonitatem demonstrare. Regula bonitatis primæva est mentis divinæ ratio, h. e. interna essentiæ gloria & perfectio. Regula secundaria est hujusce rationis sive perfectionis exemplar, nempe extrinseca ejus gloria sive honor. Quicquid cum exemplari hoc congruit, bonum est; quicquid ab eo dissidet, malum; si quid nec consonum sit nec dissonum, indifferens. Congruentiam inter divinum honorem & opus humanum facilè invenit mens nostra, quoties oculum retorquet ad ideam honoris, sive innatam sive sibi impressam per analogiam, cùm secum cogitat, pensitetque quænam sint quæ ad terreni Monarchæ honorem conferunt. Terreni autem Principis honorem compertum habet tribus summopere elucere, subditorum multitudine, ordine decoro, statu florenti. Pari ratione infert tria hæc ad supremi Rectoris honorem plurimùm conferre. Subditorum enim multitudo

titudo illius repræsentat potentiam, ordo sapientiam, status florentissimus bonitatem. Itaque ex primo colligit, quòd bonum est, ut ab homicidio abstineamus, ut pro virili nostram ipsorum nec non aliorum vitam defendamus. Honori enim supremi Rectoris erit damnosum, si injussu ejus subditorum minuatur numerus. Ex secundo, ut cives in jus ditionémque Magistratûs concedant, liberi servíque imperio pareant parentum dominorúmque. Ut unusquisque in privato suiipsius moderamine à passionibus caveat inordinatis, cupiditatibus, temulentiâ, nec non ab omnibus quæ rationis regimen perturbare solent & subruere. Cautela hæc ad ordinem conservandum plurimùm conducit; in quo multùm admodum elucet Supremi Rectoris Honor. Ex tertio ut nostram ipsorum felicitatem promovere conemur, innocentes non lædamus, miseris feramus suppetias, aliorum lætemur prosperitate, in neminem invidum oculum conjiciamus; sed ad omnia humanitatis & amoris officia semper simus compositi. Hæc omnia ad statum conducunt florentissimum, eximium Principis decus & ornamentum.

Hac Methodo non difficile est ab honore divino illas derivare Naturæ leges, quas à privata conservatione ortum suum duxisse opinaris. Exemp. gr. 1. Pacem quære & persequere, *Lev. c.* 14. *p.* 67. hoc ideo nobis incumbit, quippe statu tranquillo plus elucescit Supremi Rectoris gloria, quàm bello, ubi subditi concerpunt dilacerántque alius alium. Aquis placidis clariùs conspicitur Sol, quàm turbatis. 2. Pacta sunt præstanda, *Lev. c.* 15. *p.* 72. Pacta enim sunt societatis vincula; diruptis vinculis Communitas in dissociatam abibit multitudinem, quod plurimùm Rectoris imminuet gloriam, qui Deus est ordinis. 3. Unusquisque se commodum cæteris præster, *Lev. c.* 15. *p.* 75. Brevì actum erit de Civitate, nisi hoc fiat. Ex lapidibus politis murus conficitur. Si autem pereat

Civitas, Rectoris honori lethale vulnus imprimit. 4. Ne quis alium facto, verbo, vultu, aut gestu odisse vel dispicere se significet, *Lev. c.* 15. *p.* 76. qui enim alium despicatui & contemptui habet, ipsi Creatori contumeliam imponere videtur. Ex hisce facile est de reliquis judicium ferre.

Hæc palàm faciunt, Honoris divini studium officiorum moralium omnium esse primum, nec non fontem mensurámque. Hoc unicè solium occupat. Circumstant reliqua, tanquam tot Satellites, indéque suam accipiunt authoritatem. Honor divinus in Moralium officiorum circulo, ad instar solis in suo vortice, centrum occupat. Sicut planetæ à Sole mutuantur lucem: ità officia hæc ab Honore bonitatem. Si quid, quo impediatur communio, interpositum sit, deliquium protinus patiuntur.

Nihil jam superest, nisi ut objectiones diluamus, quæ sententiam hanc infirmare videntur.

1. Officiis aliquot (ex. gr. nosmetipsos noscere, nec non diligere) perfectio competit propria & peculiaris, quam scire licet citra honoris divini intuitum.

2. Officia hæc naturâ divini honoris præcedunt studium: Deo honorem non tribuimus, priusquam nobis innotescit: notum habere non possumus, donec nostram ipsorum naturam intelligamus.

3. Officium, quod primas fert, circa finem versatur ultimum: finis autem hic, naturâ duce, est felicitas humana, non autem honor divinus,

4. Si divini honoris studium sit unicum officium nobis à Deo impositum, tum in hominibus condendis alium nullum sibi proposuit finem, præterquam ut honorem & gloriam acquireret; quod munificentiæ cœlestis pretium minuere, & in Deum ipsum ambitionem impingere videtur.

Ad Primum respondeo. Officia prædicta per-

fectionem

fectionem habent propriam peculiaremque, quæ nihilominus ab honore divino tanquam fonte derivatur. Ponamus fontem se in plures exonerantem alveos; quamvis alveus quilibet aquam contineat sibi propriam; tamen aqua in eorum singulis fonti communi suam acceptam fert originem. Quinetiam si perventum sit ad notitiam perfectionis officiis hisce propriæ, citra honoris divini intuitum, nihilo secius inde emergat illa perfectio. Citra Solis aspectum lux conspicitur Lunaris, quæ tamen in universum à Sole derivatur.

Ad Secundum. Licet officia hæc divini honoris præcedant studium cognitione confusâ; tamen non distinctâ. Sensu illo priùs scitur effectus, quàm causa, qui nihilominus totam suam à causa perfectionem mutuatur.

Ad Tertium. Ultimus actuum moralium finis est honor divinus, non autem felicitas humana, si naturæ ductui auscultemus. Per naturam intelligamus oportet, non brutam sed rationalem; per rationalem, non infantilem aut puerilem, quæ nondum maturam attigit ætatem, nec corruptam & vitiis inclinatam; sed adultam repurgatámque. Hujusce naturæ primum dictamen est Creatoris honori studere, & quicquid insuper agatur sive ad propriam sive ad alienam spectans felicitatem, eò inflectere; ut tanquam medium huic fini subserviat. Quemadmodum enim Deus Creaturâ excellentior est: itâ Bonum ad Deum respiciens, bono quovis præstantius est ad Creaturam relato. Unicum bonum ad Deum spectans est Honor. Etenim ei, quippe infinito, nihil præterea potest accedere. Si autem Honor divinus sit bonorum maximum, nobis præfigendus est tanquam finis ultimus. Quod hujusmodi est, prærogativam hanc sibi jure vendicat.

Ad Quartum. Quamvis Deus in omnibus spectet gloriam

gloriam honorémque; tamen hoc nequaquam beneficiorum ipsius minuit valorem. Necessariò suum intendit honorem, alioquin inordinatè ageret, utpote bonum minus majori anteponens. Necessarius est etiam inter felicitatem nostram ipsiúsque honorem nexus. E beneficiis, quæ nos reddunt beatos, cœlestis emicat gloria: Verùm ex libero voluntatis beneplacito nos condidit tanquam tot vasa ad recipiendam hanc, in qua tantopere gloria ipsius elucet, munificentiam. Nullâ ad mundum condendum tenebatur lege. Si creare voluisset, nihilominus homines in abysso nihili potuisset relinquere, & elicere indè Angelos solos. Cùm autem conditi simus, ut in nobis etiam bonitatis suæ gloriam expandat, nequaquam apud nos vilescere debent illius beneficia, quamvis in eis conferendis gloriam suam quæsiverit.

Qui Deum affirmant in omnibus honorem suum intendere, ambitionem in illum nequaquam impingunt. Ambitio enim est inordinatus honoris appetitus: Verùm autem honoris amor in Deo tam procul ab appetitu distat inordinato, ut è contrà ordinem rerum naturámque Deus inverteret, si modò honori suo, quippe bonorum maximo, cætera non postponeret omnia, eíque primatum daret.

Dogma

Dogma II.

***Quod ad actionis honorem attinet, modò actio magna & ardua sit, & proinde magnæ potentiæ argumentum, utrùm justa aut injusta sit, parum refert.* c. 10. p. 47.**

COnsistit enim honor in solius potentiæ existimatione. Itaque Ethnici antiqui, qui Deos, quos versibus suis cædes aliásque magnas quidem sed injustas actiones commisisse faciunt, non illos, ut existimavêre, dehonestabant, sed valde honorabant: & propterea in Jove nihil magis celebrabant, quàm ejus adulteria; neque in Mercurio, quàm furta & fraudes, in cujus laudibus ab Homero ponitur hoc, *H.*

Natus manè, die medio factus Citharœdus,
Armentum Phœbi fur vespertinus abegit.

Antequam magnæ extiterint Civitates, ignominia non erat, sed potius honorificum, si quis terrâ aut mari prædo erat, ut ex historiis antiquis manifestum est, præsertim Græcis. Etiam hodie in hac nostra parte orbis terrarum, pugna singularis privatorum, quamvis illicita, tamen honorifica est, p. 47.

Qualibet actio pro excellentiæ modulo gradum sibi honoris vendicat. Honor enim est opinio de excellentia. Actio juxtà justa, magnáque, longè excellentior est aliâ perinde magnâ, ubi justitia desideratur. Abimelechus & David rerum potiebantur apud populum Israeliticum, alter mediis æquis, alter iniquis. Actio utrinque est pariter magna: tamen nemo mentis compos tam honorificè sentit de inhumano Abimelechi facinore, atque de actione heroica Davidis. *T.*

Davidis. Si per potentiam velis, vires ad apparens aliquod bonum comparandum: toto cœlo erras; cùm asseras honorem in hujus solius potentiæ existimatione consistere. Latius enim est objectum honoris, Si intelligas congeriem mediorum omnium, quæ ad bonum reale (sc. veram felicitatem, quam omnes expetunt) adipiscendum conferunt, ipsa Justitia est pars hujus potentiæ, utpote ea, sine qua vera beatitudo nequit comparari.

Quid si Ethnici Poetico furore correpti, effusis habenis in Deorum laudes excurrant, & magna facinora, quamvis injusta, decantent? Ideóne parum refert ad actionis honorem apud æquiores rerum æstimatores, utrùm justa aut injusta sit? Philosophi arbitri magis idonei rotundè pronunciant τῶν δὲ κακῶν οὐδὲν τίμιον· malorum autem nihil honorandum. Τιμὴ δ' ἐστὶ, τοῖς μὲν ἀμείνοσιν ἕπεσθαι, τὰ δὲ χείρω γενέσθαι βελτίω δυνατὰ, τοῦτ' αὐτὸ ὡς ἄριστα ἀποτελεῖν· Honor est meliora sequi, & ex pejoribus quæcunque meliora fieri possunt, ad melius quàm optimè reducere. Non diffiteor Homerum in Hymno in Mercurium furtum boum Apollinis commemorare; verùm non necesse est, ut arbitremur illum in animo habuisse, ut omnia, quorum memoriam facit in Hymno, in honorem Mercurio cederent. Mirum est, si illum præconiis oneraret ob factum, quod Dii ipsi ab ipsis poëtis odisse perhibentur.

Plato. apud Stob. Serm. 41. p. 261, 262.

> Μισεῖ γὰρ θεὸς τὴν βίαν, τὰ κτῆτα δὲ
> Κτᾶσθαι κελεύει πάντας, οὐκ ἐξ ἁρπαγῆς.
> Ἐατέος δ' ὁ πλοῦτος ἀδικὸς ἄν τις ὤν.
> *Namque odit ipse vim Deus, nec divites*
> *Nos esse rapto, sed probè partis cupit.*
> *Spernenda, si non jure veniat, copia est.*

Ostende mihi, ubi prædones in honore fuêre, nisi apud feras & barbaras gentes, quæ latrocinia non illicita

licita esse opinabantur: quales fuerunt olim Germani, Saraceni, Ægyptii. Diodorus Siculus refert Ægyptios legem habuisse de furibus, quæ jubebat eos, qui furto animum appellerent, nomen suum apud principem sacerdotum scribere, & è vestigio rem furto adeptam ad eum deferre: tres partes possessori restituebat, quarta furi cedebat in præmium diligentiæ suæ, & in pœnam negligentiæ possessoris. En furtum in honore habitum! verùm tale quod licitum putabatur. Ex honore tali furto indulto, non bene infers ad actionis honorem parùm referre, utrùm justa, an injusta sit. Illi soli hoc latrocinium honore prosequebantur, qui non injustum esse autumabant. Quinetiam, cùm τὸ λῃστεύειν in honore habeatur apud Græcos scriptores, plurimùm non significat, furis aut latronis partes agere, verùm fortissimi militis, qui in Belli spolia involat: hinc λῃΐζεσθαι exponit Suidas per αἰχμαλωτίζειν, & λῃΐδα per λαφυραγωγίαν. λάφυρα sunt spolia in bello è vivis erepta: quemadmodum σκῦλα è mortuis.

Cæs. Com. L. 2.

Othonis Heurni Chaldaicus, p. 51.

Concedo tibi, quòd in hac parte orbis pugna singularis privatorum, quamvis illicita, honorifica sit: verùm apud quos obsecro? An apud legis latores, qui nullum aliud præmium victori adjudicant, quàm scalas Gemonias. Hoccine est, honoribus donari, ad summum patibuli fastigium evehi? An apud pacificos, qui Evangelii spiritu ducuntur? Hi nè minimo honore eos impertiunt, qui legem Christi conculcant, & privatam vindictam, Deo & Magistratui relinquendam, sua sponte exigunt. An apud Bello deditos? Turcæ gens bellicosa privata duella generoso animo prorsus indigna pronunciant. Cùm duo certâssent nobiles, alter eorum, qui periculum evaserat, coram tribunali ad hunc modum fuit increpitus: Unde hæc audacia singulari certamine vindictam moliri? Nonne christiani passim reperiendi sunt, in quibus

bus edomandis specimen virium tuarum exhibere potuisses? Clam te non erat (alterutro occiso) rem Imperatori non parum in damnum cessuram? Romani, bello satis insignes, existimabant, ac si generosum dedeceret pectus famam privatis duellis asserere. Contumeliosissimas voces, quibus plerumque ipse Senatus resonabat, satis habebant retorquere verbis, vel decoro silentio contemnere, & despicatui ducere. An apud homines profligatos, & ad omne scelus audendum projectos? Quemadmodum non infamia est ab infamibus diffamari, (uti utar verbis Senecæ) ità nec honorificum ab iis honore affici. Hi non sunt æqui excellentiæ æstimatores, qui rationis imperium penitus excusserunt. Oculis cæcum coloris judicem perinde constituamus, atque mentem vitiis occæcatam honoris. Nemo arbiter in hac re idoneus est, nisi bonus & cordatus, apud quem lacessitus, qui certamen detrectat, honorem suum abunde conservabit, & degeneris animi suspicionem longe amolietur; modò notum fecerit, se ex ea causa recusare cum provocante congredi, ne Deum ipsum ad iram provocet, Magistratûs jura perstringat, suæ ipsius conscientiæ lethale vulnus infligat: & insuper (amotâ omni inani gloriâ) declaret se specimen fortitudinis suæ in inculpatæ vitæ tutela daturum, modò provocans aut quispiam alius illum injustum adoriatur.

Dementia est vereri ne ab infamibus diffamemur.

Dogma

Dogma III.

Deus est corpus. c. 12. p. 56. Append. c. 3. p. 360.

AFfirmat quidem Deum esse corpus, sed ante illum idem affirmavit Tertullianus: disputans enim contra Apellem, alióſque sui temporis hæreticos, qui salvatorem nostrum Jesum Christum non corpus, sed Phantasma esse docuerunt, dictum hoc universale pronunciavit, Quicquid corpus non est, non est ens. Item contra Praxeam, Omnis substantia est corpus sui generis. Neque ex ullo ex quatuor Conciliis generalibus hæc doctrina condemnata est. Ostende, si potes, vocem *incorporeum* aut *immateriale* in Scripturis. Ego verò ostendam tibi plenitudinem Divinitatis habitare in Christo *corporaliter*, i. e. (ut exponit Athanasius) dealiter. Omnes sumus & movemur in Deo, sunt verba Apostoli: quantitatem autem habemus omnes. An quantum inesse potest in non quanto? Magnus est Deus, sed magnitudinem intelligere sine corpore est impossibile. Nè à concilio Nicæno definitum est, Deum incorporeum esse. Patres autem qui aderant, (nescio an omnes) ità senserunt. Et ipse Constantinus vocem illam ὁμοούσιον, i. e. coëssentiale, ideo comprobavit, quòd ex ea voce videretur illi sequi Deum esse incorporeum: Nihilominus vocem illam *incorporeum*, quæ nec est in sacra Scriptura, in symbolum inferre noluerunt. Neque verò ex voce *coëssentialis* (quanquam essentia corpus non sit) inferri potest Dei incorporeitas. Pater Davidis & filius Obedi, cùm fuerit unus & idem Jessæus, erant coëssentiales: sequitúrne indè patrem Davidis & Jessæum, esse incorporeos? H.

reos? Præterea, patribus Concilii Nicæni in ani
erat condemnare, non modò per illud symbol
Arrianismum, sed etiam ha omnes, quæ p
mortem Domini in Ecclesiam irrepserant; qua
una erat Anthropomorphitarum, qui Deo corp
membra attribuerant: non autem condemnare e
qui verum, realem, & purum spiritum corporeum e
cum Tertulliano scripserant. Illi quidem, qui D
puritatem tribuunt, rectè faciunt; est enim hon
ficum: sed tenuitatem attribuere, qui gradus quid
est ad nihilitatem, periculosum est. Johannes D
mascenus exponens fidem Nicænam, *l.* 1. *c.* 13. D
vinorum nominum, iniquit, alia negativa sunt sig
ficantia id, quod est supra substantiam, ut *ἀνώ*
(id est, sine essentia) *ἄχρονος* sine tempore, *ἄναρχ*
sine principio, non quòd his inferior sit, sed quòd su
hæc omnia elatus sit. Deus enim in numero ent
non est, sed super ea omnia. Vides J. Damas
num Philosophum Aristotelicum (ut videre est
opere ejus dialectico) eundémque patrem Ec
siæ & Doctorem pium, dum metuit dicere cum T
tulliano Deum esse corpus, & studet crassitudi
corpoream attenuando, quam (nescio quare) D
indignam putat, in verba Athea incidit, dicens D
ἀνώνυμον esse, & nihil eorum quæ sunt. *Append.*
Levia. c. 3. *p.* 360, 361. Quòd autem res ead
& spiritus sit, & incorporea, intelligi non pot
Levia. c. 12. *p.* 56.

T. Notandum est, ne errore teneatur Lector,
verba [affirmat quidem Deum esse corpus] in D
logo ad Leviathanem appenso esse tua ipsius ver
Cùm statuas Deum esse corpus, per corpus intelli
necesse est, vel totam materiæ massam, ex qua
aspectabilis componitur, vel materiam aliquam ten
& subtilem, quam oculis non usurpamus.

Si tota materiæ massa sit Deus, tum quæl
pars

pars hujus materiæ est Dei pars; & si pars quæque, tum una Dei pars movetur, dum interea quiescit alia; una somno premitur, aliâ vigilias agente; una in vivis est, dum mortua est alia. Absit à nobis tam demisse & humiliter de altissimo Numine sentire. Non incassùm agitur, dum hæc notamus; quippe per Deum intelligere videris materiam æternam, quæ in orbem mota tandem diversas induit figuras, & ad extremum in varias, quibus mundus ornatur, species coaluit.

Si, cùm affirmes Deum esse corpus, materia aliqua subtilis & tenuis, ab orbe contrectabili diversa, tibi sit in animo; coronam expilas cœlestem & splendidissimis non vereris gemmis spoliare, sc. Infinitate, Immutabilitate, Immensitate, Intellectu. Si enim Deus corpus sit, partibus induatur oportet; hæ partes sunt vel finitæ vel infinitæ; si finitæ, infinitum constituere nequeunt; ex finitis enim nil nisi finitum emergit; si infinitæ, tum qualibet pars toti æqualis est. Infinito nihil majus existit.

Labefactas etiam Immutabilitatem. Omne enim corpus in partes potest diduci. Quicquid in partes diducitur, mutatur; res divisa eandem naturam non usquequaque retinet, quam unita priùs habuerat. Nec non funditùs evertis Omnipræsentiam. Si Deus corpus sit, dimensiones habeat necesse est. Quod dimensionibus induitur, præstò esse nequit in solidis alterius corporis partibus citra penetrationem: de impossibilitate autem penetrationis dimensionum convenit inter omnes. Denique subruis Intellectum Divinum. Si Deus materia est, hæc materia æterna sit oportet. Si æterna, tum vel ab æterno quievit vel mota fuit. Si prius dicendum sit, actum est de intellectu Divino. Etenim juxta tuam ipsius sententiam nulla est sine motu intellectio. Si posterius, à quo, obsecro, mota fuit hæc æterna materia? Non ab alio, quippe nihil præterea ab æterno extitisse opinaris. Si à se, tum

essentialiter, & necessariò, vel voluntariè & libe[...]
Si prius agnoscas, tum hæc materia in omni parte [...]
æqualiter mota; uniformis enim est Dei essen[...]
& si sit æqualiter mota, impossibile fuit, ut inde em[...]
gerent varia mundi phænomena. Essentia Dei, [...]
pote immutabilis, in tot formas non potest effingi.

Consule Simplicium c.38. ubi ostendit principium non posse esse corporeum.

Si voluntariè & liberè, tum mota fuit, quia vo[...] moveri: verùm nulla est volitio absque intelle[...] nullus intellectus absque motu. Ergo perinde [...] ac si diceres, mota fuit ab æterno, quia mota fu[...] Nihil insuper super hac re opus est adjicere præ[...] tuum ipsius argumentum. 'Vel enim moveb[...] 'dextrorsum vel sinistrorsum, sursum vel deorsum, [...] 'simul undiquaque. Posterius fieri nequit, neq[...] 'ulla est ratio in corpore simpliciter spectato, [...] 'potius in unam partem moveretur, quàm in aliam: Ergo non omnino movebitur. Quod Tertullian[...] attinet, cui plurimùm inniti videris, regero, 1. [...] non posse peritiæ tuæ, in eo interpretando n[...] confidere, qui videris in locis laudatis Tertullian[...] ipsum non consuluisse. Asseris enim illum di[...] hoc universale pronunciâsse in *lib.* contra Apell[...], aliósque sui temporis hæreticos, Quicquid corpus [...] est, non est ens. Item contra Praxeam, Omnis [...] stantia est corpus sui generis; Cùm hæc noviss[...] verba non reperiantur in *lib.* contra Praxeam, nec p[...]ora in *lib.* de carne Christi contra Apellem, aliósque hæreticos ἀνθολεξεν, prout à te citantur. Verba contra Apellem, &c. hæc sunt: Omne quod est, corpus est sui generis; nihil est incorporale, nisi quod non est. Adversùs Praxeam; Quis enim negabit Deum corpus esse, etsi Deus Spiritus est? Spiritus enim corpus sui generis in sua effigie. 2. Animadvertendum est hanc vocem *corpus* duplici significatu in[...]dui apud Tertullianum: vel enim ponitur pro natura passibili, vel nuda rei essentia. Corporis Etymon ab hoc

C. 11. p. 548. Pam.

C. 7. p. 846. Pam.

hoc novissimo sensu non multùm abludit. Componi enim videtur ex *Cor*, & *por*. *Por* pro puer Antiqui dicebant; ut *Marcipor*, *Quintipor*, *Publipor*. Putârunt enim essentiam hominis in corde potissimùm sedem suam habere: & quippe quòd instar pueri imbi saltare, & tripudiare videtur; uti constat ex cordis palpitatione; eam corpus, hoc est cordis puerum appellabant. Literæ *u*. & *oi* plerumque permutantur, & *r*. sæpenumerò usurpatur pro *s*. ut *bonos*, *bonor*. 3. Cùm Tertullianus Deum corpus appellet, Corpus in posteriori accipit significatu, sc. pro nuda essentia & substantia. Ità enim corpus accipi videtur in *lib*. contra Hermogenem, *c*. 25. Pam. *p*. 420. Ut concedam interim aliquid incorporale de substantiis duntaxat: cùm ipsa substantia sit corpus rei cujusque. Idem super hac re nobiscum sentit S. Augustinus. De hæresibus, *ad quod-vult-Deum*, de Tertulliano loquens in hæc verba erumpit. 'Posset enim quoquo 'modo putari, ipsam naturam substantiámque Divi-'nam corpus vocare, non tale corpus, cujus partes 'aliæ majores, aliæ minores valeant vel debeant 'cogitari, qualia sunt omnia, quæ propria dicimus 'corpora, (quamvis de anima tale quid sentiat:) 'sed potuit (ut dixi) propterea putari, corpus 'Deum dicere, quia non est nihil, non est inanitas, 'non est corporis vel animæ qualitas: sed ubique to-'tus, & per locorum spatia nulla partitus. Hæc Augustinus. 4. Si Tertullianus vocem *corpus* in priori sensu accepisset, tamen vestigia ejus à nobis non essent premenda hac in re. Si omnia à Tertulliano defensa in patrocinium nostrum accipere teneamur, in sententiam Montani protinus eundum est: nec non adhibenda est fides cæteris omnibus paradoxis, quorum justum catalogum exhibuit nobis Pamelius in editionis suæ vestibulo.

Hæres.86.

Non tanti ponderis est sententia unius hominis, ut

degravare mereatur autoritatem totius Ecclesiæ Ca-
tholicæ. Cæteri omnes Patres pleno ore pronun-
ciant, Deum esse incorporeum: item Anthropomor-
phitas, sive Audianos, qui aliter sensisse perhibentur,
eò usque opinantur erràsse, ut eos in hæreticorum
numerum referre non vereantur: ut videre est in
Epiphanio, Augustino, Theodoreto, Damasceno, &c.
Quatuor prima concilia non coacta fuêre ad judicium
ferendum de hac sententia. Primum eorum celebra-
tum fuit ad condemnandam Arrii doctrinam, secun-
dum Macedonii, tertium Nestorii, quartum Eutychis.
Nullum eorum ad redarguendam sententiam à te
propugnatam. Consensum non arguit silentium, ni-
Vid. Hier. *Epist.* 65. *p.* 229. si ubi propositum nos fari obstringit. Si quid in tuo
ratiocinio sit ponderis, pariter concludas Atheismum
non displicuisse quatuor primis conciliis, quippe in
iis nullus sancitur Canon ad Atheos condemnandos.
Dum jubes, ut ostendam, ubi vox *incorporeum* aut *im-
materiale* occurrit in Scriptura, operam ludis. Si
vox ostendi non potest, tamen res centies invenitur,
sc. ubicunque Spiritus Sanctus Deo immutabilitatem,
omnipræsentiam, cæteràsque proprietates attribuit, quæ
cum natura corporea nequeunt consistere. Quin-
etiam Deus *Spiritus* nuncupatur, *Joh.* 4. 24. h. e. non
corpus tenue, sed ens omnis corporeitatis expers, ut
constat ex scopo, ad quem Christus collimat. Quan-
doquidem, ut commonstret res corporeas, quæ in usu
fuêre Samariæ & Hierosolymis, in cultu minimè pla-
cere, argumentum ex eo desumit; quòd Deus sit Spi-
ritus, i. e. essentia incorporea. Qui per *Spiritum* cor-
Rom. 1. 23. *1 Tim.* 6. 16. pus tenue intelligit, nervos illationis incidit. Dum
Deus dicitur ἄφθαρτος, ἔχων ἀφθαρσίαν; quod per-
inde est ac si incorporeus & immaterialis diceretur.
ἄφθαρτος est vel naturâ vel gratiâ: si naturâ, corpus
esse nequit. Omne corpus citra gratiam, corrupti-
oni obnoxium est. Si gratiâ, cujus obsecro? vel
inferioris

inferioris vel ſuperioris. Prius non eſt dicendum: Superius enim immortalitatem ſuam inferioribus acceptam non fert. Neque poſterius: Supremo Numine nihil ſuperius.

Plenitudo Divinitatis in Chriſto σωματικῶς habitâſſe dicitur propter hypoſtaticam unionem inter Divinam & humanam Chriſti naturam, cujus altera pars corporea eſt.

Non ingratiis fatemur, quòd ſumus & movemur in Deo, & quantitatem habemus omnes. Indè ad ſciscitandum inductus es, an quantum ineſſe poteſt in non quanto? Imò nunquam non; nam quantum intra ſuas dimenſiones nequit alienas admittere. Intus exiſtens prohibet alienum.

Magnus eſt Deus, imò etiam Optimus Maximus: verùm magnitudo, quæ Deo convenit, immenſitatem ſolam infinitam ſignificat, non extenſionem impenetrabilem, & diviſibilem, in qua Corporis ratio ſita eſt.

Patres Nicæni vocem *incorporeum* in Symbolum non intulerunt: verùm res ipſa ibi in conſpectum datur; & de re non de voce litem tibi intendimus. Pater παντοκράτωρ Omnipotens nuncupatur: qui omnipotens, infinitus; qui infinitus, incorporeus eſt. Nullum corpus infinitum eſſe ſuprà demonſtratum eſt. Synodum non ex ea cauſa vocem omiſiſſe, quòd ſuper ea re animus ei penderet, Tu ipſe perlibenter nobis concedis. Ex voce ὁμοούσιος inferri poteſt Chriſti incorporeitas quoad divinam naturam: Nam ſi Chriſtus ſit ejuſdem cum Deo eſſentiæ, & Dei eſſentia neceſſariò incorporea ſit, (uti ſuprà demonſtratum eſt;) neceſſe eſt, ut idem de eſſentia Chriſti quoad divinam naturam exiſtimemus. Hinc Conſtantinus Magnus in explicatione vocis ὁμοούσιος, Dei naturam φύσιν ἄϋλον καὶ ἀσώματον, h. e. immaterialem & incorpoream, appellat. Ineptum planè eſt, quod tibi viſum eſt

Socr. 1.*l.* c. 5.*p.*10. Theod. *Hiſt.* 1.*l.* *p.* 26.

adjicere

adjicere de filio Obedi, & patre Davidis. Non invitus concedo eos fuisse coëssentiales, h. e. unum & eundem Jessæum: verùm essentia composita fuit, nempe spiritualis quoad animam, materialis quoad corpus. Quapropter non potest non inde sequi, patrem Davidis & Jessæum fuisse incorporeos quoad illam essentiæ partem, quæ immaterialis perhibetur. Patribus Concilii Nicæni non in animo erat per Symbolum omnes hæreses ἀυτολεξεὶ condemnare, sed tantùm διανοητικῶς. Et in hoc sensu nigrum Theta tuæ apposuit sententiæ, ubi Deus dicitur ποιητὴς ὀρανοῦ καὶ γῆς, ὁρατῶν τε πάντων καὶ ἀοράτων. Qui omnia ex nihili abysso eduxit, viribus instructus sit oportet infinitis. Vires infinitæ nullibi nisi in Ente infinito sedem habent. Ens infinitum corporeum esse nequit, uti suprà dictum est. Patres in edenda fidei formula potissimùm intuebantur in hæresin Arrianam. διὰ τὴν περφάσιν τῆς τοῦ ὁμουσίου πεσοσθήκης τῷ δὲ τὴν γραφὴν ἐπιπεπήχασιν. Illi autem propter hanc vocem *consubstantiale*, istam fidei formulam ediderunt, inquit Theodoretus. Cave, ne autumes, quicquid à Patribus illis pro hæresi habebatur, in tam brevi formula definitè & nominatim condemnari posse. Recto ictu Arrium confodit symbolum: Cæteros hæreticos obliquo: in quantum omnibus ante oculos ponit Apostolicam normam, sui & etiam obliqui indicem. Non rectè innuis tenuitatem esse gradum ad nihilitatem. Eò remotius est aliquid à nihilo, quò plus habet entitatis. Entitatis maximum argumentum sive indicium est vigor. In tenui corpore longè alacrior est vigor, quàm in crassiori: uti patet ex spiritibus animalibus & vitalibus.

Hist. l. 1. p. 26.

Crimen Atheismi verbis Damasceni minimè debet impingi, ubi Deum ἀνούσιον appellat, sine essentia. Per essentiam enim solummodò intelligit essentiam creatam. Palàm enim declarat hoc nomen Deo ex ea re inditum

L. 1. c. 13. orth. fid.

ditum

ditum esse, ὅτι πάντων ὑπεροχικῶς τῶν ὄντων ἐξῄρηται· quòd super omnia eorum quæ sunt elatus est. Ubi per πάντα intelligit omnia facta & creata, uti constat ex verbis proximè præcedentibus. αὐτοῦ γάρ ἐστι πάντα, καὶ ἐξ αὐτοῦ καὶ δι' αὐτοῦ γέγονε· Illius sunt omnia, & ex illo & per illum facta sunt. Hanc sententiam, quæ omnem suspicionem Atheismi à verbis Damasceni longè amolitur, quamvis sit in meditullio loci citati, alto silentio supprimis. Vapulat Damascenus, eò quòd in verba Athea incidat; Quàm graves pœnas Tu ipse merearis, qui non verba solùm, sed etiam sensum Atheum non erubescis passim volubiliter fundere? Quod novissimo occurrit loco (scilicet quòd res eadem & spiritus sit & incorporea intelligi non potest) te minimè omnium oportet asserere, qui non habes, ubi pedem sistas, cùm inficieris spiritum esse posse, & corporis naturam aperire moliaris. Cùm enim Autoritas Ecclesiæ Anglicanæ te premat, quæ asserit in primo ex 39. Articulis Religionis, Deum esse sine corpore & sine partibus; Respondes, Non negabitur: & tamen paulò pòst, ac si oblivio hujus concessionis tibi subrepsisset, apertis verbis profiteris Deum esse corpus. Quinetiam cùm conatus tuos inflectas ad explicandam corporis naturam; primò asseris in Leviat. *c.* 34. *p.* 185. quòd corpus significat universaliter, id quod locum aliquem certum implet, sive occupat, nec dependet (ut locus ipse) ab imaginatione nostra: sed pars est realis ejus, quod vocamus Universum: Verùm postea (in append. ad Leviat. *c.* 1. *p.* 344.) in hæc verba erumpis: Ego per corpus nunc intelligo id, de quo verè dici potest, quòd existit realiter in seipso, habétque etiam aliquam magnitudinem; habet, inquam, magnitudinem, non quòd sit magnitudo ipsa. Menimi tamen, quòd corpus putârim aliquando id solùm esse quod tactui meo vel visui obstat. Hæc verba ab A. prolata sunt,

Append. c. 1. *p.* 345.

Append. c. 1. *p.* 344.

quæ B. sine ulla præterit refutatione; quod ... est ea mentem tuam de corporis natura verè repræsentare, qui totum composuisti Dialogum. Hîc notare liceat te ter mutâsse opinionem tuam de corporis Natura.

1. Opinatus es corpus esse, quod locum aliquem certum implet, & est pars universi. In hoc significatu si deus corpus sit, ab imis radicibus divina revellitur immensitas, utpote limitata & inclusa intra certi alicujus loci angustias.

2. Opinatus es corpus esse quod tactui vel visui obstat. Juxta hanc sententiam nihil pro Numine colendum est, nisi quod usurpamus oculis, vel manibus contrectandum est.

3. Nunc opinaris corpus esse, quod realiter existit in seipso, habétque magnitudinem, & non est ipsa magnitudo. Hæ tertiæ cogitationes prioribus non multùm admodum sunt emendatiores. Si Deus sit corpus habens magnitudinem, & non est magnitudo ipsa, funditùs perit simplicitas Essentiæ Divinæ, quippe compositæ ex substantia & magnitudine revera distinctâ.

Satìs mirari nequeo, quis infaustus Genius te impelleret ad rejiciendos omnes spiritus propriè sic dictos, & ad asserendum Deum esse corpus, propterea quòd, ut eadem res sit spiritus & incorporea, intelligi non potest; cùm in delineanda corporis natura non disparem experiaris difficultatem. Cui, obsecro, hac solâ novissimâ definitione adjuto, natura Corporis exploratior est? Describitur enim adjuncto, nempe magnitudine distinctâ. Perinde est ac si diceremus, homo est aliquid realiter existens, quod risibilitatem habet; & non est risibilitas ipsa. Quemadmodum risibilitas, utpote adjunctum, humanam supponit Essentiam, cui annectitur: ità essentiam corpoream magnitudo. Quid de hac re in signo rationis magnitudi-

nitudinem præcedente statuamus, an sit quanta vel non quanta, ne hilum occurrit. Si quanta sit, tum magnitudo ab ea non revera distinguitur. Quantitas & magnitudo in rebus corporeis idem sonant. Si non quanta, tum est Substantia verè spiritualis, & sic in eandem incidis sententiam, quam pro virili expugnare conaris.

Si tibi visum fuerit substantiæ corporeæ & incorporeæ naturam diligentiori scrutinio dignari, nullus dubito, quin tibi constet, utriusque ideam pari facilitate menti imprimi posse. Substantia corporea est ens extensum, quod non potest alienas dimensiones penetrare, vel ab iis penetrari citra unitatis solutionem. Substantia incorporea est ens, quod, salvâ unitate, omnia penetrare potest. Qualis substantia est Summum Numen, sc. Ens infinitum, in immensum diffusum non per partes quidem, sed per totalitates, permeans omnia, & in quo omnia sunt. In hujus Idea formanda nullam sentimus difficultatem. Spatium illud primarum quòd è cogitationibus nostris excutere non possumus, quoties animo revolvamus locum, in quo totus orbis situs est, nihil esse videtur, præterquam Summum Numen in immensum diffusum, quod per suam essentiam omnia pervadit. Hinc Apostolus inquit, Non longè est ab unoquoque nostrûm, in ipso enim vivimus, movemur, & sumus: In ipso, nempe, tanquam in sede nos undique ambiente. Hinc Hebræi Deum מקום locum appellant. Dionysius ἕδραν παντοκρατορικὴν καὶ πυθμένα πάντων, sedem & fundum, in quo omnia firmantur. Arnobius locum rerum ac spatium, fundamentum cunctorum, quæcunque sunt. Hinc etiam vox Hebræa רוח tum spiritum tum spatium significat. Hujusmodi spiritum incorporeum & in immensum diffusum existere vox ipsa, in pagina sacra luculenter demonstrat, quæ sæpenumerò nullam aliam patietur sibi imponi significationem.

Lessius de divin. perfect. l. 2. c. 2. p. 30.

C. 10. de divin. nom.

L. 1. adversùs Gentes.

Propria

H. Propria significatio *Spiritus* in sermone vulgi, aut corpus subtile, fluidum, & invisibile est; aut spectrum, id est, idolum seu phantasma.

Significationes autem Metaphoricæ, præsertim in Scriptura Sacra, multæ sunt. Sumitur enim pro disputatione sive inclinatione; ut quando dicimus, Spiritum contradictionis, Spiritum immundum, perversum, Spiritum Dei; pro contentioso, pro immundo, pro perverso homine, pro eo, qui se disposuit ad serviendum Deo.

Aliquando etiam accipitur pro eminente qualibet facultate, vel etiam pro morbo animi insolito, ut cum egregia sapientia appellatur Spiritus sapientiæ, & ubi homines mente capti, Spiritu dicuntur possideri. Vocabuli *Spiritus* significationes in Scripturis Sacris alias non invenio. *L.c.* 34. *p.* 184.

T. Si allubescat tibi diligentiorem facere conquisitionem, nullus dubito, quin in Sacris Bibliis, præter has, quas recensuisti, alias etiam inveneris vocis *Spiritus* significationes. Spiritui in Oraculis Sacris tribuitur creatio, Ps. 33. 6. renovatio, 2 Thess. 2. 13. æternitas, Heb. 9. 14. immensitas, Ps. 139. 7. futurorum præscientia, Jo. 16. 13. Ab acumine tuo libenter doceremur, quo pacto corpori subtili, Idolo, disputationi, facultati eminenti aut morbo animi insolito, competere possint hæc omnia. Dura admodum esset hæc Catachresis, si diceremus Corpus tenue, quod intellectûs incapax est, futura præscire, Idolum, quod nihil est, creare omnia; Facultatem intra animi angustias complexam, in immensum esse diffusam. Vel in ipso Scripturæ limine vocem *Spiritus* invenias, cui nequeas ullam harum significationum accommodare. Ut Gen. 1. 2. Spiritus ferebatur super aquas. Per Spiritum hic, intelligamus oportet Tertiam Trinitatis personam, quæ unà cum patre & filio ad mundum conspiravit formandum.

Hinc

Hinc Targum Hierosol. *Spiritus misericordiarum à Domino.*

Per *Spiritum Dei* si intelligatur Deus ipse, motus attribuitur Deo, & per consequens locus, quæ de incorporeis intelligi non possunt, Gen. 8. 1. Ubi quando terra aquis (ut in principio) contecta erat, Deus diminuere illas volens adduxit Spiritum super Terram, & imminutæ sunt aquæ. In quo loco videtur intelligendus esse pro vento: Quidni ergo pro eodem ponatur etiam prædicto capite primo, v. 2? *L. c.* 34. *p.* 184. H.

Multoties in literis sacris Deo motus tribuitur; Agedum descendamus, inquit Jehova, Gen. 11. 7. Nec non locus; Certè est Jehova in hoc loco, Gen. 28. 16. verùm non indè bene infers Deum esse corporeum; Anima enim in corpore est tanquam in loco, & indè migratura in mortis articulo, nihilominus eam incorpoream esse infrà demonstraturi sumus. Etiamsi per Spiritum Gen. 8. ventum intelligimus, tamen non indè sequitur, vocem hanc eundem sensum fundere in loco hoc, quem præ manibus habemus. 1. Multùm admodum diversa sunt vocabula. In Gen. 8. dicitur ויעבר & Deus fecit ventum transire: Hic Spiritus Dei מרחפת motabat super facies aquarum. 2. Ventus illic fuit emissus, ut aquas exsiccaret: hîc, ut eis largiretur vim prolificam. In voce enim רחף Metaphora est ab avibus deducta, quæ primùm pendulæ volitant super ova & pullos, deinde iis incubant caloréque fovent vitali. T.

3. Primo Creationis die nullus erat ventus; nam ventus nihil est, nisi aer vaporibus impulsus: & aer sive רקיע secundi diei opus fuit. Quinetiam ante plantas die tertio conditas non commemorantur vapores. *Gen.* 2. 6.

Gen. 41. 38. Sapientiam Josephi appellat Pharaoh Spiritum Dei, &c. Exod. 28. 3. Prudentia, quanquam H.

quam in re vestiaria tantùm, egregia, nominatur à B[...] Spiritus Dei, &c. Eodem sensu accipitur Spiri[...] Is. 11. 2, 3, &c. In libro Judicum zelus & for[...]tudo in populo Dei propugnando egregia vocat[...] Spiritus Dei, Jud. 3. 10. &c.

Spiritus Num. 11. 17. pro autoritate sumitur, &[...] Rom. 8. 9. Nisi quis Spiritum Christi habeat, non e[...] ejus: ubi non intelligitur Phantasma sed doctri[...] Christiana. Item 1 Jo. 4. 2. &c. Verba illa Luc. 4. 1. Jesus plenus Spiritu Sancto pro Zelo perficiendi o[...]pus quod ipsi à patre suo mandatum, intelligere fac[...] est; sed de Christo, quòd plenus erat substantiâ inco[...]poreâ, duriusculum est.

Spiritus hactenus non substantiam Incorpoream, [...] vel significat Substantiam propriè dictã & realem, v[...] metaphoricè gratiam aliquam excellentem, p. 185, 186.

T. Per hæc à te prolata non stabit quò minùs, in aliqui[...]bus saltem locorum, quos laudâsti, significet Spiri[...] tertiam Trinitatis personam, ejusdem incorpore[...] cum patre & filio naturæ. Primò enim notand[...] est, Sp. Sanctum personaliter in omni esse re existen[...]te. 2. Si Deo visum fuerit rem novam condere, non incongruum erit asserere Sp. Sanctum incipere ib[...]dem esse. Nam sicut à ratione alienum est asserere illum existere in re, quæ non existit; ità satìs consonum est dicere, quamprimùm res esse incipit, illum inci[...]pere inibi existere: incipere inquam, non ratione sui, sed habitaculi novi. 3. Viri in locis laudatis commemorati, sc. Josephus, Bezaliel, Judices, cæ[...]terique utpote sapientiâ cœlitus præditi, quasi nova erant loca & habitacula. Etiamsi in iis erat Sp. Sanctus, antequam divinâ sapientiâ essent donati, tamen in iis non existebat ità instructis & ornatis. Ex ea re non incongruum est, ut per Spiritum intel[...]ligamus non sapientiam, prudentiam, zelum, &c. sed Spiritum ipsum personaliter sumptum, in viris hisce

virtutibus

virtutibus indutis residentem tanquam in novo habitaculo. Scripturæ Phrasi valde convenit hæc interpretatio. Fideles dicuntur Sp. Sancti templum; non ratione donorum, verùm propter præsentiam tertiæ personæ, quæ Deus est. Deo Soli consecratur Templum. Inhabitare dicitur Sp. non pater, aut filius; Quippe virtutes, quibus effectum est, ut Deus quasi novo modo sit præsens, sunt Sp. Sancti dona. Etiamsi ad omne opus externum tota Trinitas concurrit; tamen in operando observatur personarum ordo, cujus ratione nonnulla per appropriationem uni tribuuntur personæ citra aliarum injuriam. 2. Pro indubitato habemus, quòd in locis prædictis, Spiritus corpus tenue nequeat significare; Quippe Spiritus ille, Sapientiæ Spiritus dicitur: Verùm nullum corpus intellectûs capax est, nedum scientiæ præcellentissimæ.

3. Si gratiam aliquam excellentem denotet Sp. puta scientiam aut prudentiam, citra dubium non Metaphoricè (utì opinaris) sed Metonymicè ponitur; propterea quòd illius gratiæ causa est. At corpus tenue, utpote rationis expers, virtutem intellectualem largiri non satìs pote est.

Dogma

Dogma IV.

Religionis semen naturale consistit in metu spirituum, ignorantia causarum secundarum, cultu eorum quæ timemus, & sumptione fortuitorum pro prognosticis. c. 12. p. 59.

H. CUm neque signum neque fructus Religionis in solo homine animadversum sit, non est dubitandum, quin semen Religionis in homine solo sit, consistatque in aliqua qualitate homini propria. Primò autem naturæ humanæ proprium est, causas investigare eventuum, quos vident, alii magis, alii minus. Sed omnes, quatenus possunt, causas investigant propriæ fortunæ sive bonæ sive malæ.

2. Homines omnes, si alicujus principium viderint, concludunt statim eandem rem causam habuisse, quæ effecit, ut inciperet eo tempore, potius quàm alio.

3. Homo etiam quando causarum verarum inscius est, causas supponet, &c.

Ab his naturæ proprietatibus nascitur anxietas, &c. Metus hic perpetuus, qui genus humanum in causarum ignorantia quasi in tenebris comitatur, objectum habet necessariò aliquod. Quia ergo fortunarum suarum causam aliam non vident homines, nihil est, quod accusare possunt præter potentiam aliquam & agentem invisibilem. Hinc fortasse erat, quòd veterum poetarum aliquis Deos primos à Timore factos dixerit. Id quod de Diis (id est de multis Ethnicorum Diis) verum est. Agnitio verò unici æterni, infiniti, omnipotentis Dei, ab investigatione causarum, virtutum, operationúmque corporum naturalium,

lium, quàm à cura futuri temporis faciliùs derivari potest, *&c.* p. 55.

In his autem quatuor rebus, metu spirituum, ignorantiâ causarum secundarum, cultu eorum quæ timent, & sumptione fortuitorum pro prognosticis, consistit Religionis naturale semen, quod per hominum phantasias, judicia, & passiones, & consilia diversa, adeò diversas produxit Ceremonias; ut quæ in una Civitate lege comprobantur, in alia derideantur. Semina hæc à duorum hominum generibus culturam nacta sunt. Primum genus est eorum, qui secundùm suas ipsorum phantasias Religionum authores extiterunt. Alterum eorum, quibus ab ipso Deo præcepta & præscripta Religio fuit. Utrorumque autem consilium erat initiatos suos sibi obedientiores reddere, *&c.* Illorum Religiones à legislatoribus Gentium: Horum Religio ab Abrahamo, Mose & Jesu Christo, qui Regni Cœlorum leges nos docuerunt, instituta. *c.* 12. *p.* 59.

Ut teneamus, quid de naturali Religionis semine statuendum sit, 1. Nostram de eo sententiam aperiemus, 2. Tuam ad calculos revocabimus. *T.*

Religionis voce duo innuuntur; vel habitus, qui nos faciles reddit, & promptos ad exhibendum religiosum obsequium: vel actus cultûs divini sive interni sive externi, qui ab hoc habitu emanant. Religio hoc in loco posteriori significatu accipitur. 2. Actus cultûs divini à vividi Numinis supremi cognitione naturaliter emergunt. Nihil honore prosequimur, quod nos latet: & quamprimùm objectum præcellens penitissimè nobis notum sit, non sine negotio à veneratione temperamus. 3. Cognitio, quâ induimur Supremi Numinis, duplici lumini originem suam acceptam refert; sc. innato & illato. 1. Innato in uniuscujusque conscientia. Deo in quovis pectore testis est, qui citiùs aut seriùs

soporem

soporem excutiet,& experrectus erit ad testimoni[um]
perhibendum. Hinc in aliquibus ad omne scel[us]
audendum projectis, aliquoties emergit horror in-
expugnabilis, è quo nullo pacto se expedire poss[unt].
Quamvis quoad in secundis sunt, alto veterno jac[e]-
ant sopiti; tamen statim atque fortunæ fluctibus [il]-
lidi incipiunt, eorum animos extemplò occupat tre-
mulus horror;

Hi sunt qui trepidant,& ad omnia fulgura pallent.

Licèt ex judicio patrati sceleris in foro human[o]
possint elabi : tamen pro tribunali in foro divin[o]
comparere illico citantur; & ad luendas pœnas dam-
nantur, quas surda mentis consciæ verbera infli-
gunt.

Pœna autem vehemens, & multò sævior illis,
Quas aut Caditius gravis invenit,aut Rhadamanth[us].

Hic tremor è Melancholica temperatura non ori-
tur: quandoquidem homines sanguinei, quib[us]
corpus est optimè constitutum, hoc morbo perin[de]
laborant. Neque subditis à Regibus primùm fuit
incussus, & jam usque fotus; ut eo, tanquam Ma-
chinâ politicâ, illos intra obsequii lineas tenerent.
Patet enim ex Annalium veterum fide hunc pavorem
Reges juxtà atque subditos pervasisse. Argumento
est nobis, omnia spectra non esse figmenta; Quippe
quòd aliqui, qui ad alios terrendos se accinxeru[nt],
ad idem tempus Lemuribus inopinatis ex improviso
exterriti fuêre. Licèt, qui ad clavum sedent, nu-
minis horrorem in subditis suis augere studeant, &
flammeum divinæ vindictæ gladium undique vibrent
ad alios arcendos à terrestri, quo fruuntur, paradiso;
tamen tremor, quem intus propterea percipiunt,
indicio

indicio est, Numen tremendum revera existere Regibus illustrissimis longè potentius. 2. Illato, scilicet in animam à rebus externis circumcirca positis. Si Mundi sive entitatem sive artificium spectemus, Numen infinitum nequit celari. Res quæ nobis ante oculos obversantur, non fuêre sibi causæ, ut existerent. Omnis enim causa effecto prior est: verùm nihil semetipsum præcedit. Quapropter ab aliis rebus ortum ducant necesse est: Illæ etiam ab aliis, donec ad aliquid perveniatur, quod nunquam incepit existere: Illud quodcunque, infinitum est; utpote non habens à quo accipiat limites: Et ens infinitum est, id quod nomine Dei intelligimus. Nequaquam admittenda est productio circularis: (eo pacto aliquid sibi causa esset) neque infinita Causarum successio: tum enim Causæ, quæ jam antea extiterint, quoad numerum infinitæ sunt. Successio, utpote modus tantùm rerum succedentium, infinita esse nequit, nisi res succedentes numero sunt infinitæ. Et si causæ, quæ jam antea fuerint, sint infinitæ numero, nulla nova causa potest emergere. Quandoquidem infinitum incrementi incapax est. Hæc omnia dici potuissent ante diem, quem hujusce Mundi ortui ascribimus.

Quinetiam si orbis artificium animo revolvamus, summi Numinis existentia pariter elucet. Suprà in conspectum dantur nobis stellæ cœlum fluidum perarantes. Navis nulla, in qua peritissimus Nauta ad clavum sedeat, iter magis prosperum & secundum facit. Infrà grandis terræ moles in aëre pendet, suis librata ponderibus. Quælibet herba indè germinans, tantum artis prodit; quasi aliquis summâ solertiâ indutus ad radicem sedem suam haberet. Si incolarum corpora mente contrectemus, sc. ossa, musculos, nervos, arterias, venas, *&c.* & nobiscum reputemus earum partium minutissimas insigni ap-

tari uſui; confeſtim animum ſubit, totam compagem eſſe præcellentis ſapientiæ opificium. Hæc omnia non fortuitò confecta ſunt. Æquè facilè inducar, ut credam, characterum typographicorum centum millia in ſinu concuſſa, & indè confuſè jacta poſſe ita cadere, ut ex iis citra novum ſitum libellus omnibus Rhetorum floſculis ornatus componi queat: atque tantum ordinis, quantum in orbe aſpectabili conſpiciendum ſit, ex fortuito Materiæ concurſu poſſe emergere. Nulla eſt ſapientia, quam uſurpamus oculis, quæ hæc omnia conſtituit. Sequitur igitur eſſe in Mundo inviſibilem aliquam Sapientiam, quæ revera nullibi reperienda eſt, niſi in Numine tremendo; cujus moderamini omnia ſubjecta ſunt.

Hinc emerſit de exiſtentia Numinis Gentium omnium conſenſus. Nullus eſt populus, apud quem aliquis divinitatis ſenſus ſe non exerit. Super Numinis cultu convenit inter omnes in ſingulis Mundi partibus maximâ intercapedine diviſis. Nonnullis argumento eſt Græcos veteris inſtrumenti interpretes impulſos fuiſſe inter ſcribendum divini ſpiritûs afflatu; quippe, poſitis iis (uti ferunt) in variis cellulis, ubi ſermonem conſerere non potuerint, tamen de eadem verſione in omnibus apiculis in commune conſpiratum eſt. Si penſitemus mente Gentium variarum homines maximis loci interſtitiis à ſe invicem diviſos in agnoſcendo Numine conſentire; rationi conſonum eſt indè inferre, Numen quod ubique præſto eſt, hanc notionem eorum animis impreſſiſſe. Si univerſalitas ejus primorum parentum traditioni originem ſuam ferat acceptam, tamen in vado ſumus. Si enim in ea ab incunabilis rerum tradita aliquid vitii eſſet, lumini ſive innato, ſive illato non conſentaneum, in animis omnium non tantiſper fuiſſet retentum, utpote adverſùs effrænatos motus militans, quibus à natura paſſim indultum eſt. Parentum admonitiones,

nes, quibus parere liberorum non interest, oblivione subitò sepeliuntur. Quinetiam nulla notio pariter universalis est, quæ cum lumine naturæ non congruit. Polytheismus, qui instar stolonis ex altis pullulavit radicibus, quas divinitatis sensus in omnium animis egerat, nusquam non amputatus & rejectus fuit à sapientioribus, & probioribus; Atheismo interea ab eorum nemine admisso, neque ab aliis ullis, perpaucis exceptis, qui vel ad aucupium nominis novis studebant, aut quorum intererat ob vitam profligatissimam, ut nullus sceleris vindex existeret.

Jam tibi ante oculos posui duplex lumen, innatum, & illatum. Ab utroque tanquam è semine pullulat naturalis cognitio Numinis apud omnes Gentes. Et à cognitione Numinis naturali cultus divinus, qui Religio nuncupatur.

Hactenus fuimus in aperienda nostra de Religionis semine sententia. Jam ad tuam deventum est. Primùm notare liceat pendulum tibi esse animum, & vacillare plurimúm. Instituitur enim scrutinium de Religionis semine generatim sumptæ, quod statuis esse anxietatem, & metum potentiæ invisibilis; Metum verùm hunc emergere ex naturæ humanæ proprietatibus, quibus proclives redduntur homines ad investigandas suæ fortunæ causas, nec non ad opinandum, ubi alicujus rei principium viderint, eandem rem habuisse Causam, quare eo potiùs tempore inciperet quàm alio: denique ad fingendas & imaginandas causas ubi verarum inscii sunt. Et tamen protinus subjungis hoc de multis Ethnicorum Diis verum esse: Agnitionem verò unici æterni Dei ab investigatione Causarum naturalium posse faciliùs derivari. Hic fluctuat planè animus & in ambiguo est, in quo Semen Religionis collocet. Eò tendere tua videntur verba, quasi falsa ex superstitiosa nasceretur anxietate, nec non ex eadem radice vera: quam-

 vis

vis faciliùs ex causarum naturalium investigatione derivari potuisset: Et tamen aliquantò pòst de religione disserens tam verâ quàm falsâ, rotundè pronuncias, in his quatuor rebus, Metu Spirituum, ignorantiâ causarum secundarum, cultu eorum quæ timent, & sumptione fortuitorum pro prognosticis consistere religionis semen Naturale. Liquidò constat te hoc in loco de vera loqui religione; cùm paulò pòst eam, quam in animo habes, ab Abrahamo, Mose & Jesu Christo institutam fuisse asseras. Verùm hanc opinari à rebus nasci commemoratis tanquam à semine naturali, ab omni prorsus ratione abludit.

1. Primò, Metus spirituum, sc. finitorum (unicus enim est spiritus infinitus) hujusce religionis semen esse nequit. Semen enim usquequaque rem præcedit, quæ è semine emergit. At verò metus talium spirituum verâ religione prior non est. A metu infiniti spiritûs genuina Religio exoritur: hic metus à notitia. Citiùs & minùs operosè cognoscitur, spiritum infinitum esse, quàm finitum, si lumine solo Naturæ utamur. Argumenta ad similitudinem veritatis propensa ad evincendam spirituum finitorum existentiam à naturæ lumine petuntur: at verò rationes, quæ ab accuratissimo limati judicii examine non metuunt, ad demonstrandam spiritûs infiniti existentiam stant in procinctu.

2. Perinde cæspitas, cùm adjicias religionis hujusce semen in ignoratione causarum secundarum consistere. Quò magìs causæ secundæ nobis veniunt in notitiam, eò magìs in primæ admirationem rapimur. Non parùm præconii sapientissimo opifici accedit ex stupendo illo artificio, quod neminem latet, qui naturæ cubilia effodit, & in arcana inquirit. Et quò magìs Artificis solertiam stupemus, eò lubentiùs deveneramur, & omnibus religionis muniis fungimur.

gimur. Scitè admodum Verulamius in Sermone de Atheismo. 'Verum est tamen parùm Philosophiæ 'naturalis homines inclinare ad Atheismum, at altio-'rem scientiam eos ad religionem circumagere. Et-'enim intellectus humanus, dum causas secundas in-'tuetur sparsas, interdum iis acquiescere possit, nec ul-'teriùs penetrare: verùm catenam earum connexarum 'inter se & confœderatarum contemplari pergat, ne-'cesse habet confugere ad providentiam & Deitatem.

3. Pariter incongruum est religionis semen collo-care in cultu eorum quæ timemus. Cùm religio ni-hil aliud est quàm cultus ipse, perinde est atque di-cere, religio est religionis semen.

4. Cùm statuas id in sumptione fortuitorum pro prognosticis consistere, pariter asseras veram religi-onem ex mendacio tanquam ex semine nasci. Agri-cola æquè bene messem triticeam expectet, ubi nihil præter infelix lolium severat; atque nos cultum reli-giosum ex tam infausto stemmate.

Denique adjicis hæc semina culturam nacta fuisse ab iis, quibus ab ipso Deo præscripta & præcepta reli-gio fuit. Ut autem mente capiamus, quinam sint, quibus religio à Deo fuit præscripta, ad finem Para-graphi Abrahamum, Mosem, & Jesum Christum nomi-nas: quasi assereres Abrahamum, Mosem, & Christum ipsum, spirituum h. e. phantasmatum metum populi animis injecisse, ignorantiam aluisse causarum secun-darum, fortuita in prognostica permutâsse; ut hisce fraudibus discipulos suos intra obsequii lineas conti-nerent. Qui æternam salutem meretur, non de te tam malè meritus est, ut illum iis annumerares qui imposturæ rei sunt. Hæc & plurima alia legenti oc-cursura tam spissum resipiunt Atheismum; ut videa-ris mihi, dum de semine disseris religionis, nullam omnino præter fictam & à politicis excogitatam ag-novisse.

Si falsam solam in animo habeas, neutiquam ve-
tati consonum est asserere, invisibilium potentia
metum ei originem dedisse. Idolorum initium asc-
C.14.v.15. bit Solomonis sapientia inordinato Parentum am
erga liberos, quos è vivis eripuerat mors immatu
Lactantius gratitudini subditorum erga Reges su
De falsa relig.L.1. p.46.Lug. Bat. Memoriam, inquit, defunctorum colere cœperunt,
& gratiam referre benemeritis viderentur, &c.
paulatim religiones esse cœperunt. Qui Phœ-
cum, Ægyptiorum, Græcorum, Atlantiorum theolo-
L.1. & 2. *Præp. Evang.* giam apud Eusebium delineatam consuluerit, fa
intellecturus est non metum sed gratitudinem re
gionem Ethnicam in mundum primùm introdu
Quandoquidem Diis primus oblatus fuit cultus
εὐεργεσίας compensationem. In more enim ab in
Euseb. Præp. Evang. L.2. p.73. polytheismi positum fuit καλῶν καὶ χρησίμων εὑρετὰς
θεοὺς ἀναγορεύειν, bonorum & utilium inventores
quam Deos celebrare. τὴν σεβάσμιον ἔννοιαν
αὐτοῖς ἐνυπάρχουσαν, ἐφ' οὓς ἐνόμιζον εὐεργέτας μετα
τες· Venerandam divinitatis notionem iis à na
impressam transtulerunt ad alios, quos cense
beneficiorum auctores. Cùm satis bene cape
mundum hunc semetipsum condere non potuisse,
inflectebant conatus, ut Creatorem exquirere
Macrob. L.1. Satur.c.17. p.232. Cùm autem nihil conspicerent Sole illustrius, an
mare cœperunt, lumen illud mundo originem ded
& benigno alere influxu. Tempore procedente va-
rios solis effectus pro variis Numinibus habuere
Virtutem ejus quæ divinationi præest, appellârunt A-
pollinem; quæ sermonem impertit, Mercurium; quæ
ad bellum propellit, Martem; quæ morbis medetur,
Æsculapium. Et ut de hisce beneficiis gratiam re-
ferrent, cultum excogitabant (uti opinabantur) Soli
quàm maximè gratum. Hinc in pagina sacra ei,
quippe celeriter moto, equos, animalia celerrima,
dicatos fuisse legimus. Ex hisce & quamplurimis
aliis,

aliis, quæ stant in procinctu, luculentum est, religionem Ethnicam non ex metu sed gratitudine tanquam ex semine naturali processisse.

Dogma V.

Status Naturæ est Status Belli. c.13.p.64.

TUm Corporis tum Animæ facultatibus adeò æquales inter se produxit Natura homines; ut quamvis alii aliis viribus & ingenio præstant, si tamen omnia simul considerantur, differentia tanta non est, ut promittere sibi commodi quicquam possit unus, quod alius sperare æquè non potest. Ab hac æqualitate naturæ oritur unicuique ea quæ cupit acquirendi spes. Quoties ergo duo idem cupiunt, quo frui ambo non possunt, alter alterius hostis fit, & ad finem sibi propositum (quæ est conservatio propria) alter alterum conatur subjugare & interficere, &c. *c.* 13. *p.*64. In tanto & mutuo hominis metu securitatis viam meliorem habet nemo anticipatione; nempe ut unusquisque vi & dolo cæteros omnes tamdiu sibi subjicere conetur, quamdiu alios esse, à quibus sibi cavendum esse viderit, &c. Manifestum igitur est, quamdiu nulla est potentia, tamdiu conditionem hominum eam esse, quam dixi, bellum esse uniuscujusque contra unumquemque. *Cap.*13.*p.*64. *H.*

Triplex est naturæ status: restitutus per gratiam, destitutus per peccatum, institutus à primo rerum satore. Per statum naturæ intelligere nequis statum restitutum, in quo gladii in ligones, hastæ in falces tundentur, & gentes non diutius artes discent bellicas, Esa. 2. 4. Neque destitutum per peccatum; quandoquidem status, quem in animo habeas, est *T.*

 ejusmodi,

ejusmodi, ut in eo nihil injustum esse pronunc[illegible] quod de statu peccaminoso, in quem nemo Morta[illegible] non conjectus est, prorsus absonum est statuere; [illegible] quidem in eo non est justus, ne unus quidem, Ro[illegible] 10. Itaque per statum naturæ, statum ab incun[illegible] lis rerum institutum intelligi necesse est. Ut [illegible] non esse statum belli, h. e. hominum per vim cert[illegible] tium, demonstremus, hæc paucula perpendenda s[illegible] 1. Summum numen ex abysso nihili genus el[illegible] humanum, & ad normam suæ sapientiæ form[illegible] Non sponte emergunt homines è lapidibus per D[illegible] calionem & Pyrrham jactis, quos, quamprimum [illegible] scuntur, projiciunt alter in alterius caput, & ad c[illegible] tamen se conferunt universi. 2. Numen imm[illegible] sum in fingendo genere humano ad metam aliq[illegible] collimavit; non enim secus agit, qui ratione [illegible] butus est. 3. Deus suam ipsius gloriam tanq[illegible] scopum non potuit non præfigere. Necessitate [illegible] naturæ obstringitur, semetipsum, utpote bonum pr[illegible] cellentissimum, intensissimo diligere amore; & [illegible] cundum semetipsum, suam ipsius gloriam, quippe [illegible] vam præcellentiæ suæ imaginem. Quodlibet ob[illegible] jectum pro gradu bonitatis amoris gradum sibi v[illegible] dicat. Itaque cùm gloria Dei externa in genere bo[illegible] ni, utpote character simillimus, sit proxima intern[illegible] divinæ excellentiæ; necesse est, ut ardentissimè am[illegible] tur. Quicquid autem maximè hæret in animo, id causa ratione imbuta usquequaque sibi tanquam ulti[illegible] mum finem proponit. 4. Deus, qui nunquam non ad gloriam suam tanquam ad scopum ultimum collimat, in Creatione voluit, ut summ opere patefieret bonita[illegible] tis splendor. Benignitas ejus stupenda se continere noluit, quin effingeret, quos sui participes faceret. 5. Hæc bonitas minime in opere Creationis eluceret, nisi homines à primordiis rerum in tali statu collo[illegible] centur Divinâ manu, uti in secundis sint, & felici-

tate

tate fruantur. Quemadmodum benignitas terrestris Domini; ità etiam & cœlestis in fausta & auspicata servorum conditione plurimùm refulget. 6. Hanc felicitatem nemo mortalium assequi potest in vita solitaria; cæterùm maxima ex parte in sociali reperta est. Natura genus humanum ex luto finxit admodum viscoso, cujus partes non citra negotium divelluntur. Ex natura omnes societatis cupidi sumus. Nobis non solùm facultas cogitandi, verùm etiam alios alloquendi indulta est, è cujus exercitio voluptas non mediocris decerpitur. Non viri, sed infantes inermes nascimur; ut vel ab incunabulis discamus citra mutua auxilia neminem in spem nanciscendi beatitudinem posse induci. 7. Hæc felicitas, quæ præsertim à vita sociali pendet, non omnino expectanda est nisi in statu tranquillo, ubi homines in charitatem compositi sunt, & nunquam non parati ad exhibenda humanitatis mutua specimina. Hujus statûs imaginem contemplemur in Protoplastis nostris, antequam vestes suas induerant & exuerant innocentiam: Et etiam in Christianis Hierosolymitanis illico post servatoris nostri ascensum: Nec non aliquot vestigia in Essenis olim conspicienda erat; quorum communio nulli præterquam charitatis legi innitebatur. Idem ferunt Historici de aliquot ex Americanis, quorum communitas per multa secula non metu sed mutuo amore & eximiâ simplicitate ferruminabatur. Si hæc omnia suis ponderemus momentis, liquidò constabit statum naturæ non esse statum Belli.

Ut sententiam huic adversam demonstres, nobis ante oculos tria ponis: 1. Natura produxit homines tum corporis tum animæ facultatibus æquales. 2. Hæc æqualitas neminem non erigit in parem spem acquirendi ea, quæ in votis habeat. 3. Ab hac æquali spe emergit hostilitas. Ubi enim duo cupiunt, quo frui ambo non possint, alter alterius hostis evadit.

Verùm

Verùm memoriâ recolendum est, quòd natura, q[illegible] homines produxit, sit natura naturans, h. e. ips[illegible] Deus. At Deus homines non pares produxit, sive quoad corporis sive quoad animæ vires. Primi pa-rentes in ætate adulta conditi fuêre, cum habitu Cor-poris Athletico, intellectu summâ claritate donati. Posteri autem omnes nascuntur infantes, qui lachry-mis, quamprimum in lucem editi sunt, auxilium un-dique implorant. Hinc liquet Parentes & liberos ab ortu in æqualem spem venire non potuisse. Grad[illegible] spei augetur juxta gradum potentiæ, quam nobis com-petere opinamur. Pueruli, cùm primùm ratione u[illegible] incipiant, induci nequeunt, ut credant, se perinde robustos esse atque parentes. Indè est, quòd hostes non fiant, sed utpote imbecilliores, instinctu natur[illegible] potentiorum imperio perlibenter parent, & cùm pe-riculum immineat, ad eos tanquam tot pulli ad gal-linam, protinus confugiunt. Hic status à bello long[illegible] remotus est.

Postquam teneriores in maturam ætatem adoleve-rant, & in plures evaserant familias, in locis, ubi prim[illegible] terrarum domini voluntas non cognita fuerit; non statim se ad certamen contulerunt, sed contenti spon[illegible] natis vesci, & ferarum pellibus vestiri, eximiam ami-citiam colebant. Quamprimum ab hac simplicitat[illegible] fuerat discessum, anticipationem nimirum, ut alii alios vi & dolo opprimerent, viam ad sui conservationem maximè compendiosam non existimabant: Verùm inter omnes conveniebat, ut res ad vitam alendam necessariæ in proprietatem irent; nempe vel fœdere expresso, ut per divisionem; vel tacito, ut per oc-cupationem: & qui fœderati sunt, in statu belli à nemine mentis compote reputantur. Ubi homines in-ceperunt huic pacto non stare, sed invido oculo alter in alterius bona inspicere & per vim surripere, reliq[illegible] runt statum naturæ, & in violentum & præternatura-

lem

lem eruperunt. Non credibile est Naturam homines tam miserè dissociâsse.

H. Illis, qui hæc pensitaverunt, mirum fortasse videbitur, naturam homines dissociavisse, & ad mutuam cædem aptos produxisse. Et tamen hoc perspicuè illatum est ex natura passionum, & præterea experientiæ consentaneum. Cogita enim, quando iter ingrederis, cur comites quæris, arma gestas; quando dormitum is, fores claudis, arcas obseras, idque legibus & ministris armatis ad omnem violentiam ulciscendam paratis; qualem habeas opinionem de vicinis & domesticis: nonne cautelâ istâ tuâ genus humanum accusas æquè atque ego? Neutri Naturam accusamus. Passiones hominum peccata non sunt: neque quæ indè oriuntur actiones, quamdiu, quæ illas prohibeat, potestatem nullam, qui faciunt, vident. Neque lex cognosci potest, quæ non sit lata; neque ferri, quamdiu in legislatorem consensum non est. Sed quid hominibus doctis conamur demonstrare id, quod ne canes quidem ignorant? qui accedentibus oblatrant, interdiu quidem ignotis, noctu quidem omnibus. c. 13. p. 65.

T. Ut evincas naturam dissociâsse homines, & ad mutuam cædem aptos produxisse; appellas passiones, experientiam, canes; verùm operam ludis. De natura instituta & verè rationali lis instituitur, utrùm hujusce status sit status Belli: at verò passiones, quæ homines ad cædem proclives reddunt, non à Natura instituta, verùm destituta & depravata nascuntur. Hujusmodi passiones, tum actiones indè emanantes, sunt veri hominis peccata, antequam in Legislatorem Civilem consensum sit: Siquidem in concordiam nequeunt adduci cum lege rationis, quam Deus animæ humanæ insculpsit. Quibus Lex positiva non est, Illi sibimetipsis lex sunt, Rom. 2. Cautela nostra in quærendis comitibus, armis gestandis, claudendis foribus

ribus naturam institutam non accusat: verùm corruptam in aliquibus, qui passim reperiuntur ad omne scelus audendum projecti. Longè secùs fuisset, si natura rationalis in omnibus retinuisset primitivam puritatem. Malè nobiscum agitur, si mittendi simus ad canes, ut naturæ rationalis statum doceamur; longè equidem in feris venandis nobis antecellunt, verùm non in odorando generis humani statu. Inimicitia quam latratu indicant, non è natura primæva emergit: verùm pars est maledictionis, quæ ob peccatum infligitur. Ex hac re bruta multoties nostram recusant imperium, & in rebellionem erumpunt.

H. Sed omnium in omnes (inquiet aliquis) Bellum nunquam erat. Quid, nonne fratrem suum Abelem invidiâ interfecit Cain, tantum facinus non ausurus, si communis potentia, quæ vindicare potuisset, tunc extitisset? Nonne hodie in multis locis ità vivitur? Americanis, excepto quòd per familias parvas legibus paternis subditi sunt, quarum familiarum concordia similitudine solâ cupiditatum sustinetur, ità vivunt. Qualis etiam vita hominum esset nulli potentiæ communi subditorum, ex vita eorum cognosci potest, quibus Bellum civile est. Quamquam tempus actu nullum fuerit, in quo unusquisque uniuscujusque hostis erat: Reges tamen, & personæ summam habentes potestatem, omni tempore hostes inter se sunt. Semper alii aliis suspecti sunt, stantes more gladiatorio, &c. *c.* 13. *p.* 65.

T. Si facinus Cain in interficiendo fratre arguat nullam communem potentiam, quæ vindicare potuisset, tunc extitisse; eodem ratiocinio concludas homicidia hoc in regno perpetrata evincere nullam esse apud nos coercivam potestatem. Adamus tunc temporis erat in vivis, & jure paterno à suis liberis potuit exigere, ut quilibet eorum meritas pœnas daret. Si Cain jam

jam tum in belli statu fuisset, fratricidium juxta tuam sententiam injustitiæ crimine non onerandum est. Porrò asseris, quasi viveretur apud Americanos in statu belli; interea fateris inter eos concordiam esse conservatam. An idem sonant Bellum & Concordia? Quinetiam concordiam hanc sustineri affirmas solâ similitudine cupiditatum; cùm experientiâ comprobatum sit, omnia penè dissidia atque simultates à similitudine Cupiditatum tanquam à propria scaturigine ebullire. Cùm duo idem in votis habeant, plerumque certamen conferunt, quis eo primus potitus fuerit. Etiamsi bello civili edoceamur qualis hominum, nulli potentiæ communi subditorum, vita esset in statu destituto; non tamen indè discendum est, qualis esset futura, si natura primitivum recuperaret statum, de quo solo controversia instituitur.

Non mihi constat reges omni tempore hostes inter se esse. Quamvis inter eos nullum sit expressum pactum, tamen tacitum initum est. Convenit enim inter omnes Gentes, ut quod quisque primus occupat, id sibi in proprietatem eat. Manente hoc tacito pacto, quod censendum est durare, donec belli denunciatione contrarium constiterit, omnes reges fœderati sunt: fœderatorum autem status neutiquam Bellum est. Apparatus bellicus bellum esse non innuit; verùm esse posse.

Præterea, bello omnium contra omnes consequens est, ut nil dicendum sit injustum. Nomina *justi* aut *injusti* locum in hac conditione non habent. Vis & dolus in bello virtutes cardinales sunt. Neque sunt justitia, aut injustitia corporis aut animæ facultates: Nam si essent, homini inesse possent, qui in mundo solitarius esset unicus. Qualitates quidem hominis sunt, non quatenus hominis sed quatenus Civis, &c. *c.* 13, *p.* 65, 66. **H.**

Necdum probatum dedisti, statum Naturæ esse statum **T.**

tum Belli: eâ re intempestivum est, indè consequentias derivare, ubi principium tam debili tibicine suffultum est. Errore non minimæ magnitudinis teneris, cùm asseras in bello nihil injustum esse. Sunt quædam officia (inquit Orator) adversùs eos servanda, à quibus injuriam acceperis. Est etiam ulciscendi ac puniendi modus. Apud omnes Gentes injustitiæ crimine notatur, pueris & fœminis in bello non parcere. Puerum ætas excusat, fœminam sexus (inquit) Seneca. Idem passim statuitur de viris quorum vita à Martis abhorret disciplina. Hinc Philistæi à Prophetarum collegio omnem noxam abstinuerunt, 1 Sam. 10. 5. Quinetiam injustum passim creditur deditionem paciscentium recusare, aut in eos sævire, qui victoris placito sine conditionibus se submiserunt. Hinc Salustius Marium, eò quòd Capsæ incolas interfecisset, postquam se dediderant, sceleris & facinoris contra jus Belli insimulat. Justitia quamvis facultas in animo non sit; tamen homini, qui in mundo solus est, potest competere. Extra dubium positum est, Adamum tali qualitate creatum fuisse. Justitiâ, quam lapsu exuerat, antea à natalibus indutus fuit. Hæc civi peculiaris non est: quippe quòd Adamo inerat, nemine mortalium præterea condito, aut in societatem ascito. Enimvero qualitas est, quæ naturæ institutæ tam tenaciter adhæret; ut nullo pacto queat divelli. Eâ re conditi sumus, ut divinæ bonitatis gloriam patefaciamus; hæc bonitas nunquam magis refulget, quàm in nostra felicitate. Felicitas hæc, aucto humano genere, citra mutua auxilia comparari nequit. Itaque lege æternâ antecedenter ad Civitatis particularis constitutionem æquum justúmque est, ut ministremus hæc subsidia, & omnia charitatis officia inter nos humanissimè communicemus. Qui solus est, justus esse potest erga Deum, quatenus debitum illi honorem exhibet: non

De offic. L. 1. p. 241. Gruter.

De Ira, l. 3. c. 24.

Bell. Jagur. p. 63.

non erga semetipsum, quantum cavetur, ne debitos naturæ limites transiliat: Erga alios etiam; quamvis non actu propter defectum objecti, tamen habitu. Propheta, qui locis desertis pererrans se solum derelictum esse querebatur, ibi tum justitiâ fuit indutus, qua propensus reddebatur, quamprimum aliis occurreret, cuique suum tribuere.

Pro coronide adjicere non gravabor, Si naturæ status sit status belli, unde fit quòd animalia quædam bruta, ut apes & formicæ, quæ ex sententia tua in statu sunt naturæ, in eodem alveari & formicaria pace explorata utuntur? Nos suprà amandas ad canes, ut naturæ statum doceamur: æquè te mittamus ad formicas, quarum sapientiam elogiis ornant sacra Oracula.

Ad hoc respondeo, Primò, quòd homines inter se de Honoribus & Dignitate perpetuò contendunt, sed Animalia illa non item. H.

Secundò, inter Animalia illa bonum publicum & privatum idem sunt, &c.

Tertiò, Animalia illa, quia carent ratione, in rerum suarum communium administratione nihil vident, aut videre sibi videntur, quod culpent. Inter homines autem permulti sunt, qui se cæteris sapientiores & regendæ Civitatis capaciores esse putant, &c.

Quartò, Animalia illa (etsi ad cupiditates suas significandas inter se vocis usum habeant quanto egent) verborum tamen arte illâ carent, quâ homines alii aliis videri faciunt Bonum malum, & Malum bonum, &c.

Quintò, Animalia bruta inter injuriam & damnum non distinguunt. Itaque quamdiu bene sibi est, cæteris non invident. Homo autem tunc maximè molestus est, quando otio opibúsque abundat. Tunc enim sapientiam suam in regentium actionibus reprehendendis ostentare amat.

Postremò,

Postremò, Animalium illorum consensio à Na[...] est; Consensio autem hominum à pactis est & [...]ficiale. *Lev. c. 17. p.* 84, 85.

T. Memineris oportet, quòd per Statum Naturæ, [...]tus intelligendus est naturæ rationalis, quaten[...] Deo instituitur. Natura hæc, postquam distin[...] rerum notitiam fuerit adepta, primum om[...] dictat, Numen Supremum honore afficiendum [...], & in id officii impendendum, quicquid nobis [...]petit sive virium sive temporis. Hâc munita [...]gulâ facilè dijudicat, quid statui suo aut congruum [...] dissonum sit.

Primò, nullo infert negotio, quòd sibi mi[...] conveniat, ut homines inter se de Honoribus & D[...]nitate perpetuò contendant. Perbene enim n[...] discordiam hujusmodi Creatori ipsorum in igno[...]niam & contumeliam fore cessuram.

Secundò, pariter dissentaneum exstimat, ut bo[...] privatum publico anteponant. Quò enim com[...]nius est bonum, eò magìs ad Supremi Rectoris [...]riam conducit.

Tertiò, apprime conveniens pronunciat, ut sa[...]entioribus minùs sapientes cedant. Hoc plurim[...] ad ordinem confert, in quo multùm admodum eluce[...] Rectoris Honor.

Quartò, juxta congruum arbitratur verborum arte uti, ut veritas sola vivis coloribus pingatur. Si enim eam ad fallendum homines inflectant, non mi[...]mum ex societatis vinculis est solutum. Societate autem turbatâ, deliquio protinus laborat Præsidis gloria.

Quintò, æquè consentaneum existimat, ut qui otio, opibúsque maximè abundat, nemini molestus [...], aut sapientiam suam in Regentium actionibus re[...]hendendis ostentet. Hoc enim si faciat, id p[...], quod plurimum facit ad Communitatis ruinam, [...]

jus

jus status secundus & Rectoris honor pari ambulant passu.

Postremò, Statui suo pariter consentaneum opinatur, ut homines pacta ineant servéntque; etiamsi communis nulla constituta sit potestas ad reprimendos eos coercendósque, qui pactiones perturbant. Pactum est ordinis ligamen. Quanta autem inter ordinem & Supremi Præsidis honorem affinitas sit, satis jam antea diximus.

Ex hisce constat, quòd homines, si naturæ rationalis ductum sequantur, æquè bene utantur pace in Universali Mundi civitate, atque apes formicæque in eodem alveari & formicariâ. Si ità eveniat ut contendendo de honoribus & dignitate, anteponendo privatum commodum publico, nimiùm æstimando sapientiam suam, fallendo verborum arte, ostentando suam sagacitatem in reprehendendis Regentium actionibus, discordiæ fomitem ministrent, & tandem præliari & bellare incipiant; Statum deserunt naturæ rationalis, quæ singulos ad eam ducit conditionem, in qua Rectoris gloria maximè elucet, & in violentum erumpunt.

Dogma VI.

Unicuique jus esse, omnibus viis & modis seipsum conservandi, juris naturalis summa est, c. 14. p. 67.

QUoniam autem conditio hominum est conditio Belli omnium contra omnes; & propterea unuiquisque suâ ipsius ratione gubernatur; & quia nihil est, quod in vita contra hostem defendenda, utile

ei aliquando esse non possit: Sequitur, in conditione hominum naturali omnium in omnia jus esse, ipsis hominum corporibus non exceptis. Quamdiu ergo illud jus retinebitur, nulla cuiquam, etsi fortissimus sit, securitas esse poterit. Rationis ergo præceptum sive regula generalis est, pacem quidem, dum ejus obtinendi spes est, quærendam esse; quando autem haberi non potest, auxilia undequaque quærere, & illis uti licitum esse. Regulæ hujus pars prima continet legem naturæ primam, Pacem quære & persequere, secunda est juris naturalis summa, omnibus viis & modis seipsum defendendi jus unicuique esse. A lege naturæ primâ oritur secunda. Oportere unumquemque, quoties paci & defensioni propriæ provisum erit, à jure suo in omnia (cæteris idem facere paratis) decedere, contentúmque esse eâdem libertate, quam cæteris concedere vellet, *c.* 14. *p.* 66. A lege naturæ, quæ impedientia pacem relinqui jubet, sequitur lex naturæ tertia, præstanda esse pacta, &c. *c.* 15. *p.* 72.

T. Summam eorum quæ protulisti hæc est, Conditio uniuscujusque est conditio Belli. In Bello unusquisque suâ ipsius ratione gubernatur in eligendis mediis, quæ ad conservationem conferunt. Nihil est quod aliquando ad hunc finem promovendum non utile videatur. Hinc sequitur unicuique jus in omnia competere, h. e. utendi omnibus pro suo placito, ut seipsum tueatur. Et cùm nulla securitas fortissimo esse possit in hoc statu, ratio aliquot excogitat regulas quæ leges naturæ dici possint, nempe pacem quærendam esse, à jure proprio discedendum, pacta esse servanda, &c. 1. Notandum est hæc omnia inniti huic principio [Status Naturæ est Status Belli] quod à veritate penitus deflectere suprà demonstravimus. 2. Admodùm præposterè progrederis: jus enim naturale sternis tanquam legum naturæ fundamentum; cùm

cùm revera lex jus nunquam non præcedat: semper enim à lege nascitur. Hinc communiter dictum, lex est juris constitutiva. 3. Multùm admodum hallucinaris, cùm asseras jus sive legem Naturæ ad vitæ conservationem & privatum commodum unicè spectare. Hæc sententia Deo pariter atque homini infesta est. 1. Deo. Nos enim condidit, ut bonitatis suæ gloriam reddat illustriorem. Itaque primum rationis dictamen non est, ut nosmet ipsos conservemus: Verùm quantum in nobis positum sit, studia nostra inflectere, ut eandem promoveamus gloriam. Singula eundem ordinem sibi vendicant in intellectu nostro, quem habuêre in mente Divina. Oportet nos toto molimine conari, ut in omnibus quàm proximè ad Deum accedamus. Cùm hæc bonitas in nobis patefieri nequeat, nisi conservemur, incumbit nobis tanquam officium secundarium, in nostri conservationem conatus nostros impendere: verùm non omnibus viis, sed iis tantùm, quæ cæteris illius attributis atque etiam voluntati non repugnant. Namque cùm bonitas ipsius à cæteris attributis non distincta sit, evenire nequit, ut in nobis refulgeat, mediorum operâ, quæ cæteris tenebras offundunt. 2. Homini. Quandoquidem omnis civilis regiminis nervos incidit. Juxta hanc Hypothesin privata utilitas sive conservatio est fons, unde omnes naturæ leges scaturiunt: speciatim, hæc lex, Pactum servare, quo Magistratui devincti sumus. Si ità accidat, ut obedientia & privata utilitas simul nequeant consistere; sequetur, quòd liceat in tali casu Magistratûs jugum excutere. Namque si privatum compendium sit unica ratio, quare Magistratui parendum sit; tum cessante hâc ratione, fas est Magistratûs imperium detrectare, & protinus inire prælium. Obedientia est actus moralis; omnis actus moralis alicui innititur rationi; ubi igitur ratio actûs adimitur, ibi actus ipse suam

moralem deponit naturam, & non diutiùs exerendus est. Actum est de Reipublicæ navi, si nulla alia sit nobis Cynosura, præter hoc privatum compendium. Non diffiteor leges naturæ, quas commemoras, in se esse magni momenti: verùm cùm asseras, eas nulli alii fonti, præterquam securitati privatæ, originem suam debere; necessum est, ubi, obedientiâ iis præstitâ, securitas haberi nequeat, ut spiritum & vim obligandi amittant, & abeant protinus in vappam. Rotundè pronuncias, finem, propter quem relictio sive translatio juris introducta est, alium non esse, quàm vitæ & mediorum ad vitam conservationem. At verò medium potissimum ad vitam conservandam est privata securitas & utilitas. Itaque si Magistratus aliquid effecerit, quod opinamur huic utilitati in præjudicium cessurum; juxta tuam Hypothesin non diutiùs standum est pacto, quo priùs devincti fuerimus ad parendum: sublato enim fine, media ad finem conducentia seponenda sunt. Eò fortiùs stringit hæc illatio, quippe asseris jus utendi mediis ad vitam conservandam transferri non posse. Inter hæc autem media fugam vulnerum & incarcerationis enumeras. Itaque si jubeat Rex, ut in subditum maleficii reum scuticâ animadvertatur, donec sanguis eliciatur, quod est vulnerari; vel ut publicis numellis insertus sit, quod est incarcerari: liceat subdito citra culpam, regem adoriri, & usuram lucis ei eripere. Ut compendifaciam; Si conservatio omnibus viis & modis promovenda sit, tum jure faciant singuli, quicquid eò conferre videbitur: nempe liceat pacta custodire vel non custodire, fidelitatis fœdus temerare, cum perduellionibus novum inire. Nihil injustum est quod rationi consonum: nihil rationi non consonum, quod ad conservationem & privatum commodum conducat. Hæc præstare facinora aliquando ad hunc finem conferre videatur.

P. 68.

Ratio-

Ratiocinatio utcunque speciosa, falsa est. Quæstio enim non est de promissis mutuis in conditione hominum naturali, ubi nulla est potentia cogens. Nam sic promissa illa pacta non essent; sed existente potentiâ, quæ cogat ut alter promissum præstiterit. Ibi Quæstio est, an is qui fallit, cum ratione & ad bonum proprium fallat. Ego verò contra rationem & imprudenter facere dico: primo enim in Civitate quod (quantum prospici & ratione intelligi potest) ad suam ipsius tendit destructionem. Quamquam improvisum aliquod accidat, quod eventum felicem efficiat; factum nihilominus fuisse imprudenter, quia improvisum. In conditione autem naturali, ubi unusquisque uniuscujusque hostis, sine ope sociorum securè vivere nemo potest. Hominem autem, qui pacta fallere rationis esse putat, in societatem (quæ mutuis pactis ad singulorum defensionem initur) quis nisi per inscitiam admittet, aut admissum retinebit? Quare aut ejectus peribit, aut quòd ejectus non sit, alienæ debebit inscitiæ: quod est contra rectam rationem, *Lev. c.* 15. *p.* 73. *H.*

Ut teneamus, an valida sit hæc solutio, memoriâ recondenda est distinctio inter conditionem Naturæ & Civitatis. In statu naturali opinaris promissa mutua violari posse pro cujusque arbitrio prudenter & cum ratione; verùm in statu Civitatis, ubi potentia cogens est, non posse citra imprudentiæ reatum. Primò quippe, qui pacto non stat, id facit, quod (quantum ratione possit prospici) ad suam ipsius tendit ruinam. *T.*

Hoc in loco per *rationem* intelligis vel optimam in homine rei politicæ callentissimo, vel rationem cujusque privatam, cujus interest sémet conservare. Quæcunque tibi sit in animo, contingat aliquando, ut suggerat utraque pactorum violationem, ad commodum privatum posse conducere.

Quantum ad rationem ſpectat primi generis, ſingamus exercitûs Imperatorem, militibus unicè dilectum, facinore aliquo Principis ſui iram meruiſſe, & pro certo habere, ſe nunquam in favorem ejus reſtitutum iri; ſed ſimulatque ſua depoſuerit arma pœnas daturum: nonne ratio illa, quæ in homine dominatur maximè aſtuto, & in privatam conſervationem utilitatémque unicè intenta eſt, fidelitatis pactum temerandum eſſe dictaret; & injuſſu Principis arma adhuc eſſe gerenda, nec non milites hortandos, ut ad Principem ſuâ poteſtate exuendum vires impendant? Strategus hic, ſi modò armis reſiſtat, (quantum acutiſſimo oculo prævideri poſſit) id facturus eſt, quod non ad ſuam ipſius in hoc mundo perniciem, verùm ad conſervationem contulerit. Deinceps, quantum ad rationem cujuſque privatam ſpectat, experientiâ edocti ſumus, eam multoties dictare, pactorum violationem & rebellionem eſſe viam ad conſervationẽ & commodum compendioſiſſimam. Unde aliter naſcuntur fraudes & crimen læſæ majeſtatis? Citra dubium perfidioſi opinantur, privatum aliquod bonum ſcelere ſuo comparatum iri. Cùm in hac diſquiſitione loquaris de ratione, oportet te, ſi tibimetipſi conſtes, rationem uniuſcujuſque hominis non excludere. Dixiſti enim, neminem ſui conſervandi jus poſſe deponere. Verùm autem qui in Civitate jus retinet ſemet conſervandi, retinet etiam jus ſuâ utendi ratione, ut dijudicet, quibus mediis ſua promovenda ſit conſervatio. Abſque hoc jure, illud omnino eſſet inutile. Itaque ſi quis ad credendum inductus fuerit proditionem ad ſuam ipſius conſervationem contribuere, liceat ei citra iniquitatem eam moliri, & omnia inteſtina mala machinari.

Quinetiam, ut notum facias, quare is, qui fallit, id egerit imprudenter & in ſuum ipſius incommodum, adjicis, quòd nemo talem in ſocietatem (extra quam non ſecurè vivitur) admiſerit, aut admiſſum retinuerit.

Hoc

Hoc veritati perquam consonum est, si intelligant alii: verùm autem nonnulli sunt adeò astuti, ut fidelitatis pactum temerare possint, & Regni fundamenta cuniculis subruere, de plebe nemine quicquam notante. Hujusmodi homunciones sæpenumero blandis sermonibus se populi animis ità insinuant, ut, dum nihil præter communitatis meditantur ruinam, pro fidelissimis patriæ propugnatoribus habeantur. Juxta Theologiam tuam liceat hujusmodi viris clancularriis pacta fallere, populo verba dare. Quandoquidem non est, quòd metuant, nè de civitate exterminarentur. Quòd si quis subolens astutiam, hoc attentaret, nihil esset expectandum, quàm ut populus fascino eorum occæcatus, protinus insurgeret, & eum, primâ occasione ostentatâ, in frusta discerperet.

Præterea supposito, quòd Regnum acquisitum sit per rebellionem, etiam sic contra rectam rationem acquisitum erit: tum quia successus tales ab initio incerti sunt: tum quia exemplo suo docentur alii tantundem audere contra ipsos, *c.* 15. *p.* 78. *H.*

Hîc duplici ratione tuam munitam das assertionem. Quod ad primam spectat, regero: 1. Si Regnum per rebellionem acquisitum, contra rationem acquisitum sit; quia successus tales ab initio incerti sint: tum ubi ità accidit, (uti in casu jamjam commemorato) ut successus (quantum prospici possit) certi sint, rebellio licita est & juxta rationem. 2. Perinde probatum des contra rationem esse, ut Mercatores ad Indos expeditionem conficere conentur: cùm pro certo non habeant, quin inter navigandum naufragium patiantur. Solertissima ingenia probabilitate solâ ad magna invitantur tentamina. 3. Licèt ab initio successus incerti sint; tamen tempore procedente perduellis, postquam principis sui vires expertus fuerit, & uno vel altero prælio victoriam reportaverit, moraliter certus evadat, rebellionem *T.*

felicem habituram fore exitum: & tunc juxta Theologiam tuam, licèt ab initio, præ eventûs incertitudine, rebellio illicitè, h. e. imprudenter & contra rationem, fuerit suscepta; tamen ab eo tempore licitè & cum ratione persistat rebellis, & inceptum facinus ad umbilicum ducere pro virili conetur.

Ad alteram quod spectat rationem, nempe quòd exemplo suo doceantur alii tantundem audere contra illum, regero: 1. Hoc exemplo quisque potiùs à belló faciendo deterrebitur. Quis cum eo congredi audet, qui jam tam audax fortitudinis suæ specimen exhibuerit? Unusquisque ab ejus metuet aceto, cujus acrimonia difficultates dirupit plusquam Alpinas. Ad aspectum victoris contremiscit audacissimus Martis filius, & ad pedes ejus se libenter prosternit, nè vi prosternatur. Immo ut tibi visum est, qui Regnum gladio adeptus est, magìs securè sceptrum tenet, quàm qui natu hæres. Opinaris enim metum homines in societatem primùm compulisse. Si communitas metu constituta sit, tum metus est commune gluten, quo fit, ut ejus non dissiliant partes. (Ab iisdem enim causis pendent creatio & conservatio.) Et si metus glutinum sit, tum quò magìs Communitatis caput à corpore metuitur, eò magìs invicem ad se adhæserint: verùm qui ad Thronum sanguine natavit, magìs timetur, quàm natu hæres, aut qui suffragiis electus. 2. Si hoc exemplo doceantur alii idem audere, ille ipse etiam eodem docetur diligentiùs sibi prospicere. Iisdem viribus, quibus summæ potestatis possessionem adeptus fuerit, efficere potest, ut ab ea non dimoveatur. Si Reipublicæ curâ tantò majore aliorum principum solicitudine afficiatur, quantò plus obnoxius sit; ad æquilibrium res perducitur, & par utrinque est securitas. 3. Quid refert sive alios doceat idem audere, sive non doceat: dum longè accuratiùs tuo doceantur libro, non tyrannum solùm, verùm Princi-

pem

pem legitimum de solio deturbare? In eo qui Regnum usurpaverit, nihil præter factum conspicitur: verùm libro tuo jus hujusce facinoris perpetrandi ad vivum depictum reperiamus.

Principum securitati lethale vulnus imprimis, cùm pro unico fidelitatis subditorum fundamento privatum ponas commodum; quod perinde infirmum & instabile est, atque aqua, in qua natat Leviathan. Luna non plures induit vicissitudines, quàm media, quæ ad privatum commodum conferunt. Si ad hanc pyxidem Reip. navis dirigenda sit, necesse est, ut brevì naufragium faciat. Ratio primogenia præstandi promissa & parendi ex pacto summæ potestati, à fundamento longè nobiliori & firmiori petenda est; nempe ab æterna & immutabili justitia, quæ supremi Numinis naturâ fundatur. Hinc asserit Sacra pagina, Deum suæ naturæ renunciaturum, nisi suis promissis staret, & suam relueret fidem. Deum in promissis implendis fidum esse probat Sanctus Paulus ex eo quòd semetipsum negare nequeat, 2 Tim. 2. 13.

Ubi à Spiritu Sancto commemoratur fœdus cum Abrahamo initum, legenti obviàm veniunt hæc verba, Pepigisti cum eo fœdus, &c. præstitisti verba, quia justus es, Nehem. 9. 8. Hoc in loco non ab utilitate aut commodo derivatur jus præstandi pacta; verùm ab immutabili justitia, à qua discedere nequit ipse Deus: multò minùs homines, qui ad ejus imaginem conditi sunt, legéque obstringuntur indispensabili, ab omnibus se abstinere, quæ naturæ divinæ adversantur.

Dogma

Dogma. VII.

Status humani post mortem nulla est scientia.

H. SCientia nulla est, sed tantummodò fides certis hominibus habita dicentibus se id scire supernaturaliter, vel accepisse ab aliis supernaturaliter scientibus; & sic alii ab aliis ascendendo, *c.* 15. *p.* 74.

T. Ex morte duplex est status humanus, miseriæ alter, alter felicitatis. In utriusque scientiam lumine naturæ deducamur. 1. Supremus Dominus, qui hominem condit, naturæ necessitate obstringitur opus manuum suarum imperio regere. Imperfectionem in Domino redoleret, dominii sui exercitium insuper habere; si regat, necesse est, ut leges condat; Leges hæ, utpote consentaneæ ipsius naturæ & voluntati, erunt sanctissimæ; si sanctæ, eas non potest non amare tanquam tot vivas sanctitatis suæ imagines; Si leges hasce unicè amet, non potest non unicè deperire, quos obedientes viderit, & odio habere, qui immorigeri sunt; Si obedientes in deliciis illi sint, eis vult uniri; unio enim est germanus amoris effectus: ea gratiâ se unit illis, ut pleniori sui communicatione eos reddat beatos; non sunt beati evasuri donec ad satietatem usque deo fruantur: talis fruitio eorum nemini in hac vita indulta est: Ergo post mortem hic status est expectandus. 2. Si odio habeat, qui immorigeri sunt, non potest iis malum non velle; talis volitio odio nusquam non se comitem exhibet; Et si malum velit, hoc malum est malum pœnæ: nullum aliud malum à Deo usquam volitum fuit: Si malum pœnæ infligere in animo habeat, infligatur necesse est,

est, utpote volitum ab eo, qui nihil temerè vult; & cui etiam satìs est potentiæ ad suam ipsius voluntatem exequendam: hæc poena non semper in hac vita infligitur: sæpenumerò enim omnia fluunt ad impiorum voluntatem usque ad novissimam hujus vitæ periodum: Ergo est status futurus, ubi gravissimas pœnas laturi sunt. Quinetiam notandum est, sicut labefactas omnem scientiam & notitiam status futuri naturalem: ità etiam ab imis radicibus revellis omnem fidem, utpote nullam concedens præter debilem, infirmam, h. e. humanam: siquidem asserere non erubescis, quòd fides habita sit non Deo sed hominibus, dicentibus se id scire supernaturaliter, vel accepisse ab aliis supernaturaliter scientibus, & sic alii ab aliis ascendendo. Verùm memoriâ recolendum est, fidem nostram basi longè solidiori inniti, nempe æterno evangelio, cujus ope vita immortalis in lucem naturæ lumine longè clariorem perducta est. Non diffitendum est, quin hoc evangelium acceperimus alius ab alio ascendendo usque ad Apostolorum tempora (universalis enim Ecclesia id nobis in manus tradidit:) nihilominùs fides nostra non ultimò resolvitur in hanc traditionem: verùm in characteres internos & externa miracula, quibus tanquam tot sigillis Deo visum fuerit hoc evangelium ratum & stabilitum dare. Testimonium humanum fidei objectum introducit, nobísque ante oculos ponit: verùm Testimonium Divinum in hoc objecto clarissimè refulgens ad imbuendam animam fide divinâ maximè conducit.

Dogma

Dogma VIII.

***Moses est prima persona in Sacrosancta Trinitate*, c. 16. p. 82.**

H. DEi veri gerebat personam primò Moses, cùm regeret populum non suum sed Dei, dicendo Hoc dicit Jehova. Secundò Filius, qui venit in mundum ad reducendos omnes populos in Regnum Cœleste. Tertiò Spiritus Sanctus, qui missus est ad sanctificandum Dei populum, *c.* 16. *p.* 82. Ed. Anglic.

T. Non opus est, ut aliunde petam auxilium ad obterendum hoc inauditum dogma, quàm ex tuis ipsius verbis, quæ lectori ante oculos ponere non gravabor. 'Videtur Author voluisse hoc loco doctrinam 'explicare Trinitatis, quamquam Trinitatem non 'nominat. Pia voluntas, sed erronea est explicatio. 'Nam Mosen, quoniam is quoque aliquo modo ges- 'sit personam Dei (ut faciunt omnes Reges Chri- 'stiani) unam videtur facere personam in Trinitate. 'Valde hoc negligenter. Si dixisset Deum in per- 'sona propria creâsse Mundum, in persona filii rede- 'misse genus humanum, in persona spiritûs sancti 'sanctificâsse Ecclesiam, nihil aliud dixisset, nisi 'quòd est in Catechismo ab Ecclesia edito. *Append. ad Leviath.* c. 3. p. 362. Ex his palàm constat, te orationem tuam retexisse, & cecinisse palinodiam. Utinam par ingenuitatis specimen in cæteris erroribus agnoscendis exhiberes. Verùm interea notandum, dum calculum tuum reducis, & errorem fateris, alio teneris irretitus. Asserere enim Deum in propria persona creâsse mundum, in persona filii redemisse, in persona spiritûs sancti sanctificâsse, doctri-

ne

næ trium personarum in Sacrosancta Trinitate explicandæ nequaquam sufficit. In Catechismo ab Ecclesia edito, nè vel minimus apiculus occurrit, quo huic explicationi faveatur. Æternæ sunt Trinitatis personæ, uti patet ex symbolo Athanasiano, cui assensum te præbere astringit autoritas Ecclesiæ: verùm juxta hanc secundam cogitationum tuarum editionem, prima persona Trinitatis nata est cum Mundo condito, secunda cum homine redempto, tertia cum Ecclesia sanctificata per sanctum spiritum. Valdè infesta est hæc doctrina tremendo Mysterio Trinitatis, quâ spoliatur æternitate. Dum ex uno errore elaberis, alio te inducis. Priùs personalitatem patri ademisti, & concessisti Mosi. Jam personalitati patris, filii, & spiritûs sancti æternitatem adimis. Cynosura, ad cujus præscriptum tuum dirigis cursum, est personæ definitio. Persona (inquis) est is, qui suo vel alieno nomine res agit. Si suo, P. 77.
persona propria vel naturalis est: si alieno, persona est ejus cujus nomine agit, repræsentativa.

1. Hæc definitio neque Ecclesiæ neque Fori neque Theatri autoritate signata est. Non Ecclesiæ, nam persona ibi nihil aliud est, præterquam *ὑφιστάμενον νοερόν*. Non Theatri, quandoquidem actores non propriè perhibentur Personæ, sed Personati, quemadmodum qui larvâ indutus est non larva dicitur, sed larvatus. Non Fori, Omne jus (inquit jurisconsultus) pertinet ad personas, vel ad res, vel ad actiones. Per personas intelligit viros & fœminas, qui hominis appellatione continentur. *Inst. L.* 1. titulus tertius est de jure personarum. In *π.* titulus ejusdem argumenti inscribitur de statu hominum. Unde intelligimus (inquit Vinius) personam hîc non qualitatem civis, sed hominis designare, aut potiùs hominem simpliciter.

2. Con-

2. Concedamus tibi in Theatro vel Foro personam esse eum, qui suo vel alieno nomine res agit. Tamen in Ecclesia & Scholis est suppositum intelligens. (Potestas pro suo loquendi arbitrio Ecclesiæ perinde indulgenda est, atque Theatro aut Foro.) Verùm vox *persona* in significatu, quem ei impressere Ecclesia, patri, filio, spiritui sancto à Theologis tribuitur. Quantum à ratione abludit à definitione Personæ in Theatro aut Foro, statuere de Trinitatis personis, quæ alienæ longè naturæ sunt? Perinde agis, ac si ex definitione piscis in aqua judicium ferres de natura sideris quod eodem insignitur nomine.

3. Nulla est ratio, quare hanc definitionem tanti æstimares. Etenim eâ jam antea tanquam igne fatuo ductus fuisti in errorem (vel te fatente) planè erubescendum. Ex ea re in Editione *Leviathanis* novissima sectionem de Trinitate in *c.* 42. prioris editionis penitùs expunxisti. Utinam aliis etiam in locis stylum vertisses, quæ lituram perinde postulant. Nihilominus retentâ utique eâdem definitione, etiamnum errore perseveras implicitus. Mosem de solio ad quod Blasphemiâ tuâ fuisset erectus, deturbare non gravaris. Verùm nondum tibi visum est honorem restituere Trinitati Sacrosanctæ ademptum. Tua adhuc fert opinio Trinitatem tunc temporis existere incepisse, cùm Deus in terris repræsentari inciperet. Confiteris te valdè negligenter Mosem fecisse unam personam in Trinitate: tamen adjicis, si dixisses Deum in persona propria constituisse sibi (ministrante Mose) Ecclesiam, in persona filii eandem redemisse, in persona Spiritûs Sancti eandem sanctificâsse, non errâsses. *App. c.* 3, *p.* 362. Quò obsecro tendunt hæc verba? cui inserviunt usui? an explicando tremendo Trinitatis mysterio? Dixisti priùs, Deum incepisse primam esse personam, cùm mundum

dum conderet: & tamen hic asseris, ac si hoc factum fuisset, cùm exactâ servitute Ægyptiacâ, Ecclesiam in deserto constituerit. Hæc congruere nequeunt, nisi statuas quatuor esse Trinitatis personas; Primam, quum Deus mundum conderet; Secundam, cùm Ecclesiam in deserto constitueret; Tertiam, cùm per Christum redimeret; Quartam, cùm per Spiritum Sanctum sanctificaret. Quinetiam, cùm asseras Deum constituisse Ecclesiam, ministrante Mose, videris mihi in eundem, quem priùs retexisses, errorem incidisse. Etenim Moses, quà minister, Dei egit nomine. Ergo Moses & non Deus fuit persona. Quandoquidem, tuam juxta definitionem, persona est is, qui vel suo vel alieno nomine res agit. Ad quemque provoco, cui vel tantillum rationis relictum est, quàm ἀπροσδιόνυσα sint hæc omnia. Eâ laboras insaniâ, cujus Scholasticos insimulas. Sermones hi (ut tuis utar verbis) sunt absurdi & insignificantes. Vel tuo exemplo discamus, quàm periculosum sit cum Ecclesia non loqui. Libenter omnes ad credendum induceres te esse Ecclesiæ filium; verùm filium decet matris suæ sermonem non aspernari.

Persona vox Latina est, significans rem quamcunque singularem agentem, utcunque suâ vel alterius voluntate. Sic Cicero, Unus sustineo tres personas, mei, Judicis, Adversarii. Quid hoc est, nisi quòd ipse Cicero partes ageret, & suas, & Judicis, & Adversarii? Quid etiam est, quod invenitur in Catechismo Anglicano, ubi Minister rogat, Quid ex fidei tuæ articulis discis? Catechumenus respondet: Disco, primò, credere in Deum patrem, qui creavit me & universum mundum; Secundò, in filium ejus Jesum Christum, qui me redemit & omne genus humanum; Tertiò, in Spiritum Sanctum, qui sanctificavit me omnémque electum populum Dei: H.

nisi

nisi quòd Deus in persona propria creavit omnia; in persona filii redemit genus humanum; in persona Spiritûs Sancti Ecclesiam sanctificavit? Quid hôc de personis divinis clarius aut fidei congruentius dici potest? Quod si pro persona utamur voce *hypostasis* cum patribus Græcis, (cùm hypostasis & substantia idem significant) facimus pro tribus personis tres substantias Divinas, id est tres Deos. Bellarminus & Doctores cæteri ferè omnes personam definiunt esse substantiam primam intelligentem, ut Deum, Christum, Spiritum Sanctum, Gabrielem, Petrum. Quid sunt tres illæ substantiæ primæ, pater, filius, spiritus sanctus, nisi tres substantiæ Divinæ? Quod tamen est contra fidem. Non intellexit Bellarminus vim Latinæ vocis *personæ.* Quæ vox, si significet primam substantiam, nonne πρόσωπον idem significaret Græcè? quod non est verum; nam significat propriè faciem hominis, tum naturalem, tum artificialem, sive larvam; tum etiam faciem repræsentativam, ídque non modò in Theatro, sed etiam in Foro & Ecclesia. Facies autem repræsentativa quid aliud est quàm imago vel character repræsentati? Atque eo sensu à Sancto Paulo Servator noster, Heb. 1. 4. appellatur, Character substantiæ Dei, *App. c.* 1. *p.* 343.

T. Inter Philologos nondum convenit, an *persona* sit vox Latina. Chaldææ enim videtur esse originis à פָּרַשׁ distinguere. Etenim persona propriè est qualitas, quæ in homine differentiam facit, vel ostendit, inquit Martinius. Varios induit significatus hæc vox. Septem à Lexicographo enumerantur, quorum novissimus, sc. ὑφιστάμενον νοερόν, suppositum intellectuale apud Theologos passim obtinuit, cùm de Trinitatis disputatum sit mysterio; & hunc sensum Ecclesia Anglicana amplectitur. Cùm Catechumenum obliget Ecclesia ministro respondere, Disco,

primò,

primò, credere in Deum patrem, qui creavit me & universum Mundum; secundò, in filium ejus Jesum Christum, &c, non in animo habet proprietates notare, quibus internoscuntur Pater, Filius, & Sp. Sanctus, etenim opera externa sunt Creatio, Redemptio, Sanctificatio, & opera Trinitatis ad extrà indivisa sunt. In externis quærenda non est distinctio personalis. Internæ enim sunt proprietates. Pater non aliunde procedit; filius genitus est; ab utroque procedit Spiritus Sanctus. Incassùm agis, cùm Ecclesiæ mentem ex loco, qui palàm aliò respicit, coneris expiscari. Si tibi fuisset in animo super hac re Ecclesiæ mentem tenere, tuâ interfuisset Symbolum consuluisse Athanasianum, quod ex Ecclesiæ præscripto omnino recipiendum est, & credendum, utpote firmissimis Scripturarum testimoniis fundatum. *Artic. 8.*

Etiamsi pro *persona* uteremur voce *Hypostasis* cum patribus Græcis, non indè fas esset colligere facturos nos pro tribus personis tres substantias, h. e. tres Deos. Opinor non latere te inter Græcos & Latinos de hac voce dissensionem. Cùm Græci de Trinitate verba facerent, voce *Hypostasis* uti solebant. Latini verò *persona*. Hisce non arrisit vox [ὑπόστασις] utpote resipiens (uti conjiciebant) Hæresin Arianam: Neque illis vox *persona*, utpote quæ Sabellianæ favere videbatur. Eò usque exarsit hæc contentio, ut Synodus Alexandrina suam interponere autoritatem & arbitrum induere cogeretur. Utrosque tum Græcos tum Latinos diligenter expendebat Synodus; postquam autem compererat sanam esse utrorumque mentem, decrevit, ut his inutilibus litibus Ecclesiæ pacem non diutiùs temerarent; sed deinceps se mutuò amplecterentur, & pro Orthodoxis haberent. Ab illo tempore non recusabant Latini ad morem Græcorum loqui; nec ad Latinorum consuetudinem Græci: probè intelligentes, se priùs diversis vocabulis eandem *Epist. Syn. Alexand. ad Antioch. Bin. 482. Athan. Or. 21.*

G sententiam

Orat. 39. *Ed.Par.* p. 630.

sententiam expressisse. Hinc inquit Nazianzenus, ὅταν εἴπω ἑνὶ φωτὶ Θεὸν περιλάμφθητε, καὶ τρισί· τρισὶ μὲν κατὰ τὰς ἰδιότητας εἴτουν ὑποστάσεις, εἴ τινι φίλον καλεῖν, εἴτε τὰ πρόσωπα (οὐδὲν γὰρ περὶ τῶν ὀνομάτων ζυγομαχήσομεν, ἕως ἂν πρὸς τὴν αὐτὴν ἔννοιαν αἱ συλλαβαὶ φέρωσιν) ἑνὶ δὲ κατὰ τὸν τῆς οὐσίας λόγον, εἴτ' οὖν θεότητος. Deum porrò cùm dico, uno eodemque triplici lumine perstringamini: triplici quidem quantum ad proprietates sive hypostases, si cui hoc verbum magis arridet, sive personas: (neque enim de nominibus certabimus, quamdiu syllabæ in eandem ferrent sententiam) uno autem quantum ad substantiæ, h. e. divinitatis, rationem. Eodem redeunt verba illius in Orat. 32. τὰ δὲ τρία ταῖς ὑποστάσεσιν, εἴτ' οὖν προσώποις, ὅτῳ φίλον· tria quantum ad Hypostases, sive personas; ut nonnulli malunt. μηδὲ γὰρ οἱ περὶ ταῦτα ζυγομαχοῦντες ἀσχημονείτωσαν, ὥσπερ ἐν ὀνόμασι κειμένης ἡμῖν τῆς εὐσεβείας, ἀλλ' οὐκ ἐν πράγμασιν neque enim qui de his inter se contendunt, indecorè se gerant, perinde acsi fidei nostræ pietas in nominibus, non in rebus consistat. Enucleata tam liquidò Ecclesiæ mente super hujus vocis *hypostasis* significatione, non metuendum est, si eâ cum patribus Græcis uteremur, ne pro tribus personis tres substantias, h. e. tres Deos, faceremus. Abunde provisum est ab Ecclesia, ne hæc vox quenquam in errorem ducat. A tempore enim Concilii Alexandrini apud Patres Græcos discriminatim usurpantur οὐσία & ὑπόστασις, & ad illum tanquam ad normam voces expendendæ sunt. Si primigeniam hujus vocis *hypostasis* significationem pensemus, non idem denotat quod οὐσία. οὐσία propriè significat essentiam: ὑπόστασις verò existendi modum. οὐσία denotat id, quod summè necessariò & omnium primò rei convenit: ὑπόστασις id per quod ità existit, ut non innitatur alteri, sed aliis substet & supponatur. Cùm res extra suas erumpat causas, alterum protinus induit horum modorum: vel enim in alio existit, uti

uti accidens; vel in ea aliud, uti substantia. Hunc modum, quo res ὑφίσταται, ὕπαρξιν; rem verò subsistentem ὑφιστάμενον, appellârunt Græci.

Cùm Bellarminus & Doctores cæteri *personam* definiant substantiam individuam intelligentem, non indè constat eos non intellexisse vim vocis *personæ*. Apud Ciceronem, cujus in definienda *persona* videaris autoritati inniti, hoc significatu occurrit. Non alienum (inquit) fuit personas quasdam à vobis recognosci, ut quibuscum Bellum gereretis, possitis taciti cogitare. Quinetiam dicit alia esse rerum alia personarum attributa. Quid obsecro in hisce locis significat *persona*, nisi substantiam singularem intelligentem? Cùm insuper interroges, si *persona* significat primam substantiam nonne πρόσωπον idem significaret Græcè? regero, idem significare aliquando, ut apud Sanctum Paulum, 2 Cor. 1. 11. ἐκ πολλῶν προσώπων h. e. ἀνθρώπων. Apud Phocylidem, ἀδίκως καὶ κρίνε πρόσωπον, h. e. hominem. Cùm servator noster dicitur character τῆς ὑποστάσεως Dei patris, per ὑπόστασιν intelligamus oportet personam, & non nudam patris essentiam. Filius χαρακτὴρ dicitur, hoc est, expressa & perfecta imago. ὑπόστασις est exemplar hac imagine redditum. Inter imaginem & exemplar sicut semper intervenit similitudo; ità etiam nusquam non aliquantulum discrepantiæ. Simile idem non est, Verùm eadem est patris & filii essentia. *Phil. 6. Lib. de invent.*

In Symbolo fidei mentio nulla est neque *Personæ* neque *Hypostaseos* neque *Trinitatis*. Etsi Hypostasis ponatur in Symbolo Athanasii (sed sine Græca voce *Hypostasi*) recipit Ecclesia non aliter, quàm pro fidei Nicænæ Paraphrasi. *p.* 343. *H.*

De voce non multùm admodum sumus soliciti, quamdiu rem in Symbolis reperiamus. Non ità pridem ostensum est, vocem *hypostasis* in sacris literis eodem conspiciendum esse sensu, quo usurpatur in *T.*

Doctrina de Trinitatis mysterio: & ad oracula sacra Symbolorum sensus expendendus est. Quinetiam nominatim sunt *persona*, *hypostasis*, *Trinitas* in Symbolo Athanasiano, quod Ecclesia nostra in suam cooptavit Liturgiam, cui annuere filiorum suorum singulos obligat. ὑπόστασιν in Græco *personam* vertit Ecclesia pro more Latinorum; probè intelligens, quantùm ad significatum, utriusque vocis affinitatem.

Cùm tantopere inculcas voces quibus Ecclesia utitur, non in Symbolis, nec Scriptura extare; mihi videris antiquos imitari hæreticos qui Scripturæ Phrasin æmulabantur, ὅμοια μὲν λαλοῦντες, ἀνόμοια δὲ φρονοῦντες, eadem quidem loquentes, non eadem sentientes; ad instar Hyænæ, quæ pastoris vocem discit, & nocturno tempore ad ovium accedens stabula, evocat pastorem, quem, simulatque egressus sit, adoritur, occidit, & protinus devorat.

Irenæi præfat. ex Epiph. hær. 31.

Dogma IX.

Si multi homines contra Civitatis potestatem summam crimen aliquod commiserint capitale, propter quod, nisi se defendant, expectant mortem; habent libertatem junctis viribus se mutuò defendendi, c. 21. p. 109.

H. HAbent certè, nam vitas suas defendunt tantùm: id quod & innocenti & nocenti æquè licet. Injustitia quidem erat officii violatio prima; sed quòd arma postea ad se defendendos sumpserint, crimen non est, &c. vitam enim conservare omni modo licitum est. *c.* 27. *p.* 141.

T. Multis conflictatur hæc sententia incommodis.

1. Civitas

1. Civitas ipsa, eâ concessâ, radicitùs eruitur: quod clam te non erit, si omnia, quæ alibi asseris ad societatem spectare, in memoriam revoces: quorum hæc summa est. Præ humani appetitûs motibus homines pacem & tranquillitatem tueri non possunt, nisi in Civitatem coalescant. Civitas absque legum præsidio diù nequit consistere. Leges sine pœnis inutiles sunt futuræ. Pœnæ nullius sunt momenti sine summa potestate, quæ nos ad eas subeundas impellat. Jam ergo, si major Civitatis pars rea sit capitalis criminis, propter quod cervix securi subjicienda est, & jus habeat arma sumendi atque resistendi, Nullum jus sumendi supplicium apud summam potestatem remanet; quippe duo contraria jura in eadem Civitate nequeunt consistere. Idem subjectum eodem tempore contrariorum incapax est. Et si potestas animadvertendi in reos, quæ essentiam Civitatis ingreditur, esse desinat, non diutiùs manebit Civitas: sed è vestigio in dissociatam evadet multitudinem. 2. Ex hac opinione bellum utrinque in se justum esse potest. Ex parte Magistratûs, propterea quòd ad exigendas pœnas capitales à Deo ipso creatur. Ex parte reorum, quia jus omni modo tuendi vitam nusquam amittunt. Passim decantatum est, milites quod attinet, bellum utrinque justum aliquotiès geri: verùm hactenus inauditum est, bellum in se licitum esse posse ex utraque parte, quantùm ad Duces & auctores. 3. Hæc sententia id licitum esse declarat, quo Divinæ ordinationi resistitur. Summa potestas ex ea causa à Deo instituitur, ut in malefactores animadvertat. Si penès illos potestas arma sumendi remaneat ad vitam tuendam; non invitis consequentiis concludamus idquandoque licere, quo institutio Dei impugnatur. 4. Adversatur exemplo Christi, qui cùm ad crucem esset damnatus, & in sui defensionem legiones Angelorum conscribere potuisset; tamen nihil

 hujus-

hujusmodi meditabatur: sed instar ovis ad lanienam ductus fuit; quod exemplum nobis imitandum reliquit, 1 Pet.4.12. 5. Opponitur ex diametro veterum Christianorum praxi, qui, cùm rerum summam tenentes mortem iis ob religionem intentarent, sibi fugâ quandoque prospexerunt: verùm nunquam moliti sunt vim vi repellere. Longè à veritate aberrant, qui arbitrantur non animum, sed vires defuisse. Compertum est secus fuisse ex Thebæa legione, quæ militibus sexies mille sexcentis sexaginta sex constabat. Decimus quisque per apparitores interfectus fuit. Tertullianus palàm profitetur vim copiarum minimè desiderari, si in animo Christiani haberent arma sumere & Imperatorum ferociam reprimere. Cum illo concinunt Cyprianus, Lactantius, Augustinus. Convenit inter omnes, eos ad hanc patientiam fuisse devinctos lege Christi. Et si innocentes, multò magis nocentes, qui viam lethi merentur calcare. Prætendis, quod vitam solam defendant; quam tueri omni modo licitum est. Itáne est? Licet ne mentiri, religioni nuncium remittere, omnia jura tam humana quàm divina temerare, ut vitam tueamur? Qualis est hæc injuria nobismetipsis illata, sc. vitam æternam amittere, ut fragilem & temporalem conservemus? Qualis communitati, cujus tranquillitatem ipsâ vitâ chariorem habere tenemur? Qualis imperium tenenti, qui (si hæc doctrina in patrocinium suscipiatur) finem ordinationis suæ inter suos ipsius subditos citra dispendium innocui sanguinis assequi non poterit? Innuis te in spem induci, librum tuum aliquando alicui principi in manus venire posse, qui singula in eo complexa suis momentis pondereverit. Ubi hoc evenerit, cave ne putes illum tibi gratiam appositurum de hac doctrina, quæ ad seditionem concitandam, & omnem confusionem intromittendam apprimè conducit. Reperiet enim inibi assertum,

Apolog.

1. Prin-

1. Principem nullam virtute imperii politici potestatem habere pœnas irrogandi, verùm illam solam, quam habuerat in statu naturæ, antequam Civitas esset constituta, *c.* 28. *p.* 146. Quod palàm ostendit, te nihil juris ad pœnas sumendas Monarchæ tribuere potentissimo, quod privato cuique extra Civitatem non competit. 2. Principem unumquemque juxta legem naturæ, acceptâ futuri temporis cautione, præteritas injurias pœnitentibus & petentibus condonare debere, *c.* 15. *p.* 76. quod publico ordini lethale vulnus imprimit. Magistratûs enim est non solummodò de futuro cautionem accipere, ne reus idem denuo facinus perpetret: Verùm etiam cavere, ne alii exemplo impunito, ad facinus idem perpetrandum alliciantur. 3. Si summam potestatem habens punitum eat, liceat malefactoribus junctis viribus in illum insurgere, *c.* 21. *p.* 109. Quod clarissimo rationis dictamini adversatur. Communitati enim injurius est quisque, qui malefacit. Mores hominum nihil malo exemplo citiùs imbuit. Animo non invito resarciat oportet injuriosus damnum illatum. Satisfactio hæc plerumque fieri nequit citra datas pœnas. Malefactores ergo pœnas inflictas subire obligantur, & non vi & armis potestatis ad pœnas sumendas institutæ ruinam moliri. 4. Pactum in mera conditione naturæ, si quæcunque interveniat suspicio de non præstando, invalidum est, *L. c.* 14. *p.* 69. Si res ità sit, actum est de Principis autoritate. Pactum enim, quo constitutus est, in naturæ statu initum fuit. Causa Civitatis ipsam Civitatem præcedat necesse est. Itaque juxta doctrinam hanc, si suspicetur populus Principem partes suas non præstiturum fore, vires suas protinus amittit pactum, & continuò Civitas dissolvitur. Quandocunque cuiquam ad Clavum sedenti visum fuerit librum tuum revolvere, se tibi devinctum haud fatebitur de hac doctrina potestati suæ multùm admodum infestâ.

Dogma X.

Docendi potestas in Ministris à Magistratu solo immediatè derivatur, c. 23. p. 120.

H. POpulum docendi Monarchis solis & cœtibus summis autoritas à deo immediatè concessa est, ut qui soli dicantur simpliciter Dei gratiâ docere & imperare. Minister docendi potestatem immediatè à summa potestate, quamquam mediatè à Deo accipit. p. 120.

T. Libenter tenerem, unde potestas docendi populum, Apostolis fuit delata. Cujus sunt hæc verba, Docete omnes Gentes, Mat. 28. 19. an Christi, vel Imperatoris Romani ? Cum legatorum titulo insigniuntur Apostoli, 2 Cor. 5. non dicuntur hanc vicariam operam terrestri Monarchæ, sed cœlesti impendisse. Christus curru triumphali in cœlum ascensurus, Ecclesiam Ministris immediatè donavit. Ubi jam tum fuêre Monarchæ, & post illa tempora per trecentos annos, è quibus Doctores Ecclesiæ concionandi potestatem derivare potuêre ? Putásne Ecclesiam tantisper sine ulla auctoritate doctam & ædificatam fuisse ? vel an verisimile est, Imperatores potestatem indulsisse, qui ad Christi doctrinam funditùs extirpandam conatus suos inflexerant ? Si Ministri Evangelii illis superioribus seculis potestatem docendi à Christo immediatè acceperint, unde compertum habes, secùs debere esse nostris temporibus ? præsertim, cùm spondeat Christus, ubi potestatem docendi suis discipulis concedit, se cum illis esse futurum usque ad novissimam Mundi periodum. Grato animo agnoscimus, Reges esse Ecclesiæ patres, verùm non qui generant, sed qui alunt succo nutricio. Christus ipse

ipse Ecclesiam genuit, constituit, & idoneis instruxit organis. Officium in Reges devolutum est fovere, enutrire, exercitium potestatis à Christo indultæ in eam partem moderari; ut venenum in vicem lactis populo non porrigatur. Hoc pastis nutricii munus est.

Docendi potestas immediatè à Christo derivatur: Verùm autem cùm Christi sit voluntas, ut exerceatur hæc potestas intra territoria Magistratûs civilis, cujus est providere, ut tranquillam & piam ducamus vitam; & doctrina prædicata tranquillitatem pietatémque multùm admodum impediat aut promoveat: necesse est ut, quantùm ad exercitium, à seculari potestate plurimùm pendeat. Hoc fusiùs explicatum reperies in Exam. Dog. 28.

Dogma. XI.

Consilium Dei in Sacris literis differt à præcepto, c. 25.

INter Consilium & Imperium differentiâ una magna est, quòd hoc ad proprium, illud ad alienum bonum tendere intelligitur. Atque hinc differentia oritur alia, quòd is, cui imperatur, ad obedientiam obligari possit, nempe si obedire pactus fuerit: Sed is, cui consilium datum est, ut juxta consilium datum agat, obligari non potest, &c. p. 125. *H.*

Differentiæ inter Imperatum & Consilium exempla è sacris literis sumi possunt. Nè habeas alios deos coram me. Nè facito tibi sculptile; &, Nè assumito nomen Dei tui in vanum. Sanctifica Sabbathum. Honora patrem & matrem, &c. imperata sunt;

sunt; quia ratio obedientiæ à voluntate ducitur Dei, cui obedire obligamur. Sed verba hæc, Vende omnia quæ habes, da pauperibus, & sequere me, consilium est; propterea quòd ratio propter quam ita faciendum est, à bono nostro derivatur, nempe ut thesaurum in cœlis habeamus. Sed verba hæc Christi, Mat. 21. 2. Ite in vicum qui vobis ex adverso est, & invenietis asinam & pullum cum ea, solvite & adducite; pro imperio dicuntur, quia domini sunt: verba autem hæc, Resipiscite & baptizamini in nomine Jesu, consilium est, quia non ad bonum aliquod, quod ad Deum perveniat, (qui quantumcunque contumaces sumus, semper regnabit,) sed ad bonum nostrum, qui pœnam propter peccata nostra, aliâ viâ effugere non possumus. c. 25. p. 126.

T. Ex literis sacris non compertum est, Deum ullibi consilium dedisse, quod præcepti & imperati vim non complectitur. A præcepto diversum esse potest hominis consilium, qui plenâ imperandi potestate non induitur; verùm ubi consulit Deus, cui summum est in nos dominium, nec non jus quidlibet jubendi; perinde est ac si præciperet: continuò enim devincti sumus obsequi: quod si facere recusemus, eo nomine citra remissionem luendæ sunt pœnæ gravissimæ. Hinc de re præcepto imperata, usurpatur verbum συμβουλεύω, Apoc. 3. 18. Consulo tibi, ut emas à me aurum igne expurgatum. Exempla à sacris petita literis inter Dei consilia & præcepta discrimen neutiquam evincunt. Verba hæc, Vende omnia quæ habes, non nudum complectuntur consilium; verùm etiam legem sive præceptum particulare juveni datum. Etenim illius animum imbuerat error Pharisæorum, qui opinabantur obedientiam unicè operibus existere externis, & ex ea re se totam legem implevisse, si ab homicidio, adulterio, cæterisque peccatis gravioribus abstinuissent. Ut Christus ab hoc fermento

fermento juvenis expurgaret animum, & palàm faceret, quàm alienus ille esset ab amore illo divino, quo solo lex impletur, in mandatis dedit, ut omnia venderet & daret pauperibus, ut hoc pacto juvenis meliùs nosceret semetipsum, & non diutiùs nescius maneret, utrùm Deum an Mundum magis deamaret. Juveni non liberum erat parere, aut abnuere: verùm conscius novæ obligationis sibi impositæ, discessit animo saucius, & non mediocri tactus dolore.

Verba hæc, Vende omnia, consilium continere & non imperatum, ad credendum inductus es: quippe ratio propter quam ità faciendum est, à bono nostro derivatur, nempe ut thesaurum in cœlis habeamus. Æquè bene colligas, hæc verba, Honora patrem & matrem, non præceptum complecti, verùm consilium, quippe ratio unica, qua alliciuntur liberi ad obsequium, petita est ab eorum utilitate, nempe vita in terris longæva.

Si verba hæc, Resipiscite & baptizamini in nomine Jesu, nihil præter consilium denotent, tum nemo ad pœnitentiam agendam aut suscipiendum Baptismum devinctus est. Hoc enim ex opinione tua, non est minimum inter imperatum & consilium discrimen; Imperatum obligat, consilium verò non obligat. Admodum futile est quod subjungis; ac si doctrina de pœnitentia & baptismo in nomine Jesu consilium esset, quia non spectat ad bonum aliquod, quod ad Deum perveniat; sed ad bonum nostrum. Multoties muniuntur Principum Imperata rationibus unicè ad subditorum utilitatem spectantibus, & tamen eo nomine naturam legis non exuunt, & in consilia degenerant. Deinde pœnitentia & Baptismus, quemadmodum ad promovendum nostrum bonum plurimùm conducunt; ità etiam ad gloriam divinam illustrandam. Hinc Josua, cùm Achanem ad confessionem, unam pœnitentiæ partem, sollicitaret, in hæc erum-

pit

Jos. c.7. v.19. pit verba, Tribue gloriam Jehovæ, & ede ei confessionem. Baptismus est misericordiæ & benignitatis divinæ in peccatorum remissione solennis promulgatio.

Si testimonia cumulâsses omnia, quæ Pontificii in partes suas trahere soliti sunt, irritus tamen fuisset tuus conatus. Quandocunque consulit Deus, circa bonum versatur consilium ejus: etiamsi non sit bonum simpliciter, tamen circumstantiis tale evadit. Quicquid bonum est, ad promovendam tendit nostram perfectionem. Quod ad hunc collimat scopum, imperatur, Mat. 5. Estote perfecti, sicut pater vester, qui est in coelis, est perfectus.

Dogma. XII.

***Cives omnes obligantur pro lege divina habere, quicquid à lege Civili pro lege divina declaratur*, c. 26. p. 137.**

H. DIco in rebus omnibus legi morali, id est, legi naturæ non contrariis, Cives omnes obligari, ut pro lege divina habeant, quicquid à lege Civili pro lege Divina declaratur, *c.* 26. *p.* 137.

T. Per legem moralem sive naturæ legem intelligis, qua quisque semet conservare tenetur. Ab hac enim radice, quicquid id nominis mereatur, pullulare existimas. Itaque mens tua hæc est; Quicquid summa injunxerit potestas, & legem esse divinam declaraverit, quod vitæ conservationi non adversatur, à civibus pro lege divina habendum est. Tribus primis post Christum natum seculis, Imperatores Romani religionem suam divinam esse declarabant, Pas-

sim

sim creditum fuit Numam Pompilium, Institutorem primum, eam ab Egeria Deâ Cœlesti didicisse. Ex opinione tua cum Naturæ lege apprimè conveniebat. Nemo enim tunc temporis, nisi eam admitteret, vitam suam potuit tutari. In detrectantes Imperium gladio passim fuit sævitum. Num existimas ibi tum Christianos fuisse devinctos eam amplecti religionem, & pro divina habere, h. e. cultum Diaboli Dei honori anteponere; Inferni errorem præferre veritati Cœlesti?

Si Legem Naturæ sensu vulgari accipiamus, sc. pro ea, quæ naturæ lumine innotescit; tamen à ratione multùm admodum abhorret tua sententia. Quid si lex à Magistratu pro divina declarata tali non adversetur præcepto, nihilo seciùs repugnet positivæ & revelatæ, cui obsequium perinde debetur. Num opinatis Deum aliam nullam nobis providisse viam, præter Magistratûs declarationem, qua notitiam assequi possimus legum positivarum. Leges hujusmodi primitùs fuêre promulgatæ à Christo & Apostolis, qui, ut omnibus innotesceret, se autoritate cœlesti munitos fuisse, literas attulerunt fidem facientes, sc. potestatem miracula præstandi. Leges hasce unà cum historia miraculorum, quibus fuêre confirmatæ, per omnia secula tandem ad manus nostras detulit universalis Ecclesiæ traditio. Eis nobis traditis, detegimus illicò & deprehendimus egregiam sanctitatem, sapientiam insignem, omnésque characteres qui divinam resipiunt originem. Hæc fidei sufficiunt faciendæ, Leges hasce à Deo fuisse conditas.

Quamquam à Deo revelatum esse alicui aliquid credere inducatur aliquis, vel propter miracula quæ ab eo facta esse viderit, vel propter egregiam sapientiam, vel propter egregiam felicitatem, quæ omnia gratiæ Divinæ signa sunt satìs magna; certitudinem tamen non efficiunt. Miracula enim, ex quo tempore *H.*

pore nobis Christianis positæ sunt Leges divinæ, cessaverunt. Miracula narrantibus credere non obligamur. Etiam ipsa miracula non omnibus miracula sunt. c. 26. p. 136.

T. Summam efficiunt certitudinem miracula; sunt enim cœlestia veritatis sigilla. Potestas ea præstandi impostoribus nunquam concreditur. Etiamsi jam cessaverint; tamen miracula narrantibus credere obligamur. Viri enim fuère Spiritu Sancto ducti. Historiam, quam concinnârunt, Ecclesiæ tradebant primitivæ, cujus membra quamplurima testes oculati fuerant. Ecclesia illa narrationem literis fideliter mandatam, proximo tradebat seculo; & sic deinceps per omnia secula sequentia, nemine renuente, tandem nobis in manus tradita est. Nihil, quod scio, flumine tam pleno ad nostra defertur tempora. Liceat cum ratione multò majori de Alexandri M. aut Julii Cæsaris facinoribus ambigere, quæ eos præstitisse nemo hactenus iverit inficias; quàm de miraculosis Christi & Apostolorum operibus. Immò pari de omnibus ratione dubitemus, iis non exceptis, quæ oculis usurpamus. Experientiâ sumus edocti, quomodo qui cæcus natus est, baculi subsidio, quo utitur ad vestigia sua regenda, facilè internoscat, & varia objectorum notet discrimina: hoc asperum, illud læve pronunciat. De eorum præsentia ac natura perinde certus evadit, ac si oculis videret. Philosophia Gallica hunc scipionem, quasi sexti cujuspiam sensûs organum appellat. Traditio hæc Ecclesiæ Universalis huic scipioni non prorsus dissimilis est, cujus altera extremitas ad nos, altera ad Christi & Apostolorum pertingit tempora: per hanc enim, tanquam per baculum intermedium, sentimus, quæ temporibus illis præstita fuerint miracula; & perinde certi evadimus, ac si iis faciendis interfuissemus. Hæc per traditionem cognitio adeò clara

fuit,

fuit, ut Sanctus Paulus eam visioni æquare non reformidet; Crucifixionem Christi Galatis per traditionem solam compertâ, Christus illis ante oculos poni & crucifigi perhibetur. Si vera sit tua sententia, actum est non solummodò de fide, verùm etiam obediendâ; nemo enim legibus positivis ab evangelii præconibus prædicatis parere tenebitur. Orig. con. Celsum. L. 1.

H. Ut divina supernaturalia prædicantibus obedire aliquando & alicubi debeamus, causa in promptu est, nempe si ea quæ prædicant pro legibus haberi jusserit Civitas; Est enim de lege naturali, quæ divina etiam est, ut in iis omnibus, quæ jusserit Civitas, Civitati obediamus, quanquam non ut credamus; Credere enim animi actus est, non à Deo jussus, sed factus, quem quando & quibus vult, dat negátque; & non credere legum divinarum positivarum negatio, non transgressio est, p. 136.

T. Si nulla Christianis incumbat necessitas obediendi legibus Dei positivis, per præcones Evangelicos prædicatis, nisi ubi jusserit Civitas; tum 1. ante Constantini tempora, cùm contrarium in mandatis dabat Civitas, nemo Christianorum Christi præceptis obsecundare obligabatur. 2. Si sit de lege naturali, quæ etiam divina est, ut Civitati in omnibus obediamus; tum ubi Civitas jubet, ut Diaboli pareatur præceptis, lex Dei est, ut illicò Diabolo concedatur obedientia; & sic quandoque vult Deus, ut id agatur, quod suæ adversatur voluntati. 3. Si obedientia nostra in omnibus componenda sit ad Civitatis mandatum; tum etiam & fides. Ab illo peccatur, qui ex fide non obedit, Quicquid ex fide non est, peccatum est, Rom. 14. 23.

H. Si credere non teneamur ex Magistratûs mandato, quippe actus est à Deo factus; pari inferas ratione, quòd non obligemur obedire. In sacra enim pagina, sicut τὸ πιστεύειν, ita τὸ ἐνεργεῖν Deo tribuitur. Toto

erras

erras cœlò, cùm asseras à Deo jussum non esse actum fidei. Hoc enim est palmarium Evangelii præceptum. Hinc Celsus religioni Christianæ infensissimus præceptum hoc *πίστευσον* Christianis olim exprobravit. Neutiquam pugnant hæc duo, *juberi* & *fieri* à Deo. Jubet Deus, ut faciamus novum cor, Ezech. 18. 31. & tamen spondet, se daturum cor novum, Ez. 36. 26. Mandat, ut operemur, Phil 2. 12. & tamen efficere dicitur tum velle tum operari, Commate 13. Deus enim in operando concursum suum ad indolem nostram ità accommodat, ut nos etiam nostras agamus partes. Non credere, legum divinarum positivarum non solùm negatio, verùm etiam transgressio est, ubi promulgatæ sunt. Et Civitate omnino tacente, immò leges hasce damnante, plerumque sufficiens contingit promulgatio; utì abunde liquet ex tribus primis post Christum natum seculis, ubi tantum absuit potestas civilis à promulgandis legibus Christi, ut impensè navaret operam iis supprimendis & sempiternâ sepeliendis oblivione; Et ibi tum cives Christiani id de iis certitudinis acquisiverant, ut veritatem earum suo signare sanguine multa eorum millia non dubitarent. Si Deo placeat, ut nullo alio medio præterquam civitatis declaratione, ad voluntatis suæ notitiam perveniamus; tum ductum infallibilem Civitati semper indulget; ità ut nunquam à veritatis aberret tramite: vel vult, ut quandoque hallucinemur, & id pro sua habeamus voluntate, quod ei ex diametro opponitur. Si veritati congrua fuisset hæc sententia non minimi ponderis; non existimandum est Sp. Sanctum eam silentio præterire voluisse in sacris literis.

Orig. con. Cellsum. L. 1.

H. Deus de Abrahamo loquens Gen. 18. 18. In eo (dicit) benedicendæ sunt omnes gentes terræ, nam agnovi eum, ut cùm præceperit filiis suis & familiæ suæ post se, etiam observent viam Jehovæ, &c. In

montem

montem Sinai ad Deum ascendit solus Moses: populus ne ascenderet, veritus est, ne moreretur; obligabatur tamen. Cur? quia ipsi Mosi promiserant facere omnia, quæ imperaret; dixerántque, Loquere tu nobiscum, sed ne loquatur nobiscum Deus ne moriamur. Ex quibus locis satis constat, in omni Civitate civem, cui non sit facta divinæ voluntatis revelatio certa & immediata, debere pro voluntate divina legibus obedire civitatis. *p.* 136.

Admodum insolens & inusitata est tua ratiocinatio. In Civitatibus (inquis) quibus præerant Abrahamus & Moses, tenebantur cives pro divina habere voluntate quod ab illis imperabatur. Ergo idem faciendum est in omni Civitate. Inductio, quæ est à singularibus ad universalia progressus, nunquam firma est, nisi ubi singularia enumerantur omnia. Abrahamus & Moses viri fuêre extraordinario induti Spiritu, & immediatæ cum Supremo Numine consuetudinis testimonia multoties exhibuerant. Ex ea re si nullâ Civili præditi fuissent autoritate; tamen devinctus evasisset populus Israeliticus legibus parere ab iis promulgatis. Uterque Sp. induebantur prophetico; & multoties in mandatis datur, ut prophetis mos geratur nullâ civili potestate præditis. Ad calculos reduci non meretur quod subinde sequitur, sc. Mosi parere populum eo nomine solo obligatum fuisse, quòd promiserat facere omnia, quæ imperaret. Ligabat quidem promissio, verùm unicum non erat ligamen. In locis laudatis nè hilum occurrit, ex quo pateat rationem obedientiæ populi fuisse petitam à civili sola, quæ Mosi & Abrahamo competebat, potestate. Citra dubium, si Deo sit in animo, ut Cives omnes id pro lege divina habeant, quod à summa potestate ità declaratur, cuique in omni civitate ad clavum sedenti spiritum infallibilem indulgeret. Animo non invito concedimus Deum sæpenumerò ordinem suum *T.*

ornamentis præcellentissimis condecorare, & perspicaciâ dignari cœlesti. Cùm septuaginta seniores ad populi moderamen constituti essent, seposuit Deus de Spiritu Mosis, & impertivit iis. Gideonem induebat Sp. domini, cùm rerum potiri inciperet; Ad instar velleris sui rore repletus fuit cœlesti, cùm cæteri omnes usquequaque sicci manerent. Davidem, quantùm ad sapientiam, Angelo æquat mulier Tekohæa. Non opinandum, fœminam assentandi animo & adhibendi blanditias fuisse locutam. Etenim opinionis fecit memoriam, quæ passim percrebuerat, putà reges perspicacitate cœlitùs esse donatos. In proverbium cesserat, *Divinatio in labiis Regis*. Veteres (inquit Orator) ut enim sapere sic etiam divinare regale dicebant. Indè dictu consultissima nuncupantur משלים à משל dominatus est, Prov. 8. 6. נגרים à נגיד antistes, שלשים à שלש dux, Prov. 22. v. 10. quippe sententiæ, quæ altissimam resipiunt sapientiam, Regibus, Antistitibus, Ducibus Supremis ex ore solerent excidere. Hæc omnia evincunt Rectores perspicaciâ divinitùs donatâ plerumque antecellere; tamen minimè liquet Deum eos extra omnem erroris aleam posuisse, aut ob id civibus incumbere necessitatem habendi pro voluntate divina, quicquid pro voluntate divina declaraverint.

Num. 11. 17. *Jud.* 6. *v.* 34. 2 *Sam.* 14. 17. *Pro.* 16. 10. *De div. p.* 188.

Ex præmissis liquet, quid nobis statuendum sit de hoc dogmate, cujus hoc sit compendium: Deus præcepta condidit positiva; præcepta hæc eis fuère leges, quibus supernaturaliter revelabantur. Leges nobis esse non incipiunt, antequam potestas civilis eas pro legibus declaraverit. Quicquid à Magistratu civili pro lege declaratur divina, citra scrutinium pro tali habendum est lege, si legi naturæ non adversetur. Nihil naturæ legi repugnat, quod ad vitæ conducit conservationem.

Dogma

Dogma XIII.

Sententia eorum, qui motus animi primos, peccata esse aiunt, nimis severa esse videtur, c. 27. p. 138.

SIquis bona, servos, uxorem videns proximi sui, frui illis cum delectatione imaginatus tantùm fuerit, absque omni intentione vel consilio per fraudem, per vim occupandi, peccatum non est, neque præcepti, Non concupisces, violatio. Neque voluptas, quam quis habere potest, dum inimici, à quo vivente nihil expectat nisi malum, mortem imaginatur, vel somniat, modò contra illum nil moliatur, peccatum est. Nam jucundi etiam imaginatione delectari, ità homini naturale est, ut lex, quæ id prohiberet, etiam hominem esse prohiberet. Sententia igitur eorum qui motus animi primos peccata esse aiunt, tum aliis tum sibimetipsis nimiùm severa esse videtur. *H.*

Nulla sententia nimis severa censenda est, cui sacra annuunt oracula. Ut de hujus consensu, quam præ manibus habemus, judicium feratur, præmittendum est, Motus animi ad malum ad triplicem classem reduci debere. Vel sunt, qui utprimum à Tentatore injiciuntur, rejecti sunt: vel qui aliquantisper manent, & titillant animum; sed non in propositum maturescunt: vel qui usque adeò manent donec adolescant in decretum utendi mediis quæ ad voti fruitionem conferant. In disceptationem non veniunt motus primæ vel tertiæ classis. Motus soli secundæ in discrimine sunt. *T.*

Si decimum præceptum nobis his motibus ad ma-

lum non interdicat, quid obsecro est illud, quod interdicitur? Non motus primi ordinis, etenim non sunt peccata: non tertii, prioribus enim vetantur mandatis. Decalogus, utpote lex spiritualis, actu interno pariter ac externo interdicit; uti patet ex ipsius Christi Commentariis, Mat. 5. & etiam Hebræorum, qui sexcenta & tredecim præcepta, quorum aliqua actus animi internos respiciunt, ad decem reducunt mandata. Nihil peculiare decimo præcepto prohibendum relinquitur præter Motus secundæ Classis: Cui sententiæ accedit Apostolus in 7 c. Ep. ad Romanos, Cupiditatem non nôssem, nisi lex dixisset, Non concupisces. Per Cupiditatem oportet intelligere aliquem animi motum, qui pro peccato absque subsidio legis cœlitùs revelatæ facilè non noscitur. Lumen naturæ solius malitiam motuum tertii generis luculentissimè detegit. Ergo necesse est, ut præceptum Divinum summoperè ad motus collimet, qui solum titillant animum & internâ delectatione afficiunt, ubi nullus est animus fruendi re expetitâ per vim vel dolum. Cùm asseras, siquis videns uxorem proximi frui illâ cum delectatione imaginatus tantùm fuerit, non peccat, ipsius Christi sermoni obstas. Qui viderit (inquit) mulierem ad eam concupiscendam, jam mœchatus est in corde suo, Mat. 5. Nihil hîc de instituto fruendi; sed tantùm de desiderio unà cum delectatione. Quinetiam insuper, cùm asseras voluptatem, quam quis habere potest, qui inimici mortem imaginatur, in peccatorum catalogum conscribendam non esse, ipsi Christo denuo refragaris. Nobis enim dat in mandatis, ut inimicos diligamus. Amor inimici cum delectatione nequit congruere, quæ ex tali imaginatione emergit. Concedo libenter, quòd nobis ingenitum sit jucundi imaginatione delectari: nec damno cupiditates, quas Deus ipse ab incunabulis rerum animæ humanæ ità inseverit, ut indè

nisi

nisi cum humanitate ipsa revelli non possint: Verùm si hæ appetitiones fiunt enormes præ indebitis circumstantiis, & cum ordinatione Divina confligant, eas pro peccato habendas pronunciare non reformido. In hisce motibus non Naturam, quatenus à Deo est, sed deordinationem, quæ est à nostra voluntate, damnamus. Hæ appetitiones quà enormes, indoli & genio nostro admodum sunt consentaneæ; quippe quòd Natura Adami lapsu adeò contaminata est, ut citra gratiæ auxilium nihil puri aut sinceri indè queat oriri.

Dogma XIV.

Hæc Doctrina [*Quicquid facit Civis contra Conscientiam suam est peccatum*] est seditiosa, c. 29. p. 152.

REpugnat enim Civili Obedientiæ. Et si is qui nullâ lege Civili obligatur contra Conscientiam suam agens peccat, propterea quòd actionum suarum regulam aliam non habet præterquam suam ipsius rationem; aliter tamen se res habet in iis, qui legibus Civilibus sese submiserunt, ubi non privata sed publica lex unicuique Civi pro conscientia habenda est. Alioqui in tanta conscientiarum h. e. opinionum privatarum varietate necessariò Civitas dividetur: nec summæ potestati obediet quisquam, nisi quatenus sibimetipsi visum erit. H.

Passim decantatum est, *βροτοῖς ἅπασιν συνείδησις θεός*, Conscientia in quolibet homine operam vicariam Deo impendit. Sua ipsius dictamina sub ratione voluntatis Divinæ proponit. Quemadmodum qui priva- T

tum vulneribus confodit existimans esse Regem, contra Regem ipsum peccâsse non immeritò existimatur; ità qui suæ ipsius conscientiæ vulnus infligit, per interpretationem non invitam in eorum numero esse putabitur, qui voluntatem impugnant divinam. Deus enim à nobis postulat, non solùm ut bonum agamus; sed ut id scienter, duce intellectu, præstemus. Si quid propterea à nobis peractum sit contra judicium practicum (quale conscientia denotat) quantùm ad circumstantiam à Deo postulatam deficimus; & malum sive peccatum ex quolibet defectu emergit. Quoquo modo opineris; tamen liquidò apparet Sanctum Paulum non autumâsse hanc doctrinam Civili repugnare obedientiæ. Etenim hortatur, ut omnis anima potestatibus supereminentibus subjecta sit, Rom. 13, v. 1. nihilominus rotundè pronunciat Rom. 14. Omne quod non est ex fide, h. e. quod non concordat judicio conscientiæ, peccatum est, uti Origines, Chrysostomus & Ambrosius locum interpretantur. Si hæc Sententia cum obsequio Magistratui debito in Concordiam nequeat adduci, immane dictu est, Apostolum tam citò sui oblitum esse, & id subruere & penitus evertere voluisse, quod Capite proximè præcedente stabiliverat.

Non tibi annuit Constantius Constantini Magni pater, qui è Christianis eos in optimorum subditorum album cooptari & à conciliis esse voluit, qui contra illius Imperium simulachris immolare recusaverant, ne in cœlestem normam & suam ipsorum Conscientiam impingerent; ratus eos nunquam in Imperatorem fideles esse futuros, qui tam facilè Deum & Conscientiam contempserant. Fateris, extra Civitatem contra Conscientiam agentem peccare; verùm in memoriam revoces oportet, rationes, quas protulimus, quemcunque statum spectare. Conscientia, sive extra civitatem sive intra, vices Dei gerit. Intellectu duce

Sozom. p. 203.

omnia

omnia agenda sunt. Apostolus in illis verbis [quod non ex fide, est peccatum] alloquitur Romanos, qui jugo Legum Civilium cervices suas submiserant. Valde absonum est asserere publicam legem pro conscientia habendam esse. Omnes unà consentiunt Conscientiam esse vel potentiam, vel habitum, vel actum practici judicii; non Legem. Si per Conscientiam velis regulam, cui Conscientia sive sit potentia, sive habitus, sive actus, debet conformari; tum publica lex est vel partialis Conscientiæ, vel totalis regula. Si sit partialis, tum est vel superior lege divinâ, vel æqualis, vel inferior. Nemo eò insaniæ processit, ut æquare audeat legem civilem divinæ, nedum anteponere. Si inferior, tum ei non parendum est, nisi ubi superiori non repugnat. Si sit totalis, tum vel absolutè vel in suo genere. Non absolutè; hoc enim esset asserere legem divinam nullatenus ad conscientiam spectare. Si in suo genere; tum est suprema & mediata, vel subordinata & immediata. Per supremam & mediatam intelligo voluntatem illius qui in conscientiam habet dominium: per subordinatam & immediatam, lumen, quo voluntas ejus innotescit conscientiæ. Non est regula totalis in primo genere, propterea quòd ejus solius est talem regulam præstituere, cujus est exercere directum Imperium in conscientiam: Verùm enim hoc soli Deo competit, cui interni animi motus unicè innotescunt. Nemo in ignota imperium exercet. Lex de incognitis non statuit. Hinc illud Maximiliani primi, Conscientiis dominari velle est arcem Cœli invadere. Ex hac re Deus dicitur unus Legislator, h. e. unicus, qui Conscientiæ legem imponit. Jac. 4. 12. Spiritus Sanctus increpat illum, qui de aliorum conscientiis temerè fert judicium; quasi in Cœli jus involaret, & vindicaret sibi peculium Dei. Illius est (inquit) judicare de conscientiis, cujus est legem imponere, *unus est legislator*.

Non est regula totalis in secundo genere; etenim lumen, quo immediatè ducitur conscientia, non in Universum à legibus Civilibus derivatur. Est nobis lumen innatum, quod è principiis ingenitis emergit; est etiam revelatum, quod vetus & novum Testamentum, duo orbis Christiani Luminaria, undique vibrant. Leges quà civiles voluntatem hominis non Dei ad nos deferunt. *A quatenus ad omne valet consequentia*; Et omnes leges Civiles cum mente divina non congruunt. Si Deo placitum sit, sive congruant, sive non, ut eas pro voluntate sua habeamus, & eo nomine citra ullum scrutinium è vestigio pareamus; tum Deus vult, ut aliquoties decipiamur, quod minimè concinit cum veracitate Divina; & ut id quandoque agamus, quod suæ ipsius voluntati repugnat, quod immutabilitatem pariter labefactat. Non metuendum est, ne Civitas ab iis dividatur, qui metuunt suis conscientiis facta opponere. Religio, quæ in molli & tenera conscientia se maximè prodit, est gluten, quo Civitatis partes ferruminantur. Vera pietas efferos animos tam edomitos reddet, ut in societatem ultrò concesserint. Qui veretur, ne contra Conscientiam peccet, quæ in anima Deo vicariam impendit operam, non minus erit solicitus, ne se Regi immorigerum præstaret, qui pariter Dei personam gerit in Civitate. Si vicarius Dei in animis dictat, quod mandato vicarii Dei in Civitate adversatur, non illico de dissolutione Civitatis metuendum est. Conscientia rite instituta docet, ubi activa obedientia jure concedi non potest, passivam debere. Non tecum sentit, qui arbitraris, ac si fas esset arma sumere & bellum gerere, quoties Magistratus ad irrogendas pœnas capitales accesserit. Ità prorsus actum esset de Civitate, ut suprà demonstravimus.

Dogma

Dogma. XV.

Quilibet Civis privatus non est judex bonarum & malarum actionum, c. 29. p. 152.

IN conditione naturali, nondum existentibus legibus, atque etiam in Civitatibus, quod attinet ad actiones, quæ nullâ Lege prohibentur, judex est. Manifestum alioqui est, mensuram boni & mali in actionibus esse legem Civilem, judicémque esse, qui summam habet potestatem. Ab hac doctrina est, quòd Cives mandata Civitatis judicare & disputare discunt: deinde obedire vel repugnare arbitrio proprio, unde Civitas in factiones discinditur. *C.* 29. *p.* 152. *H.*

Triplex est judex bonarum vel malarum actionum. 1. Absolutè Supremus, qui de bono & malo leges condidit, quibus non modò privati homines, verùm etiam ipsi Magistratus obsecundare tenentur. 2. Supremus in qualibet Civitate, qui, quod sancitum est in genere de bono & malo, ad particulares casus accommodat, & subditis suis autoritativè proponit. 3. Privatus quilibet qui sensum & æquitatem mandati animo revolvit, & sine ulla publica autoritate, quantum solùm ad suam ipsius praxin spectet, sensum germanum inquirit. In hoc novissimo significatu quilibet civis judicem induat. Quoniam enim illi duplex incumbit munus, sc. tam supremo quàm subordinato judici auscultare; & aliquoties accidit, ut inter illos non conveniat; & quoniam ubi desideratur consensus, judicium Supremi anteponendum est; oportet unicuique sobrium & modestum scrutinium indulgere; ne suo erga judicem supremum officio aliquando desit. Hinc Apostolus jubet τὰ πάντα δοκιμάζειν, 1 Thess. 5. 21. Cives alloquitur, *T.*

quippe

quippe in Commate duodecimo mandat, ut agnoscan suos præpositos. Examen non restringit ad ea, qu nullâ lege prohibentur: præceptum enim ad omn cujuscunque generis collimat. *Probate omnia.* Ho judicio in pensitando Regis Babylonici decreto d Idolo colendo tres adolescentes utebantur. Ide fecit & ipse Daniel in examinanda lege, quâ prece ad Deum per aliquot dies interdictæ fuêre. Cu horum exemplis concinit praxis Apostolica. Ubi Con cilium Judaicum Petro & Johanni dedisset in man datis, ut non ultrà concionarentur in nomine Jesu, De cretum synodi ponderabant: & suam patefaciebant determinationem hisce verbis, *Utrùm justum sit vobi potiùs morem gerere quàm Deo?* Hi omnes Cive fuêre, & de rebus lege prohibitis (annuente Spiritu Sancto) judicium suum tulerunt. Judicium deci sionis in foro poli Deo soli ascribimus, in foro soli summo Magistratui, verùm discretionis judicium in foro Conscientiæ cuilibet privato non denegandum existimamus; ut pro indole humana juxta rationis trutinam Superiorum mandatis obtemperet. Non verendum est si huic doctrinæ faveatur, ne discindatur Civitas, dum ejusdem patroni pariter defendunt, ubi judicio Magistratûs subscribere nequeunt, pœnas quamvis iniquas paratissimo animo in veritatis testi monium subeundas esse. Timendum potiùs ne rueret Civitas, si penès majorem partem, ob delictum ali quod capitale supplicio obnoxium, potestas arma su mendi & bellum defensivum gerendi remaneret.

Dogma

Dogma XVI.

Fides & sanctitas non supernaturaliter infunduntur, sed acquiruntur studio & ratione, c. 29. p. 152.

TErtiò est quod docetur vulgò, fidem & sanctitatem acquiri studio & ratione non posse, sed supernaturaliter inspiratas & infusas esse; quæ si concedatur, non video quare fidei suæ rationem quisquam reddere teneretur; aut cur homines Christiani non essent omnes prophetæ; vel cur unusquisque inspirationem propriam legibus civitatis non præponeret, id quod iterum est judicium boni & mali sibi arrogare, neglectisque Civitatis legibus regendos se præbere ab arbitrio proprio, vel aliorum privatorum hominum, qui se inspiratos supernaturaliter esse mentirentur. Fides ab auditu nascitur; Auditus autem uniuscujusque à rebus contingentibus est, quibus in præsentiam eorum quos audire utile est, conducimur. Quæ res contingentes respectu nostri à consilio Dei proficiscuntur, non sunt tamen supernaturales, sed tantùm propter multitudinem non facilè observabiles. Fides & sanctitas etsi raræ, non ideo sunt miracula, sed procedunt ab educatione, disciplinâ, correctione aliisque causis naturalibus, quibus utitur Deus in illis, quos elegit, quo tempore ipsi visum est, instruendis. *L. c.* 29. *p.* 153. H.

Hæc, cui patrocinaris, opinio Scripturæ, Rationi, Ecclesiæ consensui ex diametro adversatur. T.

1. Scripturæ. Fides αὐτολεξεὶ inter Dei numeratur opera & dona. Hoc est opus Dei, ut credatis, *Jo.* 6. Dei enim donum est, *Eph.* 2. 8. Vobis donatum est pro Christo non solùm, ut in eum credatis,

Phil.

Phil. 1. Claritate non dispari asseritur sanctitatem inspirationi supernaturali originem suam acceptam referre. Ex ea re Spiritui sancto tribuitur, 1 *Cor.* 6. 11. 2 *Thess.* 2. 13. Incassum agerem, si testimonia cumularem quæ in sacra pagina sunt confertissima.

2. Rationi. Etenim propalàm est hominem à primitiva sua excidisse sanctitate. In parvulis non latet labes hæreditaria. Quamprimum enim ad id ætatis excreverint, ut alios imitari possint, non obscurè se prodit ad omne malum proclivitas. Imò sæpenumero ad ea proni videntur facinora, quæ nusquam viderint ab aliis perpetrata. In adultis perinde manifesta est hæc labes. Tot hominum, qui ubique Gentium sunt, quotusquisque reperitur, qui totas suas impendit vires ad præstanda ea, quæ legi naturæ omnimodè sunt consentanea? Si se detexisset hæc vitiositas in una vel altera mundi plaga, rationi non absonum fuisset crimen imputare climati, educationi, aut parentum imitationi: Verum quoquoversum grassetur, & passim per totum orbem sit disseminata; asseramus necesse est, hominem esse naturæ vitiatæ, & è primitivi statûs sanctitate excidisse.

Sanctitatem hanc nequit recuperare citra novas vires. Si quis de turri excelsa delaberetur, & lapsu crura & brachia sibi comminueret, fieri nequit ut, res urgeret, suo Marte & eandem denuo turrim conscenderet citra mutuatitium auxilium. Multùm admodum altior & editior fuit humani generis lapsus; de cœlo enim cecidit in terram; de summitate arboris scientiæ in profundissimum ignorantiæ puteum.
Mat. 8.22. *Luc* 9. 60. *Rom.* 6.13. *Eph.* 5. 14. Lapsu hoc non unicè sua luxavit membra, verùm etiam spiritualem sibi mortem conscivit. Num verisimile tibi videtur, stirpem hanc suis ipsius viribus recuperare posse pristinum statum? Credamus æquè

bene

bene mortuum studio & ratione Sepulchri januam recludere posse, & in statum vivorum migrare. Ex Platonicorum opinione anima humana primitùs fuit alata, & pro libitu suo ad cœlum usque volare potuit; verùm per infaustum & inauspicatum lapsum alas sibi fregit: Ex ea re humi jam repit & motitat instar aviculæ cui alæ detractæ sunt. Lapsum hunc sive fugam à Deo πτερορρύησιν appellant: verùm conversionem πτερῶν ἔκφυσιν pennarum productionem. Avicula hæc æquè bene se erigat, & ad stellas usque volet sine alarum remigio, atque genus humanum citra novas vires primitivam sanctitatem recuperet. Vires hæ supernaturaliter infusæ sint necesse est. Incassum agitur, nisi naturæ modulum excesserint: & quæ hujusmodi sunt, non injuriâ supernaturales nuncupantur. *Hieroc. in carm Pyth.*

3. Ecclesiæ consensui. Ante exortam Pelagii hæresin testimonia huc spectantia non desiderantur. Quantùm ad fidem Justinus Martyr apertè asserit, nos nunquam, quæ in Scripturis sunt, intelligere potuisse, εἰ μὴ λάβωμεν χάριν nisi gratiam accepissemus. Et si citra gratiam comparari nequit cognitio, nedum fides. *Dial. cum Tryph.*

Non disparis momenti quamplurima lectori abviàm sunt apud Clementem Alexandrinum & Originem. Athanasius Christum appellat τὸν πίστεως κύριον καὶ χορηγὸν fidei Dominum & suppeditatorem. Πίστις (inquit Basilius) ἡ ταῖς τοῦ πνεύματος ἐνεργείαις ἐγγινομένη· fides animis nostris se insinuat efficaci operatione Sp. Sancti. Quantùm ad sanctitatem non obscura sunt S. Cypriani verba. *Hoc diebus & noctibus postulamus, ut sanctificatio & vivificatio, quæ de Dei gratia sumitur, ipsius protectione servetur.* Non diffiteor Patres quandoque multùm admodum desudare in prædicandis liberi arbitrii viribus: verùm liberum arbitrium non nudum, sed gratiâ armatum intelli- *In pass. & Cruc. p. 995. Par. ed.* *In orat. Dom.*

intelligunt. Uti facilè constabit, si dicta eorum cum aliis componantur, quæ alibi eodem effunduñt ardore, ad inculcandam gratiæ necessitatem.

Post Pelagii ortum, cùm ad portas staret hostis adeò subtilis, protinus expergefacta fuit universa Ecclesia, & multò magis solicita & anxia evasit, ne vel tantillum diminueretur gratiæ prærogativa. Pelagius sententiam tuæ non dissimilem propugnabat. Omnem enim negabat gratiam infusam & inspiratam; & fidem sanctitatémque credebat ratione & studio acquiri. Verùm cùm intellectum haberet se respuendo gratiam omnium penè animos commovisse, ut eos denuo compesceret & carcinomati suo crustam obduceret, pedetentim & gradatim inductus fuit ad agnoscendam gratiam quadruplicem. Hôc enim nomine insignivit, primò naturam à Deo concessam; mox legem & doctrinam coelitùs revelatam; dein remissionem peccatorum; denique missionem Christi in exemplum. Cùm ulteriùs premeretur paginæ sacræ autoritate (quæ non solùm agnoscit gratiam Supernaturalem externam, verùm etiam internam) tandem fateri non recusabat virtutis divinæ suppetias intellectum intus illuminantis: verùm intellectu semel illustrato, voluntatem asseruit aliâ nullâ indigere gratiâ; sed satis potem esse suis viribus cœlesti vocationi parere. Gratiam hanc Supernaturalem non usquequaque & omnimodè necessariam opinatus est; verùm ad faciliùs operandum quandoque à Deo esse indultam. Post Pelagium exorti sunt alii te & Pelagio paulò modestiores. Opus enim Salutis cum Deo partiebantur. Gratiam agnoscebant bona prævenientem opera: verùm non quæ præveniat initium fidei & bonæ voluntatis. Fidem opinati sunt studio & ratione acquiri; verùm ad sancta & pia opera necessariam esse gratiam infusam & inspiratam. Quàm benè affecta fuerit Ecclesia antiqua ergà opinionem tuam,

tuam, facilè discamus ex illo fervido ardentéque Zelo, quo errores hosce damnaverit. Zeli hujusce non solùm scintillæ, verùm etiam flammæ lucidissimæ usque adhuc conspiciendæ sunt, in antiquorum monumentis. Declamationibus in eos resonabant pulpita, disputationibus scholæ, decretis loca juridica. Passim nota sunt judicia Synodi Africanæ, Arausicanæ, aliorúmque Conciliorum. Operam luderem, si morarer decretis enarrandis. Mihi videtur frontem omnem tibi periisse, cùm asserere non erubescas, Deum peccati causam esse; verùm fidei & sanctitatis non esse.

Velim ut in memoriam revoces, quàm præclarè tibi constes, qui *Lev. c.* 26. *p.* 136. asserere non verearis, *credere* esse animi actum non à Deo jussum sed factum, quem quando & quibus vult Deus dat negátque.

Quantum ad defensionem tuam attinet, notandum est, fidem sumi vel quoad habitum vel quoad actum. Etiamsi habitus sit à Deo infusus, & ab eo eliciatur actus divino auxilio: tamen facilè capi potest, quo modo rationem actuum fidei reddere teneamur. Quandoquidem voluntas habitu prædita supernaturali, argumentis allicitur à verbo revelato petitis ad actus suos exerendos. Deus, cùm nobiscum concurrat, se ad Agentis intellectualis temperamentum accommodat; non solum physicum verùm etiam moralem largitur influxum. Idcircò actuum horum moraliter à voluntate elicitorum, h. e. intervenientibus argumentis, citra negotium reddi possit ratio. Nullius momenti est, quod subinde sequitur, sc. si fides sit inspirata, te non videre, cur Christiani homines non essent omnes prophetæ. Inspiratio enim nuda prophetam κατ' ἐξοχὴν dictum non constituit, verùm inspiratio, quâ doceatur ille, cui indulta est, futura prædicere. Quantum spectat ad hominem privatum

boni

boni & mali judicium, jamjam disseruimus. Fides ab auditu nascitur, verùm non ab auditu solo. Inter audiendum Deo complacitum est suum communicare spiritum, quo auditores in veritatem prædicatam inducantur. Hinc Christus inquit de spiritu, *Jo.* 16. *v.* 15. Accipiet de meo, & annunciabit vobis. Si infundantur fides & sanctitas, non ex ea re pro miraculis habenda sunt. Ad opus miraculosum tria videntur requiri, ut vires naturæ superet, ut sit rarum, ut sit sensui manifestum. Miraculum est, quod miramur; nihil miramur quod nobis in conspectum non datur. Etiamsi fides & sanctitas vires naturæ excedant: tamen raræ non sunt, utpote in singulos electorum collatæ; nec temporis articulus, quo infunduntur, nobis in notitiam venit.

Dogma XVII.

Regnum & dominium potentiæ naturaliter adhærent, c. 31. p. 168.

H. CUm enim per Naturam jus erat omnibus in omnia, & per consequens jus Regni haberet per Naturam etsi (propter mutuam resistentiam) inutile unusquisque: si quis eorum tantam habuisset potentiam, ut certam indè sibi in bello victoriam contra omnes homines promittere potuisset; quæ ratio excogitari potest, quare non potiùs & omnes alios homines ipse suo arbitrio, regnando in omnes, defendere vellet, quàm ad sui ipsius defensionem jura civilia constituens, leges in seipsum accipere? Naturæ ergo omnipotenti, cui resisti non potest, Regnum & dominium in genus humanum universum adhæreret naturaliter. *c.* 31. *p.* 168.

Si

T.

Si Regnum & dominium potentiæ se comites præbeant adeò assiduos, ut nullo pacto queant divelli, 1. Angeli, qui robore plurimùm hominibus antecellunt, imperium in eos sibi possunt jure assumere; & tamen; (si sacris Oraculis fides habeatur) sunt spiritus ministratorii, qui ministerii gratiâ emittuntur propter eos, qui salutis erunt Hæredes, *Heb*. 1. 14.

2. Liberi, postquam ad maturam ætatem pervenerint, & parentibus senio confectis robustiores evaserint, in eos dominium protinus nanciscuntur, & jure tractare & regere possunt ad voluntatem suam. 3. Subditus (si apud populum adeò gratiosus est, ut milites posset cogere, & exercitum conscribere) in regem suum insurgat, de principatu dimicet, de solio deturber, & sibi regalem assumat potestatem citra ullam iniquitatem. Si enim regnum naturaliter potentiæ adhæreat, ubicunque fortior reperitur potentia, ibi jus regnandi residet; Quæ naturaliter conglutinantur in quocunque statu, sive intrà sive extra Civitatem, divelli nequeunt. 4. Prædones marini, cùm in navem incidant, cui ad resistendum non satis est virium, extemplò jus habent ad bona, quibus onusta est. Ab universis latrociniis hæc sententia omnem amolitur injustitiam. Nihil est quod vis maxima non adoriatur, & sibi in peculium asciscat.

Quod spectat ad rationem, cujus pondere in hanc sententiam inductus es, nullius quidem momenti mihi videtur. A veritate penitus abludit asserere per Naturam jus esse omnibus in omnia; & per consequens unumquemque jus Regni per naturam habere. Hoc liquidò constabit, si ante oculos ponamus primitivum Naturæ statum. Hic status se maximè conspiciendum præbet protinus à creatione & diluvio. 1. A creatione: Postquam Deus *natura naturans* hunc

orbem aspectabilem ex abysso nihili eduxerat, Adamum etiam creabat, dominio donabat in omnia, & in mundum tanquam in palatium omnigenâ supellectile ornatum introducebat. Liberis procreatis, in illos etiam potestas regnandi jure procreationis Adamo accrevit; Adeò ut si ad hunc usque Diem superstes fuisset, eodem jure universalem principatum in totum genus humanum, utpote ex se tanquam ex communi stemmate prognatum, vendicare potuisset. In omnia tam absolutum & omnibus numeris completum ejus fuit dominium; ut proles nullum adipisci potuerit absque facultate ab eo indultâ. Ab hoc fonte derivabatur jus Abelis ad greges, & Cain ad arva, & etiam ad terram Nod, ubi primam extruebat urbem. Quippe quòd hoc privatum dominium à parente primo juxta Dei institutum in posteros conferendum esset. Hinc Deus ipse dicitur (cùm separabat filios Adami) constituisse limites populorum, *Deut.* 32. 8. & definivisse terminos habitationis eorum, *Act.* 17. 26. Sapientiæ divinæ infamiæ notam inustum it, qui opinatur hæc terrena bona ab initiis rerum in medium fuisse promiscuè projecta; ut singuli per vim sibi arriperent, quod ad vitam alendum ducerent necessarium. Longè secùs res ibat. Deus primò universalem creabat dominum, deinde subditos formabat ex domini lumbis non ætatis maturæ, sed tenellæ; ut naturæ necessitate ab incùnabulis Dominum agnoscere docerentur. Hic Dominus utpote æquissimus arbiter in mandatis habuit unicuique pro sua sapientia rerum terrenarum portiones tribuere. Et ut uniuscujusque proprietatem stabiliret, summo Numini placitum fuit, vitam ejus usque ad annum nongentesimum tricesimum protrahere. Per totum hoc intervallum, in quo status Naturæ maximè conspiciendus est, jus omnibus in omnia minimè indultum fuit.

2. Idem

2. Idem videre est in statu protinus à diluvio. Dominium priùs Adamo datum, Noæ concessum fuit tanquam totius Mundi hæredi. Ad filios non descendebat, nisi interveniente paternâ autoritate. Hinc apud Hebræos traditum est, Noam omnium dominum inter filios suos terram distribuisse: quam distributionem divino monitus oraculo testamento stabilitam dedit, quod reliquit in manibus Semi: necnon omnibus filiis in mandatis dedit, nè quis fratris sui sortem invaderet. Hæc Traditio fidem nacta est apud Christianos.

Epiphanius perhibet Noæ filios jecisse sortes de divisione orbis, & Noam ipsum eos sacramento adegisse, ut terrâ divisâ, suâ quisque proprietate frueretur citra damnum invicem illatum. Cui etiam accedit Author Sermonis de tempore, qui Augustino tribuitur. Uterque Eusebii premunt vestigia in libro primo chronici, capite cui titulus est, *μερισμὸς τῆς γῆς*. In hoc statu, qui Naturæ conditionem maximè gerit, nec vola apparet nec vestigium juris omnium in omnia. *Her. 66. 83, 84. p. 703.* *Serm. 105. p. 822.*

Hisce duobus Dominis fato defunctis, ubicunque desiderabatur hæres per successionem, incubuit populo tanquam officium palmarium ad ipsius Dei exemplum in rerum primordiis, supremum in terris arbitrum eligere, qui unumquemque in proprietatis suæ fruitione tueretur; & lites omnes super hac re natas aut nascituras finiret. Hoc officio neglecto, non protinus emergebat jus omnium in omnia; sed tantùm jus ad talem portionem, qualem recta ratio dictaret necessariam esse ad vitam alendam. Si homines è terra nascerentur (quemadmodum Græci fingunt corpora humana indè emergere prope Nilum fluvium & urbem Cairum die Jovis ante Pascha usque ad diem Ascensionis) tamen nihil amplius de his bonis terrenis sibi jure vendicarent, præterquam *Christop. Angel. c. 43.*

 quod

quod vitæ suæ alendæ sufficeret, & alienæ non cederet in præjudicium. Qui appetitum suum ultrà evehi patitur, intra rationis lineas se non continet: verùm naturæ legem perrumpit. Et Natura nemini indulget, quod suæ ipsius legi adversum est.

Veteris consuetudinis in statu naturæ usque adhuc conservatur memoria in vocibus *vicus, pagus, oppidum, urbs*. Quod ut intelligatur, præmittendum est parentes jus in liberos generatione acquirere. Cùm nascantur liberi absque ratione, quâ se regant; ut ab aliis regantur perquam idoneum est. Verùm alius nullus præterquam parens inveniri potest, cui pari jure eorum demandetur moderamen. Utrique parenti competit imperium; Matri subordinatum, Patri summum ob sexûs præstantiam. Licet Mari viribus & prudentiâ quandoque præstet Fœmina; tamen dictat
Lev. 99. ratio, quòd nobis statuendum sit de persona, cui jus competit regiminis, juxta id quod communiter, non quod rarò accidit. Nec moramur, quòd ignoretur Pater, Matre non indicante. In lite enim hac de Patris & Matris dominio, supponitur parentem u-
Lev. 99. trumque esse pariter cognitum. Perinde argumenteris Imperium non Regi competere, verùm Præconi, per quem Regem esse indicatur. Pater, utpote supremus in Naturæ statu Dominus, liberorum cuique suum partiebatur demensum. Cùm liberi sui juris esse inciperent, & tandem è patris excederent familia, idem itidem exercebant jus eorum singuli in suis familiis. Familiæ hæ indies magis magisque crescentes tandem evaserunt in vicum. Vicus enim (ab οἶκ☉) est junctarum domorum multitudo. Vici simul positi tandem constituebant pagum, sic dictum à πηγὴ, quòd incolæ omnes ab eodem fonte aquam petere solerent. A pagis processum fuit ad oppida, loca septo munita, ut opes suas oppidani meliùs defenderent. Ab oppidis ad urbes ob figuram orbicu-

larem

larem ſic nominatas. Earum incolæ cives dicebantur utpote in unum coeuntes, ut ſub iiſdem legibus viverent. Ex hiſce patet, à vico uſque ad urbem nuſquam obtinuiſſe jus omnium in omnia; verùm determinata & deciſa fuiſſe à legitimo Domino jura qualiacunque.

Et ſi in ſtatu Naturæ jus omnibus in omnia non competat, per conſequens nec jus regnandi. Stupendum eſſet, ſi natura omnes conſtitueret Reges, nullos verò ſubditos. Relata enim ſimul naturâ ſunt. Cùm autem jus omnibus in omnia non competat; ſpeciatim jus regnandi; Ludis operam, cùm inde inferas, ſiquis potentiâ tantum excelleret, ut in bello contra reliquos omnes certam victoriam ſibi ſponderet, jure poſſit regnum & imperium in eos aſſumere. Perlibenter ſcirem, quomodo potentiſſimus jure regnandi in omnes indueretur, & tamen eodem tempore idem jus in ſingulis maneret. Si tale jus in potentiſſimo reſideat, tum in aliis omnibus eſſe deſinit. Duo contraria jura ſimul nequeunt conſiſtere. Coronidis loco notandum eſt, imperium legitimum victoriâ ſolâ non acquiri. Comparatur quidem victoriâ & potentiâ idoneitas ſive aptitudo ad regnandum: verùm actuale jus ſolius populi conſenſu conſummatur. Perquam idoneum eſt, ſi homines inſtar fungorum aliquâ orbis parte nondum habitatâ naſcerentur, ut ille ad munus Regis eligeretur, qui viribus tum corporis tum animi antecellit; verùm illæ vires ſolæ illum non conſtituerent Regem. Si jus ad regnum in ſingulis naturaliter reſideat, uti ore rotundo pronuncias, Injurioſum eſſet, illis non annuentibus, in hoc jus involare. In ſtatu naturæ nullum jus adimi poteſt citra poſſeſſoris voluntatem. Eò fortiùs hæc te premunt, propterea quòd aſſeras autoritatem Principum omnium fundari debere in conſenſu promittentis obedientiam, *p.* 221.

Dogma XVIII.

Miraculorum operatio sola non est sufficiens nota veri prophetæ, c. 32. p. 175.

H. RESpondeo, duo esse in Scripturis indicata Prophetæ veri signa, quibus conjunctim (non seorsim) propheta verus dignoscatur. Seorsim (inquam) neutrum horum signorum sufficit. *Si surrexerit* (dicit Deus, Deut. 13.) *in medio tui propheta,&c.* In his verbis notanda duo sunt, primum, quòd Deus miraculorum operationem solam pro nota prophetæ veri haberi non vult, sed quòd miraculum fieri patitur, ut constantiam populi sui experimento tentaret. Miracula fecerunt etiam Incantatores Ægyptii, non tamen illis credendum erat. Secundum, quòd quantumvis magnum sit miraculum, si tendat tamen ad rebellionem contra Regem, aliud non est præter fidelitatis populi probationem. Similiter postquam Servator noster Jesus Christus pro vero Messiah, id est pro rege, à discipulis agnitus esset, monere illos de miraculorum periculo non omisit. *Nolite* (inquit) *credere; surgent enim Pseudo-Christi & Pseudo-prophetæ, & dabunt signa magna, &c.* Unde constat, fieri posse miracula etiam à Pseudo-prophetis, nec tamen ut doctrina eorum pro verbo Dei recipienda sit. Et Sanctus Paulus ad Galatas c. 1. v. 8. *Si ego, aut Angelus de cœlo, &c.* p. 174, 175.

T. Ut teneamus, quid hac in re nobis statuendum sit, notandum est, 1. Miraculum opus est, quod naturæ creatæ vires superat. Hinc titulo hoc [עשה פלא faciens mirabile] insignitur Deus, Exod. 15. 11. Benedictus Dominus (inquit Psaltes) qui facit mirabilia solus ipse, Psl. 72. 18. 2. Operibus hujusmodi

modi fidem facere Deus solitus est missioni prophetarum. Cùm in dubio esset Moses, an populus illum in legatione esse agnosceret à Deo accepta, hunc scrupulum ei exemit Deus, pollicendo se illi indulturum fore miracula faciendi potestatem. Cùm imposturæ reatum Christo Judæi impingerent, ut missioni suæ fidem faceret cœlesti, ad opera provocat, quæ præstiterat, miraculosa. Jo. 5. 36. 3. Potestatem hanc miracula faciendi Deus nunquam Impostoribus concedit. Neutiquam cum sua in pacem adduci potest veracitate, ut ad errorem confirmandum veritatis sigillum accommodaret. Si liceret per veracitatem, repugnaret tamen sapientia. Hoc enim pacto miraculis, quibus veritatem suam sæpenumerò dederit stabilitam, autoritatem omnem adimeret. Hinc 2 Thess. 2. Impostoris palmarii opera nuncupantur τέρατα ψεύδους signa mendacia, h. e. quæ speciem sive formam mentiuntur miraculorum verorum; & tamen revera non sunt. Signaculo suo Rex nullus obsignat, quod perbene tenet Coronæ suæ cessurum in damnum & detrimentum. 4. A Deo satis prospectum est, ut miracula vera à fictitiis dignoscantur. Ambigendum non est, quin Deus operibus suis characteres possit imprimere, quorum subsidio ab aliis sive humanis sive Diabolicis secernantur. De ejus itidem voluntate non minùs dubitandum est. Nam cùm ex ea re præstet miracula, ut fidem faciat; suum ipsius institutum infringeret, si ea notis non signaret characteristicis, quibus ab impostorum præstigiis internoscerentur. 5. Miraculorum hujusmodi characteribus signatorum operatio sola est sufficiens nota veri prophetæ. Si aliquid insuper in testificationis participationem accersendum sit; convenientia sit oportet doctrinæ à propheta promulgatæ cum doctrina priùs recepta. Verùm congruentia hæc miraculis in testimonio perhibendo nullas latura est

ſuppetias cùm miſſus ſit propheta ad promulgandam novam doctrinam. Ex prophetis primas ſibi vendicant Moſes & Chriſtus. Doctrinam novam uterque ſecum attulerunt. Legum Moſaicarum non paucæ mundo priùs fuerunt inauditæ. Sacramenta nova condebat Chriſtus. Num exiſtimas, editis luculentiſſimis miraculis, obligatum fuiſſe populum eo nomine utrumque rejicere, quòd leges publicarent à doctrina recepta diverſas? Si ità ſit, de religione Chriſtiana actum eſt. Citra negotium tuæ occurritur defenſioni, ſi præmittamus Deum populum ſuum ſub duplici ſtatu poſuiſſe, nempe, Judaico & Chriſtiano. In utroque leges promulgavit ſuas per prophetas: Prophetæ hi fuêre primarii vel ſecundarii. Primarius in ſtatu Judaico propheta fuit Moſes: in ſtatu Chriſtiano Chriſtus ipſe. Miraculorum operatio ſola nota fuit ſufficiens in utroque ſtatu prophetæ primarii: Verùm poſtquam Deus totam illam doctrinam revelâſſet in ſtatu Judaico per Moſem, quæ eſſet recipienda uſque ad Meſſiæ ſeculum; in ſtatu Chriſtiano per Chriſtum, quæ amplectenda uſque ad diem noviſſimum; & miraculis confirmâſſet luculentiſſimis; omnibus impoſitum fuit hoc officium, miſſionem prophetarum ſecundariorum non ſolummodò ad miracula ab iis præſtita, verùm etiam ad doctrinam prophetarum primariorum indubiis miraculis priùs ſtabilitam expendere. Intelligenda ſunt Moſis verba Deut. 13. de prophetis ſecundariis, qui ad munus vocabantur prophetandi, poſtquam totam legem promulgâſſet propheta primarius, & ſignis miſſionem ſuam confirmâſſet indubiis.

Etiamſi verum miraculum per ſe ſit ſufficiens veri prophetæ indicium, ſive primarii ſive ſecundarii, (talis enim poteſtas nunquam impoſtori concreditur;) tamen cùm impoſtores ſæpenumerò faciant prodigia, quæ non citra ſummam difficultatem ſaltem ab incauto populo

populo à veris internoſcuntur miraculis, placuit Deo optimo maximo pleniùs ſecuritati noſtræ conſulere, & in mandatis dare; ut de prophetis ſecundariis judicium feratur tum ex ſignis quæ facere viſi ſunt, tum etiam ex doctrina primarii prophetæ clariſſimis miraculis jam antea confirmatâ.

Multùm admodum incongruè aſſeris, quòd Deus miraculum fieri patitur. Perinde dicas Deum pati poſſe, ut ex nihili abyſſo mundus eliciatur novus: Plus quàm nuda permiſſio ad opus requiritur vires naturæ ſuperans. Qui miracula faciunt, naturâ non talibus inſtruuntur viribus, ut nihil præter nudam deſiderent permiſſionem: nec revera potentiæ capaces ſunt mutuatitiæ, quæ tanto par ſit operi: ſed ſunt unicè cauſæ morales, ad quarum verba, præſentiam, vel tactum, virtutem ſuam increatam exerit Deus. Veri nominis miraculum minimè fecerunt Incantatores Ægyptii. Ut palàm fieret, potentiam, quâ Moſes operabatur, longè diverſam eſſe ab ea, quâ Incantatores; ordinabat Deus, ut Magorum virgas virga Moſis devoraret. Ad rebellionem nullum tendit verum miraculum. Obedire ſummæ poteſtati pars eſt doctrinæ jamjam miraculis evidentiſſimis in perpetuum ſtabilitæ. Ex verbis hiſce, Nolite credere, ſurgent Pſeudo-Chriſti, & Pſeudo-prophetæ, & dabunt ſigna magna, &c. minimè conſtat fieri poſſe miracula à Pſeudo-prophetis. Mira ſæpenumerò faciant: verùm nunquam miracula. A naturæ curſu ſumma veritas nequit deflectere in erroris confirmationem.

Sanctus Paulus Gal. 1. 8. ad officium Chriſti regium non unicè collimat: verùm ad articulum juſtificationis, in quo cardo evangelii vertitur.

Quàm parùm inſtituto tuo congrua ſint hæc omnia, quæ protuliſti, oculis captus eſt, qui non viderit. Mens enim tua hæc èſt: Norma in civitate unaquaque,

que, ad quam expendi debet prætextus omnis ad prophetandi donum, est doctrina à magistratu instituta. Licèt miracula præstent prophetæ, tamen si doctrinam promulgaverint Civitatis doctrinæ non congruam, pro impostoribus repudiandi sunt. Ex hoc ratiocinio pro Impostore habendus est Moses. Cùm in Ægyptum rediret ad educendum populum, ad clavum sedebat Pharaoh: populum hunc Pharaonis imperio subditum doctrinam docebat de sacrificiis in deserto multùm admodum Civitatis doctrinæ adversam. Non solummodò hanc impingis dicam Mosi; verùm etiàm beatissimo servatori nostro; sub Romano enim vixit imperio; & tamen doctrinam prædicabat Imperii doctrinæ ex diametro oppositam.

H. Sicut autem miraculorum operatio, si doctrina, quam operator introducere conatur, contraria sit doctrinæ, jam à Deo institutæ; ità veræ doctrinæ prædicatio sine miraculi operatione Revelationis immediatæ signum est insufficiens. Itaque qui doctrinam veram prædicat, si sine dato miraculo sibi credi ut prophetæ postularet, audiendus non esset, ut patet ex Deut. 18. 21.

T. Citra miraculorum testimonium populo Dei olim innotuit prophetarum quamplurimorum missio. Joannes B. nullum fecisse miraculum perhibetur. *Jo. 10. 44* Quinetiam non liquet, Jeremiam, Ezechielem, Hoseam, Joelem, cæterósve prophetarum minorum miraculis claruisse: & tamen pro prophetis non infimæ classis hi omnes habebantur. Pseudo-prophetæ nota Deut. 18. 22. ab eventu petita est; nempe, cùm prædictum sit aliquid nemini molestum, verùm admirationi excitandæ aptum brevì futurum, quod revera non evenit. Bona, quæ nunquam evenerint, necnon mala prædicat verus propheta. Eventus enim à conditione sæpenumerò suspensus est, cujus reticetur memoria:

moris; verùm autem in Textu desideratur, quod ad tuum unicè facit institutum; nempe sine dato miraculo pro vero propheta habendum esse neminem.

Dogma XIX.

Literæ Sacræ non sunt adeò antiquæ, ac communiter existimantur, c. 33. p. 177.

Liber Pentateuchi Scriptorem habuisse Mosem non videtur: sed potius de Mose, quàm à Mose scriptum esse. Legimus cap. ultimo Deuteronomii v. 6. Et non cognovit homo sepulchrum ejus usque in præsentem diem, id est usque in diem in quo liber ille scriptus erat. Scriptum ergo esse longo post mortem Mosis tempore manifestum est. Quod Mosem verba hæc scripsisse per Prophetiam dicant ineptum est. Rursus in libro Geneseos c. 12. v. 6. legimus, Pertransivit Abram terram usque ad locum Sichem, usque ad convallem illustrem. Chananæus autem tunc erat in terra. Quæ verba esse non possunt nisi ejus, qui tunc scripsit quando in ea terra Chananæus non erat. Non sunt ergo ea verba Mosis. Rursus Num. 21. v. 14. sic legimus: Dicitur in libro bellorum domini, sicut fecit in mari rubro, sic faciet in torrentibus Arnon. Quæ scribi à Mose ipso non potuerunt. Ea sola scripsit Moses quæ à Scriptore Pentateuchi scripsisse dicitur, nempe volumen legis quæ habetur in Deuteronomio à capite undecimo usque ad finem capitis vicesimi septimi, &c. c. 33. p. 177. *H.*

Non solummodò de Mose, verùm etiam à Mose scriptus est Pentateuchus. Ex hac re ab ipso Christo *T.*

Moses

Moses appellatur. Sententiæ huic annuit universa Ecclesia Judaica, in hac causa arbitrum induere maximè idonea. Perinde in dubium vocemus, an Cæsar Commentarios, qui sub illius extant nomine, composuerit. Luculentissimum hujusce rei testimonium perhibet non tantùm Ecclesia, verùm etiam respublica Judaica. Etenim legibus à Mose scriptis fuit fundata; Ad hunc usque diem communitatis istius conspiciendæ sunt reliquiæ. Karræi, quorum magna est in Russia, Polonia, & in aliis orbis partibus copia, vitam suam ad legem à Mose scriptam componunt, & per legem intelligunt non legem tantùm in Deuteronomio complexam, verùm etiam totum Pentateuchum.

Quod occurrit Deut. 34. v. 6. solummodò ostendit caput illud in solidum à Mose non fuisse compositum. Non inviti concedunt Hebræi versus octo novissimos à Josua scriptos esse aliquot annis post Mosis obitum. *Bava Batra.* Verba hæc, *Chananæus erat in terra* Gen. 12.6. minimè arguunt Chananæum non fuisse in terra, cùm Genesis literis esset mandata. Memoriâ recolendum est divisam fuisse terram Israeliticam inter decem populos Abrahami seculo, quorum hæc sunt nomina. Kenæi, Kenizzæi, Cadmonæi, Hittisi, Perizzæi, Raphæi, Emoræi, Cananæi, Girgasæi, Jebusæi. Gen. 15. v. 20, 21. Ante Mosis tempora mutata fuit hæc divisio. Verisimile est Cananæos, qui ad Abrahami adventum, illam ubi commemorabatur, occupabant regionem, suas sedes mutâsse ante seculum Mosaicum. Itaque in describenda Abrahami historia dicere potuit Moses, cùm Abrahamus transiret ad locum Sichem usque ad convallem illustrem, *Chananæus tunc erat in terra*, h. e. illam ipsam occupabat regionem.

Utcunque res sit, si vox *Chananæus* latiùs sumatur, sc. pro universo populo, & terra pro terra universa, tamen non bene infertur Chananæum non fuisse in terra,

terra, cùm literis mandaretur liber Geneseos. Quandoquidem verbis hisce, *Chonanæus erat in terra*, Abrahami Zelum & fortitudinem encomio exornat Moses, qui præsente tali populo, ad omne facinus audendum projecto; tamen religionem veram profiteri non reformidabat, & Deo optimo maximo altare erigere, v. 7.

Quæ occurrunt verba Num. 21. v. 14. à Mose scribi potuerunt. Sic enim legi debent. *Bella Domini contra Vahebum in regione Suph, & contra flumina Arnonis.* Hæc protulit Moses, ut ostenderet Arnonem terminum esse, qui Moabitas dirimit ab Emoræis. Vahebus Rex fuit Moabitarum, contra quem pugnaverat Sihon Rex Emoræorum, eíque ademerat totam regionem Arnonem usque, v. 26. Adeò insigne fuit hoc bellum, ut in libro, quem verisimile est המשלים (quorum memoria conservatur v. 27.) composuisse, bellum Jehovæ appelletur. Ad librum hunc provocat Moses, ut comprobet fluvium Arnonis terminum esse inter Moabitas & Emoræos. Interpretationi huic plurimùm favent voces Hebraicæ. יאמר in futuro. Cùm tempus præsens nullum proprium habent Hebræi, efferunt id quandoque per futurum. Vox [מלחמות] non ad ספר referenda est; verùm ad verba proximè sequentia, uti LXX. versio palàm ostendit. λέγεται ἐν βιβλίῳ, πόλεμος τοῦ κυρίου τὴν Ζωὸβ ἐφλόγισε. את aliquando contrà significat. Jer. 15. 11. והב est nomen proprium. Qui accipiunt pro יהב dedit, quasi י in ו mutaretur, in memoriam revocent oportet, quòd articulus את verbis non præfigitur. סוף est regio Moabitarum, Deut. 1. v. 1.

Ezek. 21. 20

Qui hæc omnia pensitaverit, facilè concessurum opinor, nihil hîc dictum esse, quod à Mose dici non potuit.

Gratis asseritur, ea sola scripsisse Mosem quæ à

Scriptore

Scriptore Pentateuchi scripsisse dicitur, nempe volumen legis à c. Deut. 11. ad finem c. 27. Donec hoc probatum dederis, petenda est potius universæ Ecclesiæ tum Judaicæ tum Christianæ quàm tibi credendi venia.

H. Quòd liber Josuæ longo tempore scriptus sit post mortem ejus, ex libro ipso colligi potest. Cùm in medio alveo Jordanis erexisset Josua in monumentum transitûs Hebræorum duodecim lapides, Scriptor libri de illis dicit, Et ibi sunt usque in præsentem diem, Jos. 4. 9. Cùm dixisset Deus ad Josuam, Hodie abstuli opprobrium Ægypti à vobis, dicit Scriptor, Vocatum est nomen illius loci Galgala usque in præsentem diem. Hæc & alia argumenta similia ex aliis locis libri Josuæ ut Jos. 8. 29. 13. 13. 14. 4. 15. 63. ostendunt librum Josuæ scriptum esse satis longo tempore post illius mortem.

De libro Judicum ex c. 18. 30. manifestum est, quòd post Captivitatem decem tribuum scriptus sit, ubi dicitur, Et posuerunt sibi sculptile, & Jonathan ac filios ejus sacerdotes in tribu Dan, usque ad diem Captivitatis suæ.

Quòd libri Samuelis post mortem illius scripti fuerint, ostendunt loci sequentes, 1 Sam. 5. 5. 7. 13. 15. 27. 6. & præterea 30. 25. &c. Loci ex libris Regum & Paralipomenon similes antè dictis, nempe 1 Reg. 9. 13. 9. 21. 10. 12. 12. 19. 2 Reg. 2. 22. 8. 22. 10. 27. 14. 7. 16. 6. 17. 23. 17. 34. 17. 41. 1 Paral. 4. 41. 5. 26. ostendunt scriptos esse illos libros longo tempore post res ipsas gestas. c. 33. p. 177, 178.

T. Vel ex eorum indole, quæ Josuæ liber complectitur, facilè constat ea Josuæ diebus scriptis fuisse mandata. Ibi enim terra describitur Cananæa. Cuique Tribui sua destinatur portio. Cujusque sortis limites depinguntur. Minimè rationi consonum est, Josuam

Josuam terminos portionis ad singulas Tribus spectantis, literis mandare noluisse. Apud omnes Gentes hujusmodi jurum memoria scriptis conservatur. Non permittenda est hac in re procrastinatio. Multùm admodum labilis est memoria. Citra hoc adminiculum de prædiorum terminis quotidiana emergerent diffidia. Ut dicam, quod sentio, verisimile est, antequam Josua è vivis esset ereptus, historiam hanc schedis solutis fuisse repertam, & Samuelem eas in ordinem redegisse hodie conspiciendam; nec non hæc attexuisse verba, *usque in hunc diem.* Opus hoc Samueli tribuo, quippe Josua ex Hebræorum divisione inter Prophetas primum occupat locum, & Samuel exhibetur tanquam Prophetarum primus, Act. 3. 24. Verisimile est etiam Samuelem compegisse librum Judicum, & Ruth ex Annalibus apud Ecclesiam conservatis. Nec obstant verba, quæ occurrunt Jud. 18. 30. Captivitas enim ibi commemorata non est decem tribuum per Salmanasarem, sed filiorum Dan per Philistæos, cùm capta esset Arca, 1 Sam. 4. 11. Ibi tum quamplurimi eorum, quorum agri Philisthæis erant vicini, abducti sunt captivi. Ad eundem temporis articulum mansisse Jonathanis sacerdotium & Idolum Michæ non obscurè indigitat textus Hebraicus: verùm Idoli duratio apertè ad tempus restringitur, quo Domus Dei fuit Schilunte, v. 31. Commati hæc attexunt verba LXX. Interpretes *καὶ ἐγένετο ἐν ταῖς ἡμέραις ἐκείναις ὅτε οὐκ ἦν βασιλεὺς ἐν Ἰσραήλ·* quæ palàm demonstrant, quæ hîc commemorantur, ante Saulis facta esse tempora, primi post Theocratiam depositam in Israele Regis. Neutiquam rationi consentaneum est opinari, Idololatricum Jonathanis & filiorum sacerdotium usque ad Captivitatem mansisse Assyriacum; regnantibus Jehosaphato, Asâ, & Hezechiâ, qui suas impendebant vires, ut omnem Idololatriam extirparent. Samuelis libri

libri scripti sunt partim per Samuelem, partim per Nathanem, partim per Gadem, 1 Chron. 29. v. 29. Libri etiam Regum & Chronicorum per varios Prophetas sub regum imperio, quorum acta describunt, viventes. Solomonis gesta memoriæ prodiderunt Nathan, Ahijah, Iddo, 2 Chron. 9. 29. Jehosaphati Jehu filius Hanani, 2 Chron. 20. 34. Uzziæ Isaias filius Amosi, 2 Chron. 26. 22. Coætanei videntur Regum & Chronicorum scriptores, alii enim alios allegant. Verba hæc, *usque in hunc diem*, quæ multoties in hisce occurrunt libris, minimè demonstrant eos esse longo scriptos tempore post res gestas. Videntur enim in aliquibus saltem sacri textûs locis Hebraismum resipere & innuere in perpetuum. Hinc Deut. 10. 8. Separavit Jehova tribum Leviticum, *&c.* ad benedicendum in nomine ipsius usque in diem hunc, h. e. in perpetuum. 1 Sam. 29. v. 25. perhibetur David statutum Israeli imposuisse in hunc diem, h. e. quod in perpetuum maneret. 2 Sam. 6. 8. David etiam locum vocat, ubi Uzzam Deus percusserat, Rupturam usque in diem hunc: Quemadmodum & Hiram 1 Reg. 9. 13. Civitates, quas ei dederat Solomon, Cabul: h. e. hæc indiderunt nomina, ut iis loca hæc in perpetuum appellarentur. Ubi verba hæc hoc in sensu accipi nequeunt, verisimile est, ea ab Ezra fuisse addita, cùm sacra revolveret volumina, & in ordinem jamjam conspiciendum digereret.

H. Liber [Job] Historicus non videtur, sed tractatus moralis de quæstione antiqua, Quare improbis in hac vita bene, probis autem plerumque malè est? Id quod ex eo probabilius fit, quòd à principio Libri usque ad tertii capitis versum tertium, nempe querimoniarum Jobi initium, oratione prosâ Hebraicè scriptus est; indè autem usque

uſque ad ultimi capitis verſum ſextum verſu Hexametro; & rurſus quod ultimi capitis reſtat, oratione proſâ: Ità ut diſputatio circa quæſtionem tota verſus, proſa autem in ſola præfatione & Epilogo inveniatur. Verſus autem neque illis qui in magnis doloribus conſtituti ſunt, ut Job, neque illis, qui conſolaturi miſeros veniunt, ut amici ejus, ſtilus uſitatus eſt; ſed Philoſophis moralibus priſcis frequentiſſimus. p. 179.

In libro Job, quæ reperiuntur omnia, hiſtoriam reſipiunt. Nominatur perſona quædam unà cum liberis maribus fœminiſque. Memoratur itidem patria, ubi habitabat; nec non armenta, & populus qui in ejus involabat bona: Amicorum etiam exprimuntur nomina, qui dolorem ejus imminutum convenerunt: ſermones pariter, quos conſerebant, vivis pinguntur coloribus. Librum hunc tanquam hiſtoriam laudat Sanctus Jacobus. Jobi patientiam inibi delineatam tribubus duodecim proponit in exemplum, nec non exitum, quem ei Deus dederat, in memoriam revocat. I.

Duæ ſunt Quæſtiones in libro hoc diſcuſſæ, & ventilatæ; Prima, An cum divina conſtare poſſit juſtitia, ut bonis ſit malè & malis benè: Altera, An de juſtitia & ſinceritate ferendum ſit judicium ex externis Dei diſpenſationibus? Etiamſi Liber metricè ſcriptus ſit, nihilò ſecius, quò minùs ſit hiſtoria, nihil impedit. Licèt verſus illis, qui in magnis ſunt doloribus, non ſit ſtilus uſitatus, tamen in eo aſſueſcant, poſtquam è moleſtiis ſuis & doloribus emerſerint. Hiſtoriam hanc Job chartis illinere potuit, cùm priſtinum recuperâſſet ſtatum, & in ſecundis eſſet. Non inter Philoſophos ſolos, verùm etiam Hiſtoricos, tritus olim & celebratus fuit ſtilus metricus, uti conſtat ex vetere Ezechielis Poemate à Clemente Alexan-

drino laudato, in quo ad vivum delineatur Mosis historia.

H. Temporibus Antiochi scriptus Psalmus 79, &c. Manifestum satis est veteris testamenti Scripturam totam eâ formâ quam nunc videmus, neque ante reditum à captivitate Babylonica neque post Ptolemæi Philadelphi tempora editam fuisse. *p.* 179.

T. Quàm bene tibi constes, verba hæc liquidissimè ostendunt. Asseris enim Scripturam totam eâ formâ, quâ nunc extat, non editam fuisse post Ptolemæi Philadelphi tempora, & tamen Psalmum 79. hujusce partem scripturæ, exaratam innuis temporibus Antiochi, qui vixit post Ptolemæum Philadelphum. Anno mundi 3758. moriebatur Ptolemæus Philadelphus; verùm Antiochus Epiphanes anno 3840. Etiamsi Epitheton reticees, quo internosci solet Antiochus, quem in animo habes, ab aliis ejusdem nominis; tamen te ad Epiphanem collimare abunde liquet ex Psalmi materia, quæ ad primum aspectum in illum videtur quadrare.

Dogma

Dogma XX.

In veteri Testamento plerumque, si non semper, per Angelum Idea aliqua, in Phantasia excitata à Deo, ad significandam præsentiam divinam in operatione ejus aliqua supernaturali denotatur, c. 34. p. 187.

LEgimus Gen. 16. apparitionem unam & eandem & Angelum vocari & Deum. Nam v. 7. Angelus domini vocatur, sed v. 10. dicit idem Angelus ad Agar, Semen tuum multiplicabo valde; quæ verba dici nisi à Deo non possunt. Constat ergo Angelum hoc loco nihil aliud significare præter Apparitionem divinam, præsentiam Dei testantem extraordinariam. Angeli, qui apparuêre Lot, & vocantur Gen. 19. 13. viri, & quibus, cùm essent duo, loquitur Lot ut ad unum, & appellat Dominum, imagines erant in Phantasia ejus formatæ à Deo, non minùs quàm apparitio vocatur Angelus, quæ facta est ad Agar per vocem. Angelus, qui apparuit Abrahamo Gen. 22. 11. sacrificaturo filium suum Isaac, vox erat: Attamen satìs propriè Angelus appellatur; ut qua nunciatum est illi, nè filium interficeret. Angeli, quos vidit Jacob ascendentes & descendentes de cœlo per scalam, Gen. 28. 12. in somno apparuerunt; fuerunt ergo somnium, & Phantasma: quia tamen supernaturalia erant, & signa præsentiæ divinæ, etiam Angeli. Item intelligitur, ubi Jacob Gen. 31. 11. sic dicit, *Angelus domini apparuit mihi in somno.* Illum autem, quem hoc loco Jacob appellat Angelum, ipse se appellat Deum, dicens v. 13. Ego sum Deus Bethel. Exod. 14. 9. Angelus qui exercitum

H.

 Israeli-

Iſraeliticum per mare rubrum primò anteivit, & mox ſecutus eſt, dicitur v. 19. dominus ipſe, apparuítque non in forma humana ſed in forma columnæ, interdiu quidem nubis, noctu ignis. Apparitio tamen hæc Angelus erat, quem Deus promiſit conducendo exercitui, eadémque deſcendiſſe dicitur & ſtetiſſe ante oſtium Tabernaculi, &c.

T. Angelos eſſe Subſtantias permanentes & non Phantaſmata in ventriculis cerebri genita vetus Teſtamentum luculenter demonſtrat. Siquidem inter Creationis opera recenſentur, Pſal. 149. Poſtquam enim Pſaltes Angelos & totum Cœli exercitum ad decantandas Dei laudes invitâſſet, hujus alloquii rationem protinus ſubjungit, v. 7. *quoniam ipſe*, ſcilicet Dominus, *mandavit & creata ſunt.* Nihil præter ſubſtantiam à Deo creari poteſt. Quinetiam, ut Spiritus Sanctus hanc veritatem apertiorem faciat, palàm innuit ſatorem horum Cæleſtium ſpirituum opus ſuum abſolviſſe, antequam mens humana conderetur. Jubilare perhibentur, cùm ponerentur ipſa terræ fundamenta, Job 38. v. 7. Baſes Mundi ante ſextum diem jactæ fuêre, quo deus homines condidit. Oſtende, quo pacto Angeli, qui extiterunt ante hominem conditum, phantaſmata in mente humana excitata eſſe potuerint. Quinetiam quamplurima in veteri Teſtamento Angelis attribuuntur, quæ Ideis & Phantaſmatibus minimè conveniunt. Myrias Myriadum ſimul & ſemel Danieli in conſpectum dabantur, c. 7. v. 10. An credibile eſt, Angelos hoſce tantummodò fuiſſe tot Phantaſmata in mente Danielis nata? Mens humana tantæ copiæ idearum unâ operâ incapax eſt. Phantaſma nihil ſonat præter Motum in Cerebro. Rationi penitus abſonum eſt, ut una res tot infinitis motibus ſimul & ſemel agitaretur; quod tu ipſe alibi concedis. ‘Neque verò permittit (in‘quis) natura ſenſionis, ut plures res ſimul ſentian‘tur.

'tur. Cùm enim natura sensionis consistit in motu, 'dum organa sentiendi ab uno aliquo objecto occu'pantur, ab alio ità moveri non possunt, ut ab utro'que motu unum Phantasma oriatur utriusque. Non 'fiunt ergo duo phantasmata duorum objectorum, sed 'unum ex amborum actione conflatum. Natur. Pha'nom. c. 25. par. 4. p. 195.

Præterea, Angeli dicuntur Castra sua circa pios metari, Psal. 34. 8. Fac, ut mente capiamus, qua ratione ponant Castra sua circa pios, & tamen nullibi nisi in mentibus piorum existant. Tum deinde Deum adorare jubentur, Ps. 97. 7. Cultus deo gratus à Phantasmatibus non solet præstari: nec non valde insolens est, ut præsentia divina, quam significare perhibentur, Deum venerari dicatur.

Quod attinet ad exempla à te prolata, assero, Angelum, qui Agar alloquutus est, Christum esse, qui Angelus faciei Dei Is. 63. v. 9. & Angelus fœderis Mal. 3. 1. nuncupatur. Enimvero nomine Dei incommunicabili, sc. יהוה insignitur, v. 13. Placuit secundæ personæ Trinitatis, sub veteri Testamento incarnationis suæ præludia exhibere, & aliquando formam visibilem induere. Gratìs dicitur, Angelos, qui Loto apparuêre, fuisse imagines in Phantasia ejus formatas. Num verisimile tibi videtur, illum ideas in mente sua productas voto adiisse, ut in suam domum diverterent, pernoctarent, lavarent pedes, & panes infermentatos comederent. Si fuissent imagines solæ intra Loti mentem, quî fit, ut ab impuris Sodomitis conspicerentur, qui notantes eorum introitum, domum, ubi erant hospitio accepti, obsidebant universi. Viri appellantur; placuit enim iis specie humanâ indui. Ille, quem Lot singulari numero alloquitur, & Dominum appellat, Gen. 19. 18. non fuit unus è duobus, quos tecto receperat, sed à tribus, qui Abrahamo apparuerant, nimirum Jehova,

secunda Trinitatis persona, qui paululùm apud Abrahamum commoratus fuerat post reliquorum discessum; & jam demum ad Lotum accedit, cùm duo cæteri in educendo & collocando eum extra Civitatem occuparentur. Gen. 19. v. 16, 17, 18. Angelus qui Abrahamo filium suum sacrificaturo apparuit, se voce patefecit; sed non fuit vox ipsa, & præterea nihil. Jehova dicitur v. 16. fuit enim fœderis cum Abrahamo initi Angelus. Quamvis Jacob intra dormiendum Angelos ascendentes & descendentes per scalam videret: tamen exinde nequaquam fas sit colligere, eos nihil esse præter somnium & Phantasma. Eodem ratiocinio poteris concludere, Deum ipsum esse somnium, quippe quandoque illi visum est prophetas suos per somnia alloqui. Si perpendamus, quò visio hæc tendat, constabit hosce Angelos non esse phantasmata, verùm substantias permanentes. Deus enim in ea ad hunc scopum collimat, ut notum faciat Jacobum sibi curæ esse, quo tempore ab omnibus derelictus videbatur. Ex ea re scalam illi ostendit super terram stantem, cujus cacumen cœlum pertingebat; & Angelos ascendentes & descendentes per eam; ut innuat distantiam inter terram & Cœlum non impedituram, quò minùs Angelorum ministerio illum consolaretur, sub maximo malorum pondere, quæ in itinere essent occursura. Parum solaminis ex hac revelatione potuit decerpi, si Angeli, quos Deus Jacobo præsidio concesserat, nihil fuissent præter tot Phantasmata: A Phantasmatibus enim non multum auxilii sperandum est. Libenter agnoscimus Angelum, qui apparuit Jacobo, Gen. 31. 11. & duxit exercitum Israeliticum per mare rubrum, Deum esse, sc. Christum Angelum fœderis. Hæc sententia suffragio Apostoli approbatur, 1 Cor. 10. ubi Israelitæ Christum tentâsse dicuntur. Angelus nuncupatur (utì verbis utar Theodoreti) ἵνα γνῶμεν ὡς

ὁ ἀφθεὶς,

ὁ ὀφθεὶς, οὐκ ἔστι ὁ Θεὸς καὶ πατὴρ (*τίνος γὰρ ἄγγελος ὁ πατήρ;*) *ἀλλ᾽ ὁ μονογενὴς υἱὸς ὁ μεγάλης βουλῆς ἄγγελος·* Ut sciamus, illum qui apparuit, non esse Deum patrem (cujus enim nuncius est pater?) sed unigenitum filium magni consilii Angelum. In Exod. Q. 5. p. 71.

Ut compendifaciam; notandum est duplicem Angelum nobis in sacra pagina occurrere, creatum, & increatum. Huc usque iis locis immoratus es, quæ ad Angelum increatum spectant; de quo quæstio non instituitur: & cætera loca intacta reliquisti, quæ Angelorum creatorum existentiam liquidissimè evincunt.

Certum est Angelum esse nomen officii, spiritúsque omnes propter diaphaneitatem substantiæ spiritalis invisibiles esse, nisi eo sensu, quo videri dicuntur phantasmata in speculo, somnio, vel tenebris. Sadducæi negabant Angelos esse substantias, quare? non quòd non crederent veteri Testamento, sed quia creationis Angelorum in veteri Testamento nulla est mentio, neque à Judæis excommunicati sunt, *Append.* c. 3. p. 362. *H.*

Angelus est quidem nomen officii; verùm nunquam non supponit personam, in quam munus devolutum est. Intende digitum vel ad unum locum in sacra pagina, ubi disertè dicitur, Deum munus Evangelicum cerebri figmentis vel Phantasmatibus, demandâsse. Angeli, fateor, in se substantiæ sunt, quas oculis non capessimus: tamen nihil impedit, quin in corporibus possint conspici, quæ quandoque assumere non gravantur. Sadducæi negabant Angelos esse, non quòd creationem eorum vetus Testamentum reticet, (pro sacris enim literis habuêre Sadducæi, non solùm Pentateuchum verùm etiam Psalmos reliquósque libros à Pharisæis receptos. Josephus asserit eos *πάντα τὰ γεγραμμένα* amplexos, *τὰς παραδόσεις ἀγράφους* solùm rejecisse. Et in Psalmis *T.* *Joseph.* L. 13. *Antiq.* cap. 18.

Angeli inter opera à Deo condita numerantur :) verùm quòd opinati sunt Angelos in rerum primordiis à Deo creatos ante sua tempora interiisse. Hæc secta originem suam acceptam refert Sadok sub Antigono Sochæo qui Simeoni Justo successit. Eo tempore cùm extraordinarii flatus in desuetudinem venissent, hujus rei causam in Angelorum spirituúmque interitu constare divinabant. Non excommunicati fuêre, quippe apud potentiores gratiosi, penès quos erat potestas abigendi à publicis cœtibus. Ditiores (inquit Josephus) à partibus Sidducæorum stabant. Hoc optimè concinit cum novo Testamento; ubi asserit Pontificem maximum, & omnes qui cum eo erant, Sadducæos esse, Act. 5. 17.

Vid. scut. exercit evang. c. 22. νόμιμα τὰ γεγραμμένα. Josiph. Lib. 18. c. 2. L. 8. c. 12. p. 617.

Dogma XXI.

In Testamento Novo locus nullus invenitur, unde probari possit, Angelos esse res permanentes & simul incorporeas, cap. 34. p. 188.

H. QUòd quidem Angeli aliqui substantiæ sint & permanentes, colligi potest ex verbis servatoris nostri; Ite maledicti in ignem æternum, qui paratus est diabolo & Angelis ejus. Qui locus, si malorum Angelorum permanentiam probat, corporeitatem unà probat; ignis enim rerum incorporearum, hoc est impatibilium, pœna non est. 1 Cor. 6. 3. Nescitis, quoniam Angelos judicabimus. 2 Pet. 2. Si Deus Angelis peccantibus non pepercit, sed rudentibus Inferni detractos in Tartarum tradidit cruciandos in judicium reservari, Jud. v. 16. Angelos verò, qui non

non ſervârunt ſuum principatum, ſed dereliquerunt ſuum domicilium in judicium magni diei, vinculis æternis ſub caligine reſervavit. Quæ verba etſi naturam Angelicam permanentem eſſe evincunt, materialitatem ſimul probant. Item Mat. 22. 30. in Reſurrectione neque nubent neque nubentur, ſed erunt ſicut Angeli Dei in cœlis. Unde colligitur, quòd ſicut homines, ità quoque Angeli in reſurrectione erunt non incorporei, ſed permanentes. Angeli itaque neque ex veteri Teſtamento neque ex novo probantur eſſe incorporei.

T. Non mediocris admiratio me inceſſit, te Angelos permanentes in novo Teſtamento invenire poſſe; verùm in veteri poſt accuratiſſimum ſcrutinium non poſſe; cùm loca palmaria in novo, quæ ad hanc veritatem ſtatuminandam plurimùm conferunt, è veteri deſumantur. Conſule Epiſtolæ ad Hebr. cap. primum, ubi Apoſtolus ſe totum accingit, ut Chriſtum Angelis præferendum eſſe demonſtret. Citra dubium eſt, per Angelos phantaſmata in cerebro nata non intelligi. Parùm Chriſto in laudem cederet cum ideis conferri, & Phantaſmatibus palmam eripere: & tamen duo potiſſima argumenta in hanc rem prolata, in v. 6 & 7. è Pſalmis 97. & 104. petita ſunt. Permanentiâ Angelicâ agnitâ, tota lis quæ ſupereſt, de immaterialitate inſtituitur: an in novo Teſtamento reperienda ſit. Vox *Spiritus* Angelis tribuitur Mat. 8. 16. Eph. 2. 2. Heb. 1. 14. Etiamſi hoc nomen aliquando inditum eſt ſubtilibus & tenuibus corporibus, tamen in novo Teſtamento nunquam rei intellectu præditæ tribuitur, quin rem incorpoream denotet. Hinc in Evangelio Nazaræorum πνεῦμα explicatur per δαιμόνιον ἀσώματον dæmonium incorporale. Cùm enim apud Diſcipulos in dubium veniret, an Chriſtus è mortuis ſuſcitatus eſſet, dixit illis ψηλαφήσατέ με καὶ ἴδετε, ὅτι οὐκ εἰμὶ δαιμόνιον ἀσώματον, appre-

hendite, tangite me & videte quoniam non sum dæmonium corpus non habens. Eò magis pensitanda sunt hæc verba, quippe ab Ignatio in Epistola ad Smyrnenses, & ab Eusebio laudantur. Si dæmones non sunt substantiæ incorporeæ, vix concipi potest, quomodo legio unum hominem obsideret. Legio (inquit Hesychius) 6666. complectitur. Tot dæmones præstò erant in unius Corporis angustiis, utì patet ex Mar. 5. v. 15. ubi dæmoniacus legionem habuisse dicitur. Huic legioni pro more militari unus impurus spiritus præficitur, v. 2. Haud facile explicatu est, quâ ratione in domicilii humani meatibus tot milites corporei castra sua metari potuerint. Dicis, textus Mat. 25. 1 Cor. 6. 3. 2 Pet. 2. 4. Jud. v. 6. qui naturam Angelicam permanentem esse evincunt, materialitatem simul probare: quia ignis rerum incorporearum pœna non est. Verùm unde tibi notum est, substantiam immaterialem igne torqueri non posse? 1. Experientia nos docet animam rationalem, quam incorpoream esse infrà demonstraturi sumus, multùm admodum discruciari, si corpus peruratur. Dolor in corpore non est. Amotâ enim animâ, nullus in eo remanet sensus. Corpus ad morem instrumenti unicè inservit transmittendæ ignis impressioni, quæ animum dolore afficit.

2. Corpore perusto ideo discruciatur anima, proptereа quòd ei intimè unitur.

3. A Deo in statu futuro unio inter spiritum & corpus igneum juxtà arcta effici potest, atque hæc est inter animam & corpus in hoc præsente statu. Quò minùs fiat talis conjunctio, nihil impedit vel ex Dei vel rei parte.

4. Si anima, quæ immaterialis est, Corpore perusto torqueatur; & hic cruciatus fit præ unione; & unionem non dissimilem Deus inter spiritum & corpus igneum queat producere: certo certius est, spiritum

ritum malum dolores haud mediocres percepturum, si vi omnipotenti igneo Corpori alligaretur.

Cùm Christus asserat in resurrectione pios homines instar Angelorum in Cœlis esse futuros, similitudo non est trahenda ultra scopum, ad quem collimat, qui est, ut ostendat Sanctos in statu futuro Matrimonio non conjungi, ad morem Angelorum, qui nullas ducunt uxores.

Dogma XXII.

Regnum Dei in Scriptura nihil est nisi Regnum Civile, c. 35. p. 190. 192.

Regnum Dei in Scriptis Theologorum, præsertim in concionibus & libris devotionum, sumitur pro fœlicitate æterna, quæ post hanc vitam Electi in summo Cœlo fruituri sunt, quod Regnum gloriæ vocant. Sumitur etiam pro fœlicitatis hujus Arrabone, nempe gratia sanctificante, quod appellant Regnum gratiæ: sed pro Monarchia Civili propriè dicta, id est pro summa potestate super Cives per ipsorum suffragia acquisita, quæ est significatio Regni, nunquam sumitur. *H.*

Contrà in Scripturis sacris invenio Regnum Dei ubique ferè significare Regnum propriè dictum, nempe Regnum quod constitutum est consensu populi Israelitici, qui Deum in regem sibi elegerunt. Pactum autem erat hoc, quòd Deus Israelitis traderet terram Chanaan in possessionem, & quòd populus Deo obediret. Ab ipsa creatione Mundi Deus in omnes homines regnavit, non modò naturaliter sive jure Omnipotentiæ: sed etiam in quosdam homines,

quibus

quibus voce imperavit. Sic regnavit super Adamum imperans, nè comederet de arbore cognitionis boni & mali, &c. Rursus regnavit in Noah, & familiam ejus, &c. Postea allocutus est Deus Abrahamum, Gen. 17. 7,8. fecit cum illo pactum, &c.

Pactum ad montem Sinai cum Mose renovatum Ex. 19. v. 5. tale est, Si ergo audieritis vocem meam, &c. Idem narratur Tit. 2. 14. ubi dicitur Christum dedisse se pro nobis; ut purificaret sibi nos in populum περιούσιον id est peculiarem, id est, ut sequitur Ex. 19. non sicut Gentes aliæ meæ sunt. Cæteræ enim gentes potentiæ divinæ subditæ erant per Naturam, non autem per consensum & pactum, sicut Israelitæ. Rursus 1 Sam. 12. 12. alloquitur Samuel populum, &c. unde constat eorum Regem propriè dictum fuisse Deum. De loco Regni loquitur Esaias c. 24. 23. Erubescet Luna & confundetur Sol, cùm regnaverit dominus exercituum in Monte Sion & Hierusalem, id est super terram, &c.

Etiam in novo Testamento de servatore nostro dicit Angelus Gabriel, Luc. 1. 32, 33. Erit magnus, & filius Altissimi vocabitur. Et dabit illi dominus Deus sedem David patris ejus, & regnabit in domo Jacob in æternum. Regnavit autem David in terra. Adde quòd eo nomine ad mortem condemnatus sit, quòd Regnum Judæorum postulaverit sibi. Et Regnum ergo Dei propriâ non Metaphoricâ significatione dicitur. Concludimus ergo Regnum Dei regnum esse Civile. p. 190, 191, 192.

T. Ad quatuor reduci possunt hæc omnia. 1. Regnum in genere est summa potestas super cives. 2. Regnum Dei est vel naturale jure omnipotentiæ in omnes, vel Regnum per pactum in Israelitas. 3. Pactum ex parte Dei est dare Israelitis terram Canaan in possessionem æternam: verùm ex parte Israelitarum obsequium Deo præstare, & pro Rege in

in æternum agnoscere. 4. Regnum Dei in scriptura sumitur pro hoc regno Civili, per pactum, quod à prorege sive vicario administrandum est in terris.

Verùm enimverò si tibi visum fuerit denuò sacra Biblia revolvere, clam te non erit Regnum Dei præcellentius quid & multùm admodum sublimius sonare. Primò enim juxta sententiam tuam in Samuele desiit Regnum Dei Civile, cùm Saul ad Thronum esset evectus. & ante mortuorum resurrectionem non restituetur, cùm Christus prorex in die novissimo judicatum venerit totum Mundum. Verùm Scriptura post Samuelis tempora de regno Dei loquitur tanquam de re præsenti. Pervenit ad vos Regnum Dei, Mat. 12. 18. Luc. 11. 20. Ecce Regnum intra vos est, Luc. 17. v. 21. Quandoque de re proximè futura. Appropinquavit Regnum Dei, Mar. 1. 15. Stant hìc qui non gustabunt Mortem, donec venerit, Luc. 9. 27. Num opinaris hisce locis Regnum intelligi, quod futurum non est ante diem novissimum? Vix est, ut in quemquam incidas, qui tibi in hac re annuerit.

Deinde Regnum Dei ex tua opinione in terris est administrandum. Verùm commemorant sacræ literæ regnum in cœlis. Cùm Christus iturus esset ad paradisum, qui est in tertio Cœlo, unus ex facinorosis ad hunc modum eum alloquitur, Memento mei, cùm veneris in regnum tuum, Luc. 23. 42. Quibus verbis palàm indicatum est in Cœlis esse regnum Dei & Christi. Denique Regnum Dei civile, ut tibi visum est, regnum est per pactum, ubi Cives paciscuntur obedientiam, Rex verò mercedem: Cæterùm in sacra pagina Regni extat memoria, quod est merces ipsa in illos omnes, qui pactioni steterint, conferenda. Nè metue parve grex, nam libuit patri vestro dare vobis Regnum, Luc. 12. 32. Fidem servavi, quod reliquum est, reposita est mihi Corona, 2 Tim. 4. v. 7, 8. Ubi verò Regnum per pactum stabilitur,

tur, merces, quam subditis morigeris in obsequii compensationem pollicetur Princeps, reipsâ ab ipso Regno diversa est.

Hisce omnibus æquâ lance pensatis, nemini non erit compertū, non à veritate aberrare Theologos nostros, cùm quandoque in sacris literis Regnum Dei exponant per regnum gratiæ in hac vita, & gloriæ in statu futuro.

Non invitus concedo ab ipsis Mundi primordiis Deum in Adamum exercuisse imperium, & regnâsse per pactum, deinceps indè in Noam & Abrahamum. Sed necdum intellectum habeo, quid hoc conferat ad evincendum alterius Regni in Scriptura memoriam non esse reperiendam, cujus fruitio in Cœlo supremo expectanda sit. Verisimile est Apostolum, Tit. 2. 14. cùm asserat Christum dedisse semet, ut purificaret sibi populum peculiarem, allusisse ad verba Jehovæ, Ex. 19. 5. Eritis mihi peculium præ aliis omnibus populis: tamen indè minimè concludendum est, Regnum Dei & Christi die novissimo quoad omnia simile esse futurum Regno Civili in Seculo Mosaico. Missus fuit Moses ad redimendum populum, qui in terrestri Canaan principatum obtineret; Christus verò, qui in Cœlesti. Non ambigitur, quin sub Samuele Regnum Israeliticum fuerit theocraticum; verùm non indè oportet te inferre, theocratiam eandem restitutum iri die resurrectionis. Nè vel minimum verbulum ex ore tuo excidit, quo stabilita reddatur hæc consequentia.

Gratis assertum est Esaiam c. 24. 23. loqui de regni loco, ubi dicit, Cùm regnaverit dominus exercituum in monte Sion & Jerusalem. Solenne enim est iis qui Spiritui Sancto à manu sunt in veteri Testamento hisce velare nominibus, quæ spectant ad Spirituale Christi regnum. Sicut prior Commatis pars [erubescet Luna & pudore suffundetur Sol] non ad literam capienda est: ità nec hæc posterior. Sensus

sus figuratus hujusmodi est: Mundi splendor ob præfulgidam Christi Majestatem in Ecclesia regnantis nigrorem contrahet & disparebit tandem ad instar stellularum ad ortum majoris luminis. Notissimum est Esaiam his parabolicis locutionibus assuevisse. Sæpenumerò juxta Hæbræos loquitur. על דרך של בני אדם pro more & forma humana. Hunc loquendi modum imitatur Angelus, Luc. 1.33. ubi Messiæ mentionem faciens in hæc erumpit verba: Dominus Deus dabit ei solium Davidis patris ipsius, regnabitque in domo Jacob. Non bene infers, Quippe quòd David in terra regnaverit, ergo ibi solùm regnaturus est ipse Christus. Parili ratione concludas, quippe Davidis imperio imposita est periodus; ergo Christus in æternum non dominaturus est. Si ad literam interpretanda sint hæc verba, exorandus es ostendere, unde fit, quòd Christus in Davidis solio sessurus sit; cùm (ut tua fert opinio) non venerit, ut imperium restituat Davidis, verùm regnum theocraticum, quod populus in electione Saulis rejecerat ante Davidis tempora. Ex sententia tua Christo non dabitur solium Davidis, sed Samuelis. A veritate multùm admodum abludunt, quæ insuper adjicis, quasi eo nomine ad mortem condemnatus fuisset Messias, quippe quòd regnum Judæorum sibi postulâsset. Intende digitum vel ad minimum apiculum in Evangeliis, ex quo fas sit colligere Christum regimen Judæorum terrestre pro suo vendicâsse. E contrà legimus illum judicis partes repudiâsse, nec non declarâsse ex hoc Mundo non esse Regnum suum. Quid si titulum in Cruce scripserit Pilatus, Jesus Nazarenus rex Judæorum, coronâ è spinis in ludibrium coronatus fuerit, & discipuli ejus in jus vocati à populo clamante, Hi, qui orbem concitant, huc venerunt, Regem alium dicentes esse Jesum? Non indè sequitur, Christum revera jus sibi arrogâsse ad regnum Mundanum,

danum. Solenne est evangelii hostibus Christum & Apostolos falsis calumniis onerare. Hæc mihi in mentem revocant quæ apud Eusebium occurrunt de Pamphilo cæteríſque martyrio coronatis, regnante Dioclesiano. 'Cum interrogaretur Pamphilus, quæ 'illius patria esset? respondebat Hierusalem, intel- 'ligens eam quæ ἄνω est, Gal. 4. Subinde quærebat 'Judex, quæ Civitas illa esset, & ubi terrarum sita? 'respondet denuò Martyr, eam esse μόνων τῶν θεοσεβῶν 'πατρίδα patriam solùm piorum ad Orientem positam. 'Judex animæ hæsitans intra se tumultuari cœpit; 'putabátque Christianos eam Civitatem, de qua Mar- 'tyr locutus fuisset, infestam omnino & inimicam Ro- 'manis effecturos. Multùm igitur de ea re scrutari, '& ubinam tandem illa regio, quæ in Oriente fereba- 'tur existere, admodum conquirere.

c. 21. p. 239.

Mihi videris in tuo de Regno Christi in terris scrutinio ad vivum imitari hunc judicem. Si quid occurrat in sacra pagina de regno Dei Spirituali & Cœlesti, protinus tuum subit animum, quasi dictum id fuisset de regno aliquo Civili in terris; ex ea re solicitè disquiris, ubinam Gentium reperiatur? cùm reipsâ hoc regnum nullibi in hâc vita reperiendum sit præterquam in Ecclesia, in futura, nisi in Supremo Cœlo.

Dogma

Dogma XXIII.

***Locus in quo homines vita æterna perfruituri sunt, est in terra,* c. 38. p. 209.**

DUo Scripturæ textus (Rom. 5. 18, 19. 1 Cor. 15. 21, 22.) significare videntur fore locum illum in terra. Siquidem perdidit Adamus paradisum, & vitam illic æternam: paradisum & vitam illic æternam credentibus Christus recuperavit, nec aliam. Cui doctrinæ congruere videtur, quod dicit Psalmista, Ps. 133. 3. Dominus qui fecit Cœlos & terram, benedicat tibi è Zion: alioqui dixisset, benedicat tibi è Cœlo. Item Johannes, Apoc. 2. 7. Illi qui vincit, dabo comedere ex fructu arboris vitæ, &c. quæ arbor Adamo arbor vitæ erat sed in terra. Idem confirmari videtur à Johanne, Apoc. 21. 2. Jerusalem nova, nempe locus electorum, descendit in terram, &c. Item Act. 1. 11. Hic idem Jesus, &c. quæ verba ità sonant, ac si Angeli dixissent Jesum venturum ad populum Dei patris regendum hic. Porrò id quod dicit servator noster Mat. 22. 3. in resurrectione, &c. descriptio est vitæ æternæ similis ejus, quam perdidimus in Adamo, quatenus attinet ad Matrimonia. Nisi enim peccâssent Adamus & Eva, vixissent in Paradiso terrestri ipsi sine prole in perpetuum. Nam si sicut homines nunc, ità immortales generarent, deesset non magno tempore locus hominibus, ubi pedes ponerent. *H.*

Summa ratiocinii tui in hoc consistit. Id quod Adamus perdidit, Christus credentibus largitur: Sed Adamus perdidit vitam æternam solam in paradiso terrestri: Ergo eandem vitam solam, nimirum terrestrem, *T.*

reſtrem, credentibus largitur. Major propoſitio tibicine multùm admodum labili fulta eſt. Adamus enim hortum in plaga Mundi orientali perdidit arboribus conſitum, fluminibus irrigatum, ſuæ demandatum cuſtodiæ. Ubi compertum habes Chriſtum in animo habuiſſe eodem horto Orientali per diluvium Noæ vaſtato ſingulos credentes donare? Minor pariter nutat. Multùm admodum veriſimile eſt, ſi Adamus in ſtatu innocentiæ perſtitiſſet, Deum illum unà cum poſteris à terreſtri paradiſo ad cœleſtem poſt tempus præfinitum transferre voluiſſe. Quemadmodum ex morte, quam illi minabatur, colligimus vitam fuiſſe promiſſam: ità ex genere mortis liceat divinare de genere vitæ. Mors denunciata duplex eſt; temporalis altera in terra, altera æterna in inferno. Utramque enim maledictio legis complectitur. Morte morieris. Idcirco vita, quam largiri fidem ſuam aſtringit Deus, duplex eſt; altera temporalis in horto, quam Adamus in ſervandis Dei præceptis debuit impendere, altera æterna in cælo, quâ perfruiturus erat, poſtquam in terris inculpatum obedientiæ ſpecimen conditori ſuo exhibuiſſet. Hinc geminus paradiſus in ſacra pagina commemoratur: Alter in Oriente non longè à Meſopotamia, ubi Deus de Adami fidelitate periculum erat facturus: alter in tertio Cœlo, ubi actâ obedientiâ, illum pleniori præmio remuneraturus erat. Sedes beatorum Paradiſi nomine inſignitur, quippe paradiſo terreſtri adumbrata fuit. In more poſitum eſt apud eos, qui Spiritui Sancto à manibus fuère, rem ſignatam nomine ſigni appellare.

Hiſce prælibatis, nullo negotio occurritur textibus à te prolatis. Chriſtus eandem vitam recuperavit, quam perdidit Adamus, ſpiritualem in terra, æternam in cœlo. Quemadmodum in Adamo moriuntur homines tum ſeculo præſenti, tum ſeculo futuro:

futuro: ità in utroque seculo vivificabuntur in Christo fideles. Psalmista (Ps. 133.) loquitur de spirituali in vità præsenti benedictione. Carmen dramaticum est, quod cani solebat à Levitis, cùm excubias sanctuarii adirent. In primis versiculis unus eorum cæteros hortatur, ut dum excubant, sui officii in præconiis Dei celebrandis non obliviscantur. In versu novissimo reliqui succinunt votum suum, ut Deus ei benedicat ex Zion, unde omnia bona spiritualia dimanant. In Apoc. 2. 7. Johannes per arborem vitæ intelligit Christum ipsum veram vitem, Joh. 15. 1. per fructum hujus arboris beatitudinem futuram; per paradisum, non terrestrem hortum, sed locum beatitudinis, quæ usque & usque perennabit. Res præfigurata plerumque nomine figuræ appellatur. Jerusalem Apoc. 21. 2. non est locus electorum, verùm Ecclesia in secundis. Mirum est si locus descenderet, cùm omnis locus suâ naturâ sit immobilis; moveri est transferri à loco in locum. Locus utpote non in loco talis translationis incapax est. Verba statum Ecclesiæ florentissimum, non locum denotant. Dicitur de Cœlo descendere, quippe Ecclesia suam prosperitatem benignitati Cœli in solidum acceptam fert. Duo Angeli Act. 1. 11. adventum Christi non ad regendum populum in terris, sed ad judicandum mundum in die novissimo commemorant. Vita æterna, quæ describitur Mat. 22. 30. vitæ in paradiso minimè similis est, quatenus attinet ad Matrimonia. Adamus enim in statu conjugali fuit. Benedictio propagationis ad illum perinde ac ad cætera animalia pertinet, Gen. 1. v. 28. Deus in rerum incunabulis dicitur unum par conjugâsse, quòd sanctum semen progignerent, Mal. 2. v. 15. Cùm dicis, Si Adamus & Eva generarent immortales, sicut mortales nunc geniti sunt, brevi tempore locus deesset

in mundo, ubi pedes ponerent ; mihi videris plurimum hallucinari. Sicut enim morte jam effectum est, ut in terris sit sat spatii ad continendos homines: ità idem effectum fuisset translatione in cœlestem regionem, si Adamus & Eva suam innocentiam non exuissent.

H. Quòd locus in quò in æternum post resurrectionem habitaturi sunt electi, sit Cœlum, id est partes illæ, quæ à terris remotissimæ sunt, ut ubi sunt stellæ, aut adhuc altiùs in cœlo quod vocatur (non in Scriptura Sacra) Empyreum, non confirmatur ab ullo, quod sciam, textu Sacræ Scripturæ. In contrarium scriptum invenimus, Joan. 3. 13. quòd nemo in Cœlum ascendit præter eum, qui è Cœlo descendit, nempe filium hominis, qui est in Cœlo. Item Act. 2. 24. ad probandum Christi ascensionem utens verbis Psalmistæ, Ps. 16. v. 10. Non relinques animam meam in inferno, nec dabis Sanctum tuum videre corruptionem, dicit Petrus, non ea de Davide sed de Christo dicta esse, probans ex eo, quòd David non ascendit in cœlum. c. 38. p. 210.

T. Si tibi visum fuerit me paululum sequi, adducam te ad Textus Scripturæ, qui sedem beatorum supra Cœlum stellatum esse luculenter demonstrant.

1. Asseritur non obscurè Paradisum esse locum, ubi Christi anima protinus à morte fuit recepta, Luc. 23. 43.

2. Paradisus hic est locus summæ & æternæ beatitudinis. Non ambigendum est, quin Christus ità locutus fuerit, ut à latrone intelligeretur. Itaque certissimum est, eum accommodâsse sermonem suum ad vulgarem & familiarem loquendi modum. Judæis tunc temporis erat solenne summæ beatitudinis locum Paradisi nomine indigitare. Horto Edenis

nis summis amœnitatibus abundante, in usum venit
eo nomine æternitatis signare delicias. Hoc disca- L. 2. c. 2.
mus ab Esdra, scriptore licèt Apocrypho, tamen v. 34.
satìs Antiquo, ad docendum nos istorum temporum
consuetudinem. Postquam enim æternam delinea- C. 7. 53.
verit felicitatem, locum, ubi fruenda est, para- 8. 2.
disum bis nuncupat. Ter solummodò in novo Te-
stamento occurrit hæc vox; & hunc significatum pas-
sim præ se fert. Hujusce momenti esse in loco,
quem præ manibus habemus, vel ex ipso contextu Luc. 23. 43.
compertum habeamus. Etenim Christum ità allo- 2Cor. 12. 4.
quitur latro: Memento mei cùm veneris in Reg- Apoc. 2. 7.
num tuum. Regerit Christus: Hodie mecum eris
in Paradiso; quod apertè declarat Regnum Cœleste
felicitatis fastigium, quo Deo complacitum est fide-
les donare, in hoc paradiso esse futurum. 3. Hic
paradisus sive locus æternæ beatitudinis est in tertio
Cœlo. Postquam dixerat Apostolus se novisse ho-
minem, qui raptus fuit in tertium Cœlum, 2 Cor. 12,
v. 2. confestim subjungit in commate quarto illum
raptum fuisse in paradisum, nimirum in eo Cœlo, ubi
verba ineffabilia audierit. Loquitur enim de ea-
dem visione tum in versu secundo tum in quarto.
Hinc in exceptis ex Theodoto & reliquis Valen-
tinianis paradisus τέταρτος οὐρανὸς dicitur. Uti obser- Ju. Win-
vârit vir doctissimus. Notat Aruch locum in Cœlis, det. de sta-
ubi animæ colliguntur, vocari Paradisum. Præ- tu vit. fut.
ter inferiorem & terrestrem, superiorem etiam p. 173.
paradisum agnoscunt Caballistæ, &c. פרדס כל הדברים Buxt. voc. פרדס
שיש למטה 'omnium rerum, quæ infrà sunt, (in-
'quiunt) exemplar est suprá. Est itaque paradisus
'inferior & paradisus superior.

4. Cœlum tertium est pars mundi remotissima à
terra supra ipsas stellas. Temporibus Paulinis no-
tissima erat divisio Coeli in tres regiones, sc. nubife-
ram, astriferam, Angeliferam. רקיע שמים שמי
שמים

שמים expansum, cœlum, cœlum cœlorum supra ipsa astra, h. e. Cœlum tertium.

5. Locus, quo electi protinus à morte sunt, & in æternum habitaturi, est, ubi Christus est. Paulò ante mortem patrem rogat, ut sint, ubi ille est, & videant gloriam, quam pater ei concesserat, Joan. 17. 24. Sanctus Paulus in votis habet dissolvi & esse cum Christo, Phil. c. 1. Hisce congruit sententia saniorum Judæorum, qui statuunt piorum defunctorum animas non conferre se ad Paradisum terrestrem aut locum quempiam inferiorem, sed protinus ad Cœlum avolare, & ibi תחת כסה הכבוד sub solio gloriæ collocari. Hinc Jonathanis B. Vzielis Targum refert Enochum subductum esse & ascendere in Cœlum in sermone coram Domino. Et opus Rabbinicum de vita & morte Mosis (si Gaulmino fidem habeamus) maximæ antiquitatis scriptum, asserit Deum collocâsse Mosis animam תחת כסה כבוד sub solio gloriæ: Cui consonum est quod legimus Apoc. 6. ubi Sanctus Johannes vidisse dicitur ὑποκάτω τοῦ θυσιαστηρίου τὰς ψυχὰς animas sub Altari. τὸ ὑποκάτω τοῦ θυσιαστηρίου est Rabbinicorum תחת כסה הכבוד inquit Gaulminus. Humana Christi natura est quasi solium, ubi divina residet Majestas & gloria; & divina est quasi θυσιαστήριον, cui victima à Christo sacerdote oblata imponitur, & unitur. Jam hæc omnia colligemus. Si Christus sit in Paradiso, Paradisus locus summæ beatitudinis, hic locus beatitudinis in tertio Cœlo, Cœlum tertium supra Stellas, & electi sint, ubi Christus est; liquidò constat ex sacris literis sedem beatorum in partibus orbis à terra remotissimis esse futuram.

L. 3. Not, p. 393.

Cùm dicitur, Joan. 3. 13. quòd nemo in Cœlum ascendit præter eum qui descendit, nempe filium, &c. non localem ascensum (uti opinaris) sed intellectualem intelligit. Ascendere in Cœlum

est

eſt intima Cœli penetrare, & grandia æternitatis myſteria cognoſcere, Prov. 30. 4. Quemadmodum quod facile intellectu eſt, dicitur non eſſe in Cœlo, Deut. 30. 12. Hic ſenſus in locum maxime congruit. Chriſtus enim hortatur Nicodemum, nè nativæ intellectûs perſpicuitati plus ſatìs innitatur; docens neminem propriis viribus in cœlum aſcendere poſſe, h. e. ſuo acumine arcana Cœli perſcrutari, præter illum, qui ſingulari dei beneficio cœlitùs demiſſus eſt ad fideles redimendos, nempe præter filium hominis, cujus utraque Natura, divina quoad Eſſentiam, humana quoad converſationem, in Cœlo eſt. Cùm Petrus dicit Act. 2. v. 34. Davidem non aſcendiſſe in Cœlos, non negat aſcenſum animæ, quæ à morte protinus in Cœlum erecta fuit; ſed illum aſcendiſſe inficiatur eo modo, quo Chriſtus, qui tum quoad animam tum corpus ſcandit Cœlum, & ad dextram patris omni dominio atque imperio ſedet donatus.

Dogma XXIV.

Anima post mortem ante Resurrectionem non extitura est, c. 38. p. 211.

H. ANte resurrectionem nihil habet in Cœlo, quod faciat anima, etsi per se existeret, &c. Quid autem est propter quod animæ justorum in cœlum irent ante corpora, cùm mercedem operum suorum recepturi non sint ante judicium; ut manifestum est ex Luc. 14. 14, &c. Si verba illa [non est enim Deus mortuorum sed viventium, Luc. 20. 37, 38.] intelligenda sint de immortalitate animæ, non id probant quod probatum voluit Christus, nempe resurrectionem Corporis, &c. Quòd autem Patriarchæ illi aliíque multi fideles homines tunc mortui essent, vivere tamen eos dixit Christus; causa erat, quòd nomina eorum scripta erant in libro vitæ, & propterea addidit verba hæc, uti in textu videre est, quòd viverent Deo. Ubi dicit Job. c. 14. hominem non ampliùs surrecturum, donec attreretur cœlum, (quod Petrus dicit futurum esse in resurrectione, 2 Pet. 3. 7.) idem est ac si dixisset, vitam immortalem in resurrectione incipere. c. 38. p. 211.

T. Sententia tibi in patrocinium suscepta sacris Oraculis ex diametro adversatur. Si anima unà cum corpore intereat, quid est quapropter Discipuli à Christo admonentur, nè metuant ab iis, qui corpus occidunt, animam autem occidere non possunt, Mat. 10. 28? Si pereat anima simul cum corpore, necesse est, ut, qui corpori mortem infert, eodem ictu lethale vulnus animæ infligat. Non satis est dicere animam ideo non occidi, quippe in die novissimo resurrectura est. Quantùm enim ad vitam in resurrectione, corpus

corpus & anima pari passu ambulant. Quinetiam si anima unà cum corpore extinguatur; dic mihi, quare Apostolus in votis habuerit, ut à vita excederet, & esset cum Christo? Num cum Christo esse est in sepulchro dormire, & unà cum corpore abire in pulverem? Quæ ratio illum induxit, ut hanc vitam morti postponeret, si anima ante resurrectionem beatitudine nullâ potiatur? Fuerat præstabilius in hoc statu commorari, in conditoris sui exhauriri obsequium, sancti spiritûs consolatione frui, præludia vitæ æternæ communicata habere; quàm sine ullo sensu tumulo jacere, vermibus pabulum ministrare. Pœnituisset sine dubio Apostolum voti sui, si doctrina hæc, quam defendendam suscepisti, illi fuisset cognita. Deinde quid putas de animabus Divitis & Lazari, quarum altera in sinum Abrahæ erat delata, altera in infernum? Neutra earum morte fuit extincta. Hæc narratio sive historica, sive parabolica, sive historia parabolicè prolata, testimonium luculentum nobis suppeditat. Si historica sit, (uti plurimi patrum existimant, speciatim Irenæus, Tertullianus, Chrysostomus, Augustinus, Gregorius,) res integra confecta est. Quid (inquit Tertullianus) illic Lazari nomen, si non in veritate res est? Lazar Syriacè contrahitur pro Eliazar, uti ex vet. cod. constat. In sacra pagina nullum occurrit exemplum, ubi in parabola aliquis nomine proprio signatur. Per Divitem Herodem intelligi existimat idem Tertullianus. Christus nomen ejus reticet, quem vituperat, nè citra necessitatem sibi invidiam contrahat. Si parabolica, in ea non desiderantur vires ad subruendam tuam sententiam. Parabola est rerum differentium collatio, quæ in duas partes diducitur, *παράθεσιν* & *ἀνταπόδοσιν*. *παράθεσις* petita est à rebus factis, vel fictis. Si res in hac parabola factæ sint, sumus in vado. Si fictæ, hanc *ἀνταπόδοσιν* nobis exhibeant

De anima, c. 7.

hibeant necesse est, sc. animas piorum confestim à morte in locum gaudii ituras: impiorum in tormenta, è quibus nullo studio se expedire poterunt. Si hæc ἀνταπόδοσις tibi non arrideat, intende digitum ad concinniorem, quæ scopo servatoris nostri magis congruat. Si sit historia parabolicè prolata, h. e. narratio inter historiam & parabolam, uti Tragicocomœdia est inter Tragœdiam & Comœdiam (nam τὸ Lazarum & Divitem fuisse alterum in Coelo, alterum apud Inferos historiam redolet: verùm τὸ oculos levare, aquam ad linguam refrigerandam petere, parabolam:) tamen satis est in ea historiæ ad veritatem, pro qua militamus, evincendam. Non dissimilis momenti est Christi responsum ad Latronem in cruce: *Hodie mecum eris in Paradiso.* Non de corpore loquitur; id enim erat protinus terræ mandandum. Si de anima, beatitudinem ejus non in longam rerum seriem rejicit, sed eam eo ipso die in statum beatorum admittendam esse pronunciat. Incassùm agunt, qui *hodie* connectunt cum *dico*, quasi non indicaret tempus, quo latro futurus sit in Paradiso, sed veritatem promissi: Cùm intuenti textum constiterit, *hodie* referri ad *quando* in latronis alloquio; Memineris mei, quando veneris in Regnum tuum. Respondet Christus, imò hodie mecum eris in paradiso. Perinde faciunt, qui *hodie* interpretatum eunt longam temporum seriem, quippe unus dies sicut mille anni in conspectu Dei. Non dubitandum est, quum Christus animum latronis erigere & consolatione afficere voluerit, quin verba sua ad illius captum ità attemperaret; ut sine ullo negotio intellectu caperentur. Ex dictis non intellectis parum solaminis decerpimus. Quis poterit ad credendum induci, latronem per *hodie* mille annos intelligere potuisse; cùm nullibi compertum sit, hunc loquendi modum Judæis solennem fuisse.

fuisse. Hisce omnibus, si res jamjam non esset satis perspicua, attexerem Stephani morituri votum. Domine Jesu, accipe spiritum. Quare de anima magis quàm corpore solicitus fuit, si anima unà cum corpore extinguatur? Quinetiam dictum Apostoli adjicerem: Si terrena domus hujus tabernaculi dissoluta fuerit, ædificium ex Deo habemus, domum non manufactam, æternam in Cœlis. Palàm est Apostolum in animo habuisse non statum animæ post resurrectionem, sed eum, qui è vestigio mortem insequitur. Mox atque hoc animæ domicilium fuerit solutum, anima etiam domum, sc. mansionem in Cœlis sanguine Christi partam, occupatura est. Hisce concinunt suffragia Antiquæ Ecclesiæ. Quamvis patres non unà sentiant de loco animæ separatæ; convenit tamen inter illos de statu, sc. quòd non dormiat aut intereat, sive sit in Cœlo, sive in Paradiso, sive descendat εἰς ᾅδην. In quocunque loco anima fidelis versatur, eam apud Deum vivere, & delicias usque perennaturas delibare arbitrantur. *Act. 7. 59.*

Cùm autem interroges, quid est propter quod animæ justorum in cœlum irent ante corpora? respondeo, ut operum suorum fruantur mercede. Merces æterna est vel inchoata, vel consummata. Illam recipiunt, quamprimum à Corpore solutæ sunt; hanc in die novissimo, cùm, utrâque parte denuò agglutinatâ, homo integer evaserit. Anima Corpori, quod avidissimè manet, ab integro unita tum demum culmen beatitudinis suæ tactura est. Cùm Christus Luc. 14. v. 14. mercedem ἐν τῇ ἀναστάσει τῶν δικαίων futuram commemorat, si per ἀνάστασιν statum animæ justorum protinus à morte intelligat, mercedem inchoatam intendit: si statum in die Judicii, plenariam. Sadducæi, quibuscum

buscum Christus congreditur, Luc. 20. 35. non tantum corporis resurrectionem; verùm etiam animæ impugnabant immortalitatem: idcirco Christus utitur gladio ancipiti, quo utrumque ferit errorem. Est Deus, inquit, viventium in præsenti; Ergo vivunt Abrahamus, Isaacus, & Jacob quoad animam. Est Deus non solummodò partis, verùm totius Abrahami, Isaaci, Jacobi: Ergo corpus resurrecturum est, ut cum anima in statu vitæ usque & usque permaneat. Idem facit Apostolus, 1 Cor. 15.

Liceat hîc annotare animam triplicem statum habere, primum in hac vita, dum corpore terreno habitat; secundum post hanc vitam, cùm absque corpore seorsim existat; tertium ad diem Judicii, cùm denuo corpus induat. Primum nuncupemus *ζωὴν*, secundum *ἀνάστασιν*, tertium *ἐξανάστασιν*, sive *ἀνάστασιν νεκρῶν*. Christus in Evangelio non solùm tertium statum, verùm etiam secundum in suum patrocinium suscipit. Sadducæi inficiari *ἀνάστασιν* dicuntur sine articulo, Luc. 20. v. 27. ullam *ἀνάστασιν* utì interpretatur Erasmus, sive immediatè post mortem, sive ad diem novissimum. Æthiopicus interpres vertit, *venerunt Sadducæi, qui dicunt, non vivunt mortui*; ut innuat disquisitionem de vita post mortem in genere institui, sive animæ prorsus ab excessu, sive animæ & corporis in die judicii. Hinc v. 33. dicitur In resurrectione, cujus eorum *γίνεται* fit uxor, non *γενήσεται* erit uxor? *ἀνάστασις* repræsentatur ut status præsens, quem septem fratres demortui jamjam adepti fuerant, non ut futurus, qualis est resurrectio corporis. *ἀνάστασις* alibi in novo Testamento denotat statum vitæ animæ peculiarem statim à morte hominis. Mulieres dicuntur mortuos suos recepisse *ἐξ ἀναστάσεως*, Heb. 11. v. 35. h. e. animas mortuorum; siquidem Corpora priùs secum habuêre. *ἐξ ἀναστάσεως*, nimirum ex statu illo, in quem confestim post mortem

mortem commigraverant. Ad finem hujus versiculi occurrit in eodem sensu: alii fustibus cæsi sunt, non acceptantes liberationem, ἵνα κρείττονος ἀναστάσεως τύχωσιν, ut statum hâc ærumnosâ vitâ longè potiorem consequerentur, ubi anima, utpote à corpore liberata, tormenta ei inflicta non diutius sentit; verùm summâ fruitur tranquillitate. Ex his liquidò constat id probari, quod Christus probatum voluit. Verba enim de immortali animæ statu sunt intelligenda; verùm non exclusivé: corporis etiam futuram resuscitationem complectuntur. Non ex ea re dictum est, Patriarchas Deo vivere, v. 38. quòd eorum nomina scripta sint in libro vitæ, (in hoc sensu vivunt nondum nati) sed quia vita eorum quoad animam hominibus non in conspectum datur: Deo enim soli & cœlesti exercitui conspicua est. Textus Job. c. 14. v. 12. tempus non definit, quo vita immortalis inceptura est: verùm hoc unicè asserit, virum, postquam occubuerit, in hanc vitam nunquam denuò reversurum. Hæc Phrasis עד בלתי שמים idem sonat, quod *nunquam*. Resurrectio alibi à Jobo abunde agnita est.

Dogma XXV.

Punitio reproborum in terris futura est, c. 38. p. 212.

H. SIcut Regnum Dei & vita æterna, ità etiam hostes Dei post judicium ultimum & cruciatus eorum locum in Scripturis videntur habituri in terra. *p.* 212.

T. Quemadmodum piorum receptaculum in supremo Cœlo fore ante & post judicium ultimum suprà probavimus; ità etiam impiorum non in terris, h. e. super terræ superficiem, sed eâ longè profundius dehinc jam ostensuri sumus. Etiamsi is non sum, cui in deliciis sit portas umbræ mortis exquirere; (reponendum est priùs imis sensibus pium S. Chrysostomi consilium, μὴ ζητῶμεν ποῦ ἐστι γέεννα, ἀλλὰ πῶς αὐτὴν φύγωμεν, nè quæramus ubi Gehenna sit, sed quomodo eam effugiamus) tamen asserere non pertimesco sacram paginam, Judæorum traditionem, Ethnicorum scripta, Ecclesiæ Christianæ testimonia tuæ sententiæ nihil prorsus favere. Primò pagina sacra ei non aspirat. In veteri Testamento, ubi Inferni extat memoria, delineatur ut quid terræ superficie multùm admodum depressius. Deut. 32. 22. Ignis arsurus dicitur עד שאול תחתית usque ad Infernum inferiorem; juxta versionem Græcam εἰς ᾅδου κάτω, usque ad infernum deorsum; juxta Syriacam ܠܫܝܘܠ ܬܚܬܝܬܐ ad Infernum profundissimum. Innuit Job tantam esse ejus profunditatem, ut à nemine exquiri possit, c. 11. v. 8. Hinc Syrus interpres vertit locum ܥܘܡܩܗ &c. profunditatem Inferni undenam percipies? Quinetiam nuncupatur שאול תחתיה Psl. 86. 13. Nec non שאול מטה Pro. 15. 24. Hæc

Hæc omnia talem Inferno profunditatem tribuunt, quæ terræ superficiei omnino non competit.

In locis laudatis שאול Sepulchrum non denotat. Non permirum esset, si ad Sepulchrum usque arderet ignis iræ divinæ. Quinetiam citra negotium exploratur tumuli profunditas. Eo animo Epitheton adjici videtur, ut secernatur à reconditorio, ubi terræ mandantur corpora.

Ex novo pariter Testamento elucet Infernum superficie terræ esse longè depressiorem. Nuncupatur ᾅδης Mat. 11. v. 23. ἕως ᾅδου in Persica versione ad imum foveæ Inferni. In Æthiopica usque ad Gehennam. Oppositio inter Cœlum & ᾅδην liquidò demonstrat hâc voce locum damnatorum significari. Nec non etiam Etymon nos doceat hunc locum in terræ superficie quærendum non esse. ᾅδης q. ἀΐδης sc. locus ἀνόηλος qui nequit conspici; quod dici non potest de terræ superficie, quæ radiis collustratur solaribus, & facilè in conspectum datur.

Deinde appellatur etiam σκότος ἐξώτερον, Mat. 8. 12. tenebræ exteriores, h. e. remotissimæ à lumine cœlestis gloriæ, quod minimè est asserendum de caligine superficiei terræ incumbente. Longè enim remotiores sunt tenebræ versùs centrum in intimis ejus penetralibus.

Denique Angelos lapsos Deus dicitur ταρταρῶν in Infernum detrudere, 2 Pet. 2.4. Tartarus est ima Inferorum sedes. Hinc ab Hesiodo passim usurpatur ad infima terræ significanda. Si suis pensentur momentis hæc omnia, neminem latebit ex sacræ paginæ sententia Infernum in terris, h. e. super extimam terræ partem, non esse futurum.

Proximè succedunt Judæorum traditiones. Receptaculum vitâ functorum tam piorum quàm impiorum שאול appellant Hebræi. Sheol in duas diducunt partes, Paradisum & Gehennam. Gehennam *Consule Jawindet de st. vit. funct. Sect. 6. p. 114.*

itidem

itidem in septem regiones, quarum sex primas appellant Gehennam superiorem; septimam vero inferiorem; utramque intra terræ collocant viscera. Hinc Rab. Levi Ben Gershom Sheol exponit מרכז הארץ centrum terræ. Rab. D. Kimchius in terræ meditullio sitam esse existimat. A Josepho ὑπὸ χθονὸς in subterraneis collocatur. A LXX. ubi fundamenta terræ jacta sunt. Hinc comma decimum quintum 14. cap. Esaiæ ab eis ità vertitur νῦν εἰς ᾅδην καταβήσῃ καὶ εἰς τὰ θεμέλια τῆς γῆς. Nunc autem in Infernum descendes, & ad fundamenta terræ. Eodem pertinet Chaldaica in textum paraphrasis, Veruntamen ad infernum detraheris & ad extremitatem גוב בית אבדנא foveæ domûs perditionis. Hanc foveam sive cisternam ex eorum sententia intra terræ esse penetralia inter omnes convenit. Hisce congruunt Ethnicorum Scripta. In duo ab eis receptacula ᾅδης dispescitur, alterum piis, alterum impiis destinatum: utrumque verò intra vel infra terram situm arbitrantur. Hinc Diphilus Comicus apud Clementem Alexandrinum ait:

Buxtorf. vox. רכז *Ant. L.*18. *c.* 2.

Strom. L. 5. *p.* 442. *Lugd. Bat.*

Καὶ γὰρ καθ' ᾅδην δύο τρίβους νομίζομεν,
Μίαν δικαίων, ἑτέραν ἀσεβῶν εἶναι
Ὁδόν· καὶ εἰ τοὺς δύο καλύψει ἡ γῆ.

Hinc Inferorum ponimus duplicem locum,
Hunc destinamus piis, illum impiis;
Uterque quamvis conditus terrâ latet.

Diodorus Siculus τὰς τῶν ἀσεβῶν τιμωρίας & τὰς τῶν εὐσεβῶν λειμῶνας ἐν ᾅδῃ collocat. ᾅδης autem sive ἀΐδης à Scholiaste Homerico definitur τόπος σκοτεινὸς ὑπὸ τὴν γῆν. Nec non etiam à Luciano τόπος ὑπὸ τῇ γῇ βαθύς. Tartarus, ubi torquentur impii, ab Homero describitur tanquam profundissimum sub terra barathrum. βάθιστον ὑπὸ χθονός ἐστι βέρεθρον.

Iliad. θ. 14.

Duo

Duo sunt hominum genera qui testimonia super hac re Antiquitatis monumentis conspicienda reliquerunt. Primum est eorum, qui mundum ἐγκύκλιον rotundum esse opinabantur; & in ejus medio ignem positum, & terram οὐκ ἀκίνητον non immobilem, ἀλλὰ κύκλῳ περὶ τὸ πῦρ sed in gyrum circa ignem, h. e. circa solem moveri. Huic opinioni favebat Pythagoras, necnon etiam Plato πρεσβύτης, uti innuit Plutarchus in Numa. Secundum genus eorum est, qui Mundum non orbicularem, sed tentorii figurâ formatum esse arbitrabantur. Rab. Eleasarus mundum tentorio assimilat. Hinc conjiciunt aliquot Tabernaculi Sanctuarium appellari κοσμικόν. Intra hoc tentorium versus fastigium cœlum ponebant, ubi divina residet majestas. (Hinc Author L. de Mundo notat, quòd inter omnes convenit ut manus inter orandum versus eum locum tendantur.) Verùm versus partem depressiorem collocabant terram; Novissimo loco aquas sive Oceanum, ad quem tentorii extremitates extendi; & ibi terminari augurabantur. Hinc vulgò creditum erat, solem, cùm occideret, in oceanum descendere, P. 67. Heb. c. 9. v. 1.

Ἐν δ' ἔπεσ' ὠκεανῷ λαμπρὸν φάος ἠελίοιο,

& etiam proximo manè unà cum reliquis stellis inde emergere. Hinc de stella Autumnali dicitur,

Λαμπρὸν παμφαίνῃσι λελουμένος ὠκεανοῖο.

Qui primæ accedunt Hypothesi, Tartarum collocant terræ meditullio; qui secundæ astipulantur, infra ipsas aquas sive Oceanum. Horum verò neuter tuæ patrocinatur opinioni, quasi Gehenna in terris h. e. super terræ superficiem esset futura.

Jam demum deventum est ad Ecclesiæ Christianæ

 testimonia

testimonia. Ut antiquorum in hac re sententia sit exploratior, præmittendum est, eos loqui de vitâ functis vel ante vel post Christi adventum & excessum. Qui priores commemorant, ᾅδην sive Infernum describunt, ut quid terræ superficie longè depressius. Ante adventum Salvatoris (inquit Chrysostomus) & Evangelii charitatem, antequam Christus aperiret Paradisi januam cum Latrone, omnes sanctorum animæ ad inferos deducebantur. Similiter Hieronymus, Ante Christum Abraham apud inferos, post Christum Latro in Paradiso. Eò redeunt hæc, & similia quamplurima ex Irenæo, Tertulliano, Origene, Eusebio, cæterísque desumpta: quasi putâssent hi Patres fidelium animas, ante Christi adventum, apud Inferos fuisse detentas, & non priùs in Paradisum receptas, quàm eum suo reserâsset sanguine Servator noster. Ex hisce testimoniis in nostræ causæ favorem, tantum lucremur; Si ex Antiquorum sententia fuerint fidelium animæ in loco inferiori licèt refrigerii: tum extra dubium, locum, ubi improbi puniendi sunt ante & post judicium, longè depressiorem esse existimabant.

Hom. 4. in mare.

Ad Heliodorum in Epitaphio Nepotiani.

Qui vitâ functorum post Christi adventum & excessum mentionem faciunt, quantùm ad fidelium animas, ad unum omnes conveniunt, quòd in Paradisum recipiantur: verùm discrepat inter eos, ubi Paradisus sit collocandus. Eorum aliquot in Cœlis esse existimant. Hinc Cyprianus asserit fideles ad Christum, subveniente morte, properare, & Paradiso restitui, & regno Cœlesti venire in Cœlestium regnorum voluptatem. Alii sunt, qui ἐν ᾅδου situm esse opinantur. ᾅδην verò in duas dispescunt regiones, superiorem unam, in quam descendunt pii, ubi apud Deum, qui ubique est, vivunt, placidâ fruuntur quiete, & perennia gaudia delibant; alteram inferiorem, ad quam ablegantur Impii, ubi sævissimis excruciantur tormentis.

De mortalitate, p. 177. Pamel.

tormentis. Qui ità ſtatuunt, de loco ubi ᾅδης eſt, non idem ſentiunt. Eorum aliqui mortalibus ignotum pronunciant, & per ᾅδην non locum volunt ſed ſtatum, ſc. τὴν ἀπὸ τῦ ἐμφανῦς εἰς τὸ ἀφανὲς ϗ ἀειδὲς μετάστασιν τῆς ψυχῆς tranſitum animæ à lucido in obſcurum & inſpectabile. Alii, eò quòd ᾅδης per tenebras exteriores deſcribatur, ad credendum fuêre inducti eum extra mundum collocari. *Theophylactus in Luc. c. 16. Paris. p. 461.*

Alii verò, qui terræ figuram planam eſſe exiſtimabant, & Antipodas inficiabantur, ᾅδην infra terram poſuerunt. Huic ſententiæ aſtipulatur autor Poëmatis de judicio Dei. *Chryſoſt. in Mat. 25.* *c. 9. Tertul.*

Qui Antipodas eſſe fatebantur nec non figuram terræ orbicularem, ad unum omnes aſſeruêre ᾅδην eſſe intra terræ viſcera. Hinc Hieronymus: *Infernum ſub terra jam eſſe nemo ambigit.* Et Sanctus Auguſtinus, qui priùs aſſeruerat neminem ſcire in qua Mundi parte ſit ignis Infernalis, eò uſque ſuam revocavit ſententiam, ut in Lib. retract. in hæc erumpat verba: *In re de inferis magis mihi videor docere debuiſſe quòd ſub terris ſint, quàm rationem reddere debuiſſe, cur ſub terris eſſe credantur, ſive dicantur, quaſi ità non ſit.* *In Epiſt. ad Epheſ. c. 4.*

Ex hiſce teſtimoniis conſtat, quamvis Antiqui Chriſtiani de inferno inter ſe diſcordarent; tamen neminem eorum vel ſomno cogitâſſe de tua ſententia quòd Infernus in terris h. e. ſuper terræ ſuperficiem eſſet futurus.

Nomen vocatur plerumque in Scripturis Infernus, Inferi, Græcis ᾅδης, h. e. locus ubi nihil videri poteſt; continétque tam ſepulchrum, quàm locum alium aliquem inferiorem: ſed reproborum locus poſt reſurrectionem quis ſit, ex ſitu ejus non definitur, neque in veteri neque in novo Teſtamento. Indicatur tantùm per nomina hominum, qui in eo loco eſſe ſupponuntur & quaſi miraculoſâ morte à *H.*

Deo devoti. Exempli causâ dicuntur in Inferno & Tartaro esse propter Corah, Dathan & Abiram, vivos à terra absorptos. Non enim voluêre scriptores sacri, ut crederemus, Globum Telluris (qui non modò finitus est, sed etiam Coeli stellarum fixarum altitudini comparatus, insensibilis magnitudinis) puteum habere in se infinitæ profunditatis qualem finxère nomine Tartari Poetæ, sed ut eos ibi esse crederemus, ubi erant illi, qui à terra absorpti esse dicantur. p. 212.

T. Si locus, ubi animæ reproborum mansuræ sunt usque ad resurrectionem, in sacra definiatur pagina, tum etiam ubi post resurrectionem. Idem siquidem locus est antè & ab illo tempore. Animarum hominum vità functorum duo tantùm in sacris literis commemorantur receptacula, Cœlum, & Infernus. Prius nuncupatur Paradisus præ gaudiis ibidem usque & usque vernantibus; Sinus Abrahami, Metaphorâ deductâ vel à parentibus, qui infantes suos in sinu recipiunt, ut ibi repositi suavi quiete fruantur: (Abrahamus est fidelium pater, & Cœlum est æternæ quietis locus:) vel à convivio, ubi Abrahamus primum tenet locum, & Lazarus Abrahami ἐγκόλπιος est, Quemadmodum legimus Joannem in Christi sinu recubuisse. Solenne est Judæis Cœli delicias sub nomine convivii lautissimi repræsentare. Posterius appellatur τόπος τῆς βασάνου Luc. 16. 28. ob cruciatus, quos impii ibi perlaturi sunt. Ad resurrectionem corporis hæ animæ è suis egredientur receptaculis. Quæ in Cœlis, Christum comitabuntur, cùm judicatum venerit mundum cœlesti satellitio stipatus; quæ in Inferno, ᾅδης reddet, Rev. c. 20. v. 13. ut omnes iisdem corporibus, quibus habitaverint, denuò agglutinentur. Hæ animæ, sententiâ decretoriâ pronunciatâ, extemplò remittentur unà cum suis Corporibus ad priora receptacula. Piorum ad Cœlum,

Cœlum, quod nuncupatur regnum paratum à jacto Mundi fundamento, Mat. 25. 34. Impiorum verò ad Infernum, qui appellatur ignis æternus paratus Diabolo, & Angelis ejus, v. 41. Idem itaque est animæ receptaculum ante & post resurrectionem. Regnum Dei est in Paradiso: & ignis æternus in τόπῳ τῆς βασάνου. Hinc Olympiodorus ait, *In quocunque loco deprehendatur homo, cùm moriatur, in eodem gradu atque ordine permanet in æternum.* Et Sanctus Augustinus, *In quo quemque invenerit suus novissimus dies, in hoc eum comprehendet mundi dies novissimus.*

In Eccl. 11. 3.

Epist. 80. Hesychio.

Non ex ea re descensus in Infernum & Tartarum commemoratur; quippe quòd Corah à terra vivus fuerat absorptus. Non constat Corah hoc fatum subiisse; etenim Dathani & Abiramo solis obtigisse dicitur, Deut. 11. 6. Ps. 106. 17. Incendio periit Corah. Num. c. 16. v. 39, 40. 'Assumpsit Eliazar 'Sacerdos thuribula illa ærea, quæ admoverunt ii, qui 'fuerunt exusti, diduxeruntque ea obducenda Altari in 'monimentum filiis Israelis, nè accedat quisquam 'extraneus qui ex semine Aharonis non est ad adolendum suffitum coram Jehova; ut non fit sicut 'Core. Non obscurè innuunt hæc verba Coram fuisse è numero eorum, qui igne exurebantur. Quamvis Num. 26. v. 10. in versione vulgata dictum sit, Et aperiens terra os suum devoravit Core: tamen aliter legendus est textus Hebraicus. In Codice Samaritano hæc sunt verba, Et aperuit terra os suum, absorpsítque eos terra, cùm mortua esset congregatio, & devoravit ignis Core, & ducentos & quinquaginta viros. 2. Non verisimile est pœnam miraculosam Dathanis, & Abirami primam ansam ità loquendi dedisse. Illi ipsi non solùm absorpti perhibentur; verùm etiam descendisse in Infernum. Quemadmodum Enoch & Elias in Cœlum rapti erant vivi; ità

Consule Vossium de statu animæ à Corp. sep. p. 92.

hi in Tartarum detrusi. Apertè innuit hic loquendi modus doctrinam de inferno priùs innotuisse, & non indè suam desumpsisse Originem. Si Judæis fidem adhibeamus, Dies longè antiquior ei ascribendus est. Eorum aliquot asserunt ignem Gehennæ die secundâ ad exordio Mundi creatum fuisse, & ex ea re non esse dictum Gen. 1. ad finem istius diei, *Et vidit Deus, quòd esset bonum.* Ab aliis eorum numeratur Gehenna inter septem res, quas Deum ante mundum conditum fecisse opinantur. Si doctrina de Tartaro suum referret initium miraculosæ Dathanis & Abirami morti; vix ægrè concipi potest, quare vox ταρταρος sive ταρταρώσας nullibi apud LXX Interpretes, & semel tantùm apud novi Testamenti Scriptores occurreret, quibus Dathanis & Abirami immaturus exitus satìs innotuerat: & tamen multoties apud Scriptores profanos, quos non liquet de Sacris Bibliis, nedum de Dathane & Abiramo unquam aliquid inaudivisse. 3. Si ponamus globum terræ puteum habere ubi torquentur impii: non indè necesse est, ut arbitremur eum esse infinitæ profunditatis aut magnitudinis.

Theolog. Judæorum Jo. de voisin. L. 1. c. 5. p. 12. Talm. tract. nedarim. c. 4.

'Quod ad magnitudinem illius cavitatis attinet, '(inquit Lessius) etiamsi diameter ejus solius unius 'Leucæ seu quatuor Milliarium Italicorum, h. e. pe'dum viginti millium, satìs capax esset non solùm ad 'omnia damnatorum corpora excipienda, sed etiam 'ad multitudinem decuplò majorem. Nam etiamsi 'singulis corporibus damnatorum demus sex pedes 'quadratos (qui abunde sufficiunt:) tamen una 'Leuca (i. e. mensura viginti millium pedum) cu'bicata seu cubicè multiplicata capere poterit plus'quam octingenta millia millionum corporum; cùm 'tamen certum videatur, factâ subductione, non futu'ros centies mille milliones. Hæc ille.

De perfec. divin. Lib. 3. de just. & ira Dei. p. 474.

Etiamsi is non sum, cui sit cordi super hac re cum

Pontificiis

Pontificiis curiosiùs inquirere; tamen perquam necessarium duxi hæc paucula apponere ad retundendum Atheismum, cui semper in more est aliquid Mysteriis religionis opponere rationis prætextu velatum.

Rursus, quia homines illi qui tempore Noæ vixerunt, paulò antè diluvium in Scripturis Gigantes dicti (à Græcis fortasse Heroës geniti ut dicunt Poëtæ ex copulatione Deorum & hominum) in diluvio generali deleti erant, locus reproborum à Judæis significabatur per locum Gigantum. Vir qui erraverit à via doctrinæ in Cœtu Gigantum commorabitur, ut Pro. 21. 26. & Job. 26. 5. Ecce Gigantes gemunt sub aquis. Locus reproborum hîc sub aquis esse dicitur, &c. *H.*

Tertiò, quia urbes Sodoma & Gomorra propter impietatem Incolarum igne & sulphure è cœlo consumptæ erant, & regio vicina in lacum bituminis fœtentis conversa, locus reproborum sæpe in Scripturis significatur per ignem & lacum ignis, ut Apoc. 21. 8. &c.

Quartò, à plaga Ægyptiaca Tenebrarum Ex. 10. 23. &c. locus reproborum à Judæis appellabatur Tenebræ exteriores σκότ☉ ἐξώτερον.

Postremò, quoniam locus quidam erat prope Jerusalem, qui appellabatur vallis filiorum Hinnon, in cujus parte dictâ *Tophet* sacrificaverunt Israelitæ Idolo Molech: ubi etiam Deus hostes eorum perdiderat, & ubi etiam Josias sacerdotes Molech super ipsorum Altaria combusserat, (ut legitur 2 Reg. 23.) locus ille à Judæis pro loco, ubi cruciandi erant hostes Dei, appellatus est Gehenna; & propter ignes illic perpetuò ardentes (nimirum tollendi causâ fœtorem perpetuum rerum putridarum istuc projectarum) ignis perpetuus.

Quoniam nemo hodie est, qui Scripturas ità interpre-

terpretatur quasi reprobi in æternum cruciandi essent in valle Hinnon, aut quasi sub aquas aut in Tartaro detrudendi, aut quasi moturi se non essent præ tenebris; sequitur, ut puto, necessariò, quæ dicuntur de loco reproborum dicta esse Metaphoricè, ac proinde sensum verborum circa locum illum & cruciatus illos propriorem quærendum esse. p. 212, 213.

T. Hæc omnia Mathematicam, quam passim jactitas, ἀκρίβειαν, & certitudinem nequaquam resipiunt. Primò enim non liquet Locum reproborum significari Pro. 21. 16. Job. 26. 5. per locum Gigantum diluvio deletorum. Vox hisce in locis est הרפאים, & nunquam de hominibus in vivis ante diluvium usurpatur. Gigantes, qui eo vixerunt seculo, נפלים & גברים nuncupantur. רפאים prima facta est mentio Gen. 14. 5. Derivari videtur à רפא sanare. Verisimile est primos post diluvium animarum sanatores & veræ restauratores pietatis hoc nomine insignitos fuisse, non præ corporis magnitudine; verùm altissimæ sapientiæ & virtutis præcellentiâ: & in hoc sensu accommodetur ad loca, quæ præ manibus habemus. Homo aberrans (inquit Parœmiographus) à via intelligentiæ in Cœtu הרפאים quiescet, h.e. in scholis Sanatorum & Doctorum animæ, ubi errorem suum deponere & viam intelligentiæ perdiscere instituatur. Haud facile creditu est, verba ità esse vertenda, *in Inferno quiescet*: cùm in Inferno nulla sit quies, sed perennis vexatio & cruciatus. Eodem etiam sensu vox accipi potest Job. 26. In Capite priore Bildad divinæ majestatis & humani reatûs Jobum admonuerat. In hujusce capitis quatuor primis versibus Bildadis arrogantiæ ironicè illudit; eò quòd putaret illum tali monitore indiguisse. Ut autem majoris in divinis peritiæ exhibeat specimen, versibus sequentibus divinæ majestatis explicationem concinnat, eâ à Bildade compositâ longè illustriorem, quam ab hisce verbis exorditur. רפאים

Consule Bolduc. de Eccl. ante legem, c. 10. p. 60.

Sub

Sub aquis gemunt, & qui habitant cum eis, h. e. Doctores & sanatores ignorantiæ unà cum suis discipulis, quales Bildad, Eliphaz, & Zophar se esse jactitabant, in salebris & aqua hærent: & præ suæ imbecillitatis sensu gemitus & suspiria emittunt, cùm suâ inflectant studia ad aperiendum & mente capiendum, quæ de Majestate divina esset dicturus. Quinetiam, si tibi indulgeamus, locis laudatis רפאים Gigantes sive mortuos significare, non ex ea re sequetur, eos dici sub aqua gemere quippe diluvio obruti & deleti fuerant. Ex eorum sententia qui mundum ad Tentorii figuram conditum opinabantur, Tartarus sub aquis collocatur. Spiritus Sanctus ad aquas illas aquè bene alludat, atque ad diluvium. Vulgi ad opinionem stylus sacer multoties accommodatur.

Deinde, non constat locum reproborum significari per ignem, ex ea re solùm, quòd urbes Sodoma & Gomorrha igne essent consumptæ. Nullibi disertis verbis dicitur, ex divina in Civitates illas vindicta hunc loquendi modum derivatum fuisse. Asserunt Judæi in Gehenna damnatos aquâ & igne torqueri; ex aqua manâsse diluvium, cùm perruptæ essent omnes תהום רבה Abyssi magnæ scaturigines; ex igne, imbrem ignis & sulphuris qui Sodomam & Gomorrham pessundabat. Non verisimile est prolem parenti aut rivulum fonti nomen indidisse. Quinetiam Ethnici, quibus non constat excidium Sodomæ & Gomorrhæ unquam fuisse auditum, ad morem Sacrorum Bibliorum Tartarum delineant: quandoquidem in eo depingunt lacum sive fluvium intensissimi ardoris. πυριφλεγέθων θερμότατος dicitur, uti constat ex Suida in voc. Ἠλύσιον. Hinc Silius Italicus,

Zohar. p. 281.

Belli Pun. l. 13.

——Latè exundantibus urit
Ripas sævus aquis Phlegethon, & turbine anhelo
Flammarum resonans saxosa incendia torquet.

Incerti-

Incertitudine pariter laboras, cùm asseras reproborum locum appellari tenebras exteriores à plaga *Ægyptiaca.* Quandoquidem plaga illa nunquam, quod scio, nuncupatur σκότος ἐξώτερον, sed σκότος ψηλαφητὸν caligo palpabilis, Ex. 10. 21. Non dubitandum est, quin voces ipsas retinuissent novi Testamenti Scriptores, si indè solùm inducti fuissent ad tribuendum Inferno tenebras.

Perinde precariò agis, cùm asseras ignem infernalem dici æternum propter ignem perpetuum in valle Hinnom ardentem. Ignis ille in valle Hinnom non erat accensus ante Josiæ tempora: verùm invaluit iste loquendi modus, regnantibus Jothamo, Achazo, Hezechiâ, utì liquet ex Esaia, qui, regibus hisce ad clavum sedentibus, vaticinia sua fundebat. In Capite novissimo ad finem hæc occurrunt verba; *Vermis eorum non morietur, & ignis eorum non extinguetur.* Palàm est quàm dubia & ambigua sint hæc verba. Vix decent hominem, qui nihil præter demonstrationes expuit. Quomodocunque res se habeat, si concedamus tibi Infernum appellari cœtum Gigantum à Gigantibus diluvio deletis; lacum ignis à Sodoma & Gomorra, σκότος ἐξώτερον à plaga Ægyptiaca, ignem æternum ab igne perpetuò ardente in valle Hinnom, & etiam (quoniam opinandum non est, reprobos in æternum cruciandos esse in valle Hinnom, aut sub aquas detrudendos, aut se præ tenebris non moturos) sensum propriorem de loco & cruciatibus Inferni esse quærendum; tamen nondum capio, quid hoc ad propositum tuum sit collaturum, cui in animo est Inferni ignem prorsus extinguere, & damnatorum statum facere perinde tolerabilem atque est hæc præsens conditio, ubi ambiguis fortunæ fluctibus quisque quotidie objicitur. Lubenti animo concedo propriorem sensum esse quærendum, qui hujusmodi mihi esse videtur. In inferno igne revera excruciabuntur

damnati

damnati ad instar sacerdotum in valle Hinnom, gement instar Gigantum aquis obrutorum, tenebris erunt involuti instar Ægyptiorum. Cùm voces nativâ exutæ sint significatione, & ad alienam deflectantur, id fit ob similitudinem; verùm hâc jam propositâ accommodatior nequit excogitari. Præ hac congruentia Sodoma & Gomorra dicuntur πυρὸς αἰωνίου δίκην ὑπέχουσι, instar vel similitudinem ignis sustinere. Jud. 7. Si tibi displiceat hic sensus, propriorem proponas, & verborum indoli magis consentaneum, quantùm ad tortores aut cruciatus.

Quod attinet ad Tortores, naturam & proprietates eorum propriè traditas habemus, in nominibus Satan, Diabolus & Abaddon. Quæ nomina Satan, Diabolus, Abaddon, personam individuam nullam (ut nomina sunt propria) designant; sed officium vel qualitatem aliquam, & propriè sunt appellativa. Sumpta enim pro propriis imperitos fallunt: faciúntque ut Spectra & Dæmonas totidem esse putent, quales adorabant Gentes. Quoniam autem verba illa significant hostem, accusatorem & exterminatorem, intelligenda sunt de hoste Ecclesiæ dei. Si ergo Regnum Dei post resurrectionem futurum sit in terra, etiam hostes & regnum eorum in terra esse debent. Quando enim regnum Dei in Israelitis erat, regna Dei vicina pro regnis Satanæ habebantur. *H.*

Cruciatus Inferni significantur interdum per fletum & stridorem dentium, ut Mat. 8. 12. Interdum per vermen Conscientiæ, ut If. 66. 24. Mar. 9. 44. 48. Interdum per ignem inextinguibilem, interdum per opprobrium, ut Dan. 12. 2. Quæ loca omnia dolorem significant Metaphoricè ab eo oriundum, quòd felicitatem illam æternam ab aliis acquisitam esse vident, quam ipsi per incredulitatem & contumaciam suam perdiderunt. Cùm autem felicitati aliorum non invideatur, nisi ab illis qui dolores & calamitates,

pati-

patiuntur; consequens est, ut pœnas luant corporales, inter quas numeranda etiam est mors secunda. p.213, 214.

T. Hæc verba propriorem illum, cujus mentionem suprà feceris, sensum repræsentant. An sit eo, quem protulerim, commodior, jam experiendum est. Ad hæc Capita tua reduci potest sententia. 1. Regnum Cœleste in terra Canaan post resurrectionem futurum est, ubi Proregis partes egerit Christus instar Sacerdotum in regno Theocratico usque ad Saulis Tempora. 2. Inter vicinas Gentes erit Regnum Satanæ & Infernus, ubi singuli statu fruentur ei non dispari, in quo positæ fuêre Gentes, cùm Sacerdotes ad clavum sederent. Quando enim Regnum Dei in Israelitis erat, regna Gentium vicina pro regnis Satanæ habebantur. 3. Cruciatus infernalis, quem subibunt, est dolor ab eo oriundus, quòd felicitatem illam æternam ab aliis comparatam esse viderint, quam ipsi per incredulitatem & contumaciam suam perdiderunt: Deinde calamitates corporales, sc. morbi cæteræque miseriæ vitam humanam comitantes; & tandem mors secunda.

Ex hisce constat, te hominibus in Inferno statum tribuere non deteriorem eo, quo fruebantur Gentes vicinæ, cùm apud Israelitas obtineret seculo Sacerdotum Theocraticum Imperium.

Ad omnes provoco, qui rationi non penitùs valedixerint, num verisimile sit, nihil aliud significari, per gemitus Gigantum sub aquis, stagnum ardens igne & sulphure, ignem perpetuum in valle Hinnom? Uxores ducebant Gentes illæ, in bello sæpenumerò victoriam reportabant, necnon agebant triumphos, & ad voluntatem aliquoties fluebant omnia. Num hoc est sub aquis gemere, in stagno sulphuris ardere, in Gehenna pœnas gravissimas luere? Appello omnes, utrùm doctrina Ecclesiæ de Inferno non sit huic loquendi

quendi modo longè congruentior, quàm ſenſus à te propoſitus. Admirationem mereretur, ſi gemere ſub aquis nihil aliud innueret præterquam vitam ducere in deſerto terræ Iſraeliticæ vicino, ubi raræ aut nullæ ſunt aquæ; In ſtagno ſulphuris ardere, quàm frigidiſſimum aërem ducere, qui ibidem liberè fluit; In valle Hinnom pœnas dare, quàm in montibus Moabitarum vitam trahere ab omni immunem calamitate, præter eam, cui ſorte humanâ quotidie objicimur. Gratis dictum eſt nomina [*Satan, Diabolus, Abaddon*] nullam perſonam individuam deſignare; ſed officium vel qualitatem. Quandoquidem articulus ſolenne perſonæ indicium eis præfigitur ὁ *σατανᾶς*, ὁ *διάβολος*. Dein voces ipſæ concretæ ſunt. Itaque ſi qualitatem ſive officium denotent, ſignificent pariter neceſſe eſt ipſam perſonam, cui officium competit. Perinde abſonum eſt, quod adjicis acſi fletus, ſtridor dentium, vermis conſcientiæ, ignis inextinguibilis, nihil ſignificarent præter dolorem metaphoricè, & mors ſecunda tandem huic dolori periodum eſſet impoſitura. Etenim diſertis dicitur verbis vermem nunquam moriturum, nec ignem extinctum iri. Pro indole tua Infernum convertis in Metaphoram. Cavendum eſt tibi ab hac Metaphora; Si quemadmodum vox, ità perſona tua ad hunc locum eſſet tranſlata, mœſtiſſimum tropum ſubires.

Dogma

Dogma XXVI.

Punitio Reproborum non est æterna, c. 38. p. 214. App. c. 3. p. 363.

H. QUanquam enim Scriptura Sacra resurrectionem affirmat, quòd tamen reprobis vita æterna promissa sit, nusquam legimus, &c. Scio Metaphoricè dici posse mortem vitam illam, quam comitantur perpetuæ calamitates & miseriæ, sed mors secunda dici non potest. Ignis paratus hominibus perpetuus esse potest, nimirum pœna illa post resurrectionem, qualiscunque sit, vocari inextinguibilis, atqui indè inferri non potest quòd illi qui in ignem illum conjicientur, in eo in æternum ardebunt aut cruciabuntur, nec tamen consumentur. Contrarium dicitur Apoc. 20. v. 13, 14. Et dedit mare mortuos, qui erant in eo, & mors & Infernus dederunt mortuos qui in ipsis erant, & judicabuntur unusquisque secundùm opera eorum, & mors & Infernus conjecti sunt in stagnum ignis, & hæc est mors secunda. c. 38. p. 214.

T. 1. Hæc tua sententia apertè sacris adversatur literis quæ palàm de facto statuunt, Mat. 25. v. 46. Ibunt hi in supplicium æternum, justi autem in vitam æternam. τὸ *æternum* non hîc pro longo temporis decursu accipitur, sed æternitatem propriè sic dictam denotat. Nam punitio maledictorum erit æterna eodem sensu quo vita justorum, utì oppositio liquidissimè ostendit; at horum vita in sensu proprio est æterna; ergo idem judicium de illorum supplicio ferendum est.

2. Quinetiam impugnat pariter Rationem, quæ de jure statuit: Jus *in proportione inter meritum & de-*

bitum

bitum consistit. Utamur rationis trutinâ. In unam lancem mittamus meritum peccati, in alteram debitum pœnæ, & pertentemus, utrum degravaverit alterum. Omne peccatum est finitum & infinitum. Finitum est intrinsecè, sive entitatem actûs peccaminosi spectemus, (à finito enim agente provenire nequit actus infinitus) sive privationem actui appensam. Ea enim est carentia finitæ conformitatis cum præcepto. Infinitum est extrinsecè, sive respiciamus objectum, sc. infinitum Numen, cujus majestas læsa est: sive durationem maculæ, quæ in infinitum durabit, quantum attinet peccantem, qui suis ipsius viribus eam nunquam eluere potuerit. Quemadmodum peccatum, ità supplicium æternum est finitum & infinitum. Finitum est intrinsecè quoad mœrorem, qui damnatos ob jacturam æternæ beatitudinis solicitat; atque etiam quoad dolorem, quem ignis Infernalis infert. Res finita infinitorum dolorum incapax est. Infinitum est extrinsecè, sive spectemus objectum, sc. bonum infinitum, cujus fruitione improbi privantur; sive carentiam termini, ad quem nunquam adducetur.

Supplicium intrinsecè finitum satis proportionatum est peccato intrinsecè finito. Pœna extrinsecè infinita culpæ utroque modo perinde infinitæ. Etenim nulla se prodit inæqualitas. Peccatum quà finitum, utpote contra legem æquissimam à persona maximis beneficiis legislatori obstrictâ patratum, dolores in genere finito intensissimos meretur. Peccatum quà infinitum minus mereri nequit quàm pœnam infinitam. In infinito enim nulli sunt gradus.

Si tibi visum fuerit maculam peccati pensitare, constabit eam perinde æternam fore atque supplicium. Tria sunt quæ ejus complent Essentiam. 1. Respectus ad actum præteritum. Perduellionis actum commisisse, labes non mediocris est. 2. Privatio gratiæ

gratiæ divinæ, cujus præsentia animæ nitorem conciliat. 3. Habitualis aversio ab ipso Deo. Turpe enim est à summo bono averti. Hæc omnia in æternum duratura sunt, quantum attinet ad peccantem, cui satis virium citra gratiam (quam Deus largiri non tenetur) ad ea removenda non suppetit. In Inferno remanebit respectus ad actus peccati in hac vita patratos; privatio etiam gratiæ, quam actus illi expulerunt; denique aversio habitualis ab ipso Deo. Quemadmodum, qui à sole se avertit, (uti notat *L.2. c.17.* Bellarminus) manet aversus in tenebris, donec ad solem se iterum convertat; ità qui per peccatum à Deo avertitur in hac vita, non solùm dum peccat, sed postquam peccaverit, manet à Deo aversus, donec ad Deum convertatur, per pœnitentiæ gratiam, in cujus potiundæ spem nemo venit apud Inferos. Non iniquum est in peccantem animadvertere, quamdiu in peccato manserit commaculatus. E macula obligatio ad pœnas luendas necessariò emergit. Idcirco si macula æterna animæ inuratur: non injustum est in infligendo supplicio usquequaque perseverare.

3. Impugnat sensum Catholicæ Ecclesiæ. Nihil ferè est, quod tantopere decantatur apud Patres atque æternitas mercedis in Cœlo, supplicii in Inferno: nec immeritò, cùm dogma contrarium veræ pietatis nervos incidat, & omni improbitati latam fenestram aperiat. Non inviti concedimus improbos mortem secundam passuros: sed unde tibi constat mortem secundam statum innuere, in quo nullus sensus futurus est? Miserrima vita, quam improbi in Inferno acturi sunt, mors nuncupatur opposite ad vitam, quâ beati in Cœlis fruuntur. Quemadmodum non vivere, sed bene vivere vita est; ità miserè vivere non inconcinniter mortis nomine appellatur. Non diffiteris vitam, quam perpetuæ calamitates comitantur, mortem dici posse, sed non

secundam;

ſecundam : Sed in memoriam revoces oportet, non agi de vita miſera in genere, ſed in ſtatu futuro ; & hæc citra ſolœciſmum mors ſecunda nuncupatur. Mors prima eſt vita calamitoſa in præſenti hoc ſtatu, quæ incepit eo ipſo die, quo Adamus fructum vetitum deguſtabat. *Quocunque die comederis morte morieris*, Gen. 3. 17. Adamus mortuus eſt, quamprimum deliquerat, non morte naturali, ſed miſeriarum morte, quibus peccatum illum obnoxium reddiderat. Hinc Oecumenius de vita præſenti pronunciat εἰκόνα μᾶλλον θανάτου ἢ ζωῆς ἔχει. Incipimus mori, (inquit Comes Mirandulanus) cùm primùm incipimus vivere.

In Epiſt. ad Coloſ. c.8. p.137.

De Ente & Bono.

Si vita calamitoſa in hoc præſenti ſtatu ſit mors prima, non incongruè vita deploratiſſima & omnibus partibus miſerrima in ſeculo futuro mors ſecunda nuncupetur. Ex hac re hoc nomen ei inditum eſt ab Antiquis Hebræis, utì conſtat ex paraphraſi Chaldaica in Deut. 33. 6. Eſa. 22. 14. ubi commemoratur מותא תנינא mors ſecunda, quam Kimchi exponit מיתת הנפש בעולם הבוא mortem animæ in ſeculo futuro. Hinc Apoc. c. 2. v. 11. c. 20. v. 6, 14. c. 21. v. 8. hunc loquendi modum populo Dei Antiquo perquam familiarem imitatur. Cùm aſſeras ignem impiis paratum perpetuum eſſe poſſe, & tamen non inde ſequi, quòd illi qui in ignem illum conjicientur in æternum ardebunt nec tamen conſumentur ; hoc tibi (utì ex tuis ipſius verbis patet) in animo eſt, ſc. impios, poſtquam ad præſcriptum aliquod tempus cruciatus pertulerint, conſumptum iri, & alios in eorum locum ſuccenturiatos fore ; ità ut quamvis ignis æternus ſit, tamen perſonæ in æternum non ſint in eo permanſuræ, niſi per ſucceſſionem. Sed memoriâ repetas oportet, ſicut punitio æterna Mat. 25. 40. opponitur vitæ æternæ ; ità improbi qui abibunt ad ſupplicium æternum, opponuntur

 juſtis,

justis, qui ad vitam æternam abituri sunt. Atque adeò sicut unus idémque justus vitâ æternâ potitur; ità idem improbus cruciabitur in æternum. Indè est, quòd perpetuitatis nota non unicè ad locum aut instrumentum refertur, quo torquentur Impii; verùm etiam ad ipsos cruciatus, quibus singuli afficiendi sunt. De iisdem enim personis dicitur, quòd βασανισθήσονται torquebuntur die & nocte in seculo, Apoc. 20. v. 10. Contrarium nequaquam colligendum est ex v. 14. cùm dicitur quòd θάνατος καὶ ᾅδης *Mors & Infernus conjecti sunt in stagnum ignis.* Perinde est ac si assereretur die judicii nullas pœnas esse futuras, quas improbi aut in morte aut in sepulchro luituri sunt, sed jam quicquid pœnarum peccato debetur, in stagno ignis persolvendum est.

H. Mihi nimis durum videtur de Deo dicere (qui pater est misericordiarum, qui facit in Cœlo & terra quicquid vult, in cujus manibus sunt corda hominum omnium, qui operatur in omnibus tum facere tum velle, sine cujus gratia libera nemo habet neque inclinationem ad bonum neque resipiscentiam à malo) quòd peccata hominum cruciatibus externis majoribus, quàm quisquam imaginari poterit, & sine fine temporis punire velit. c. 44. p. 300.

T. Nihil tibi nimis durum videri debet, quod de Deo in sacris oraculis dictum est. Consilia divina non ad amussim rationis humanæ exigenda sunt. Deus est pater misericordiæ, verùm etiam est pater justitiæ. Non fas est ei tantum misericordiæ tribuere, quantum justitiam delebit. Facit in Cœlo & terra pro libitu suo, sed nihil iniquum illi cordi est. In manu ejus sunt corda hominum, verùm etiam eò usque in suis ipsorum manibus, ut liberè agant. Operatur in hominibus tum facere tum

velle

velle bonum, ſed non facere & velle quod nefas eſt. Quamvis citra gratiam nulla ſit pronitas ad bonum aut reſipiſcentia à malo; tamen nemini denegatur hæc gratia, niſi priùs in Adamo eâ ſpoliari meruerit. Quæ à te allegata poteſtatem liberè agendi homini adimunt, vel integram & ſalvam relinquunt. Si adimant, contra minimos cruciatus perinde militant, atque maximos, contra temporales æquè ac æternos; nam injuſtum eſt vel tantillum punire, ubi delictum inevitabile eſt. Si ſalvam relinquant, non licet querimonias habere de cruciatu, quamvis in æternum perennaverit. Peccata pleniſſimâ voluntate commiſſa, contra maximum bonum, cui tum jure creationis tum redemptionis ſumus devincti, maximum ſupplicium merentur. Si miſericordia divina non patitur, ut in æternum irrogetur, ſed tantùm pro aliquo tempore; definias oportet illud tempus. Ubicunque terminum figis, eâdem ratione, quâ ad ſtandum eò loci inductus es, nullo negotio commonſtrare poſſumus miſericordiam ultrà pati poſſe; & ſi ultrà, quare non in æternum, ſi culpa tamdiu permanſerit?

Dogma XXVII.

Jerusalem erit locus Salvationis fidelium in regno Cœlesti, c. 38. p. 215.

H. Videamus de hac re, quid dicant Scripturæ Sacræ. Isaias 33. v. 20, 21, 22, 23, 24. Respice Zion, Civitatem solennitatis nostræ; oculi tui videbunt Jerusalem habitationem opulentam, tabernaculum quod nequaquam transferri poterit, &c. Quibus verbis designatur, primò, locus salutis Jerusalem habitatio opulenta. Secundò, tabernaculum, quod transferri non poterit. Tertiò, salvator quis sit, dominus Judex noster, Legifer noster, Rex noster, &c.

Quibus verbis perspicuum videtur esse, salvationem in terra tunc futuram esse, quando regnabit Deus in adventu Christi in Jerusalem, & à Jerusalem procedere debere salutem Gentium. Id quod apertiùs declaratur ab eodem propheta c. 66. 20, 21. Et adducent omnes patres vestros de cunctis Gentibus domum Domini in equis & in quadrigis & in lecticis & in mulis & in carrucis ad montem sanctum meum Jerusalem, &c. Intelligi hinc potest Civitatis Cœlestis arcem, unde salus Gentibus derivanda sit, futuram esse in terra, urbem Jerusalem. p. 215, 216.

T. Ut Spiritûs Sancti mentem in his aliisque id genus locis teneamus, præmittendum est, Hierusalem dupliciter sumi in sacris literis, propriè, vel mysticé.

Propriè, vel pro urbe eo nomine nota in terra Canaan, vel pro civitate in illa urbe, vel pro visione pacis

pacis juxta Etymologiam. Mysticè tripliciter itidem sumitur. Pro urbe supercœlesti, ubi sancti beatificâ visione fruituri sunt; pro Ecclesia, quæ habitabit in illa urbe; pro fœdere Evangelico, ubi conspiciendæ sunt conditiones pacis cum Deo ineundæ, priusquam illius civitatis membra constitui possimus.

Primus significatus videndus est Heb. 12. 23. Accessistis (inquit Apostolus) ad Cœlestem Jerusalem: h. e. animo præsentem habetis locum illum supercœlestem Evangelio in lucem prolatum. Jerusalem hoc in loco non οὐράνιος verùm ἐπουράνιος dicitur, ad indigitandum hunc locum esse supra Cœlum nubiferum aut astriferum.

Secundus significatus occurrit Apoc. 21. 2. Vidi civitatem sanctam novam Jerusalem descendentem de Cœlo Deo paratam, sicut sponsam. Ecclesia est Christi sponsa. De cœlo perhibetur descendere, utpote constituta eâ gratiâ, quæ cœlitus data est.

Tertius Gal. 4. v. 26. fœdus novum dicitur ἡ ἄνω Ἱερουσαλὴμ ἄνω sicut Phil. 3. v. 14. pro ἄνωθεν ponitur. Jerusalem sive visio pacis, h. e. qua lege cum Deo pacem inire & in ejus favorem restitui possimus, in fœdere Evangelico omnibus in conspectum datur.

Hisce prælibatis, citra negotium occurritur singulis à te prolatis ad evincendum Jerusalem terrestrem locum fore salvationis in regno Cœlesti. τὸ πρῶτον ψεῦδος est, quòd ubicunque in sacra pagina commemoratur Jerusalem, eam non mysticè sed propriè, nempe pro urbe terrestri in terra Canaan, sumendam arbitreris.

Quod ad textum attinet à c. 33. Esaiæ desumptum, nequaquam mihi videtur indè probari posse, Jerusalem esse locum, ubi fideles æternâ salute fruituri sunt. Vaticinatur enim Propheta non de statu Ecclesiæ post resurrectionem (nè hilum occurrit, quod in

in hunc sensum trahi aut detorqueri possit ;) verùm de liberatione populi Iraelitici à Sennacherib Assyriorum rege. Hoc facilè constabit, si perpendatur prophetiæ series. In commate primo vates Sennacherib alloquitur, & illum insimulat perfidiæ, eò quòd Ezechiam bello vexare non desisteret, quamvis illius dona accepisset missa pacis ineundæ causâ; & insuper prædicit illum brevì spoliatum iri. In commate tertio præsagire videtur exercitûs illius inauspicatum exitum, qui 2 Chron. 32. 20, 21. memoratur. Et in commate 17. ei spondet, qui ad justitiæ amussim gressus suos dirigit, quòd (atque equidem Sennacherib jactationes & minas fundente) Regem Ezechiam in pulchritudine videret. Quinetiam in commate 20. pollicetur Sionem caulam tranquillam fore, necnon tentorium quod non dissipabitur ad instar tabernaculi in deserto cùm à Levitis portaretur. Ostendit insuper hanc prosperitatem à Deo ipso oriundam, qui manu miraculosâ exercitum Assyriacum funderet, & Jerusalem adversùs hostilem muniret impetum. Magnificus (inquit) Jehova erit nobis loco fluviorum. h. e. Sicut Mesopotamia fluviis Euphrate & Tygri munita est, & Ægyptus Nilo in omnes partes diducto: ità Jerusalem, ubi talia desiderantur munimenta, Deus ipse erit loco fluviorum, & speciali suâ præsentiâ eam adversùs Sennacherib tutabitur. Nam Deus (inquit) Judex noster est, h. e. pro more Judicum divinitùs excitatorum nos ab oppressione Sennacherib liberabit. Legislator noster, qui modo peculiari aliis gentibus non communi præcepta & mandata nobis præscripsit. Rex noster, qui ad clavum sedebit, & non Sennacherib, cujus Tyrannidem metuimus.

Quid obsecro conferunt hæc omnia ad probandum Jerusalem esse locum salvationis fidelium post resurrectionem?

rectionem? Non celabo quòd aliquibus placeat anagoge ab Ezechia ad Christum, à Sione ad Ecclesiam militantem, quasi prosperitas prædicta Ezechiæ typicè obtigisset, & in Christo & Ecclesia Christiana, sub Evangelio consummaretur: verùm nemini, quod scio, præter te unicum, ad Christum & Ecclesiam post resurrectionem in regno Cœlesti triumphantem.

Quod spectat ad locum proximum in capite 66. v. 20, 21. perinde ἀπροσδιόνυσος mihi videtur. Impletum enim fuit illud vaticinium inchoativè in reditu Israelitarum è Babylone, & reliquis locis, quò ducti fuerant Captivi: Consummativè verò in conversione Gentium per Apostolos cæterósque Evangelii præcones, qui missi ad extimas Mundi partes novum populum ex omnibus Gentibus collectum secum adduxerunt ad montem sanctum Jerusalem, h. e. Ecclesiam Christianam. Jerusalem, utpote Ecclesiæ typus, pro Antitypo ponitur, juxta solennem sacrorum Scriptorum consuetudinem.

Idem etiam confirmari videtur à servatore nostro in colloquio cum muliere Samaritana circa locum divini cultûs futuri, Joh. 4. 22. ubi mulieri dicit Christus, Salvationem esse ex Judæis, id est Salvatorem non à Samaria futurum esse, sed à Judæa; cui respondens dicit mulier, Scimus venturum esse Messiam; Quid ergo dicit Christus salvationem esse ex Judæis? Idem est quod dicit Paulus Rom. 1. 16. Non enim erubesco Evangelium; virtus enim Dei est omni credenti, Judæo primùm, & Græco. Justitia enim in eo revelatur ex fide in fidem, id est, ex fide Judæi in fidem Græci. p. 216. H.

Plurimùm mihi videris à scopo aberrare, cùm asseras hæc verba, *Salus est ex Judæis*, Joh. 4. 22. idem sonare quod Salvator est ex Judæa. Per salvationem hoc in loco intelligamus oportet non Servatorem; verùm doctrinam salutarem, cujus ope innotescit ge- T.

 nuinum

nuinum cultûs divini objectum. Asserit enim Christus Judæos revera scire, quod adorant, quippe quòd salus, h. e. salutaris doctrina, quâ quid colendum sit docemur, ex Judæis est, sc. populo fœderato, apud quem salutis doctrinam deposuit Deus, ut indè ad omnes Gentes manaret. Verisimile est Christum allusisse ad id quod prædictum fuerat à Prophetis, sc. legem à Sione prodituram & verbum Domini ab Hierosolymis. Si Christus idem asserat hoc in loco, quod Sanctus Paulus Rom. 1. 16. tamen neuter eorum quod tuæ opinioni faveat. Malè concipis, cùm interpreteris *ex fide in fidem*, ex fide Judæi in fidem Græci. *Fides* hîc construi non debet cum verbo *revelatur*; verùm cùm Justitia Dei, ità ut hic sit sensus: Justitia Dei, quæ non est ex naturæ aut legis operibus, verùm ex fide in fidem, h. e. ex fide promovente & subinde augescente, revelatur in Evangelio. Apprimè convenit hæc explicatio instituto Apostoli, qui indè colligit justum ex fide vivere. Nec refragatur phrasis ipsa. Quemadmodum enim de virtute in virtutem Ps. 84. innuit virtutem continuatam & incrementa capientem: ità etiam ex fide in fidem, fidem augescentem. Citra talem fidem nemini profutura est Dei justitia.

H. Eodem sensu Propheta Joel describens diem Judicii c. 2. v. 30, 31, &c. In monte Sion & Jerusalem erit salvatio, sicut dixit Dominus. Et Obadiah v. 17. In monte Sion erit salvatio, &c. concluditque his verbis, Et Domino erit regnum. p. 216.

T. Non liquet Joëlem loco laudato diem Judicii delineare; verùm potius excidium Hierosolymitanum. In versibus enim præcedentibus declarat Deus, quæ bona collaturus esset in fideles temporibus Messiæ. Effundam, inquit, Spiritum meum. Prophetabunt filii & filiæ vestræ, &c. Quod impletum legimus Act. 2. die Pentecostes. Declarat, quid postea brevi accideret

ret Judæis infidelibus & pertinacissimis; Illis, inquit, expectandus est dies magnus & horribilis, quo suam pervicaciam luituri sunt. Hoc impletum fuit in deploratissima Civitatis perditione per Vespasianum, Tito bellum administrante, quam non pauca in Coelo prodigia prænunciaverant, uti testatur Josephus. In Monte Sion & Jerusalem tunc temporis erat salvatio. Quandoquidem Christiani Hierosolymis agentes paulò ante obsidionem urbis voce coelitùs datâ fuêre admoniti Pellam adire, & hoc pacto commune discrimen & calamitatem evaserunt. Hæc verba, *sicut dixit Dominus*, librum Deuteronomii respiciunt, ubi à Domino prædicta sunt hæc omnia.

Quod spectat ad Obadiæ prophetiam, notandum est eam ex tribus membris constare, denunciatione belli fatalis adversùs Idumæos usquè ad v. 10. demonstratione causæ hujusce belli usque ad v. 17. promissione consolatoriâ, quæ ostendit in Monte Sion omnes salvos & extra teli jactum positos fore usque ad v. 21. Impletum fuit hoc vaticinium quantùm ad primam partem, cùm ab Assyriis bello vastaretur Idumæa. Quantùm ad novissimam, cùm Sennacherib exercitus, obsidione premens Hierosolymam, cœlitùs expugnaretur, ibique ab hoste illo tremendo tuti conservarentur è vicinis multi. Dein, cùm Israelitæ exules è captivitate redirent & pristinas suas recuperarent possessiones. Denique, cùm salvator sanguine suo Hierosolymis fuso æternam salutem mercaretur, & Apostoli è Monte Sion prodeuntes, tanquam salvatores subordinati, hanc undique annunciarent salutem; necnon Idumæos reliquósque impios suo condemnarent verbo, & regnum Christi circum circà per totum orbem propagarent.

Dogma

Dogma XXVIII.

Ecclesia est res eadem cum Civitate. Regimen Temporale & Spirituale verba sunt inania, c. 39. p. 218.

H. Ecclesia Christiana est Cœtus hominum religionem profitentium, unitorum in persona una summam habente potestatem, cujus jussu convenire debent, & cujus injussu convenire non debent. Quoniam autem in omni Civitate conventiones illæ, quæ sine autoritate habentur Imperantis summi, illegitimæ sunt; etiam Ecclesia illa quæ habetur in illa Civitate, quæ conventiones tales lege vetuit, illegitima est, &c.

Ecclesia ergo, cui potestas est judicandi, &c. eadem res est cum Civitate. Et Civitas ideo quidem est, quia cives sunt homines; Ecclesia, quia cives sunt Christiani. Quare regimen temporale & spirituale verba sunt inania, introducta eo fine, ut propter duos status apparentes minus cognoscerent homines, utri eorum obedientiam præstarent, &c.

Unus denique Rector tum spiritualis tum temporalis esse debet, aut utraque simul potestas interibit; nimirum per contentiones inter Ecclesiam & Civitatem, inter Spiritualistas & Temporalistas, inter gladium justitiæ & scutum fidei, & quod majus est, in uniuscujusque Christiani pectore inter Christianum & hominem. c. 39. p. 218, 219.

T. Cùm Regimen Temporale & Spirituale asseras esse verba inania, & eo fine fuisse introducta, ut propter duos status minùs cognoscerent homines, utri eorum obedientiam præstarent; Christum & Apostolos non levi oneras calumniâ. Ex novo enim Testamento

Testamento liquidò constat regimen Spirituale à Temporali divisum apud Christi sequaces viguisse. Imperator Romanus jam tum principatum obtinuit, & tamen in rebus ad religionem spectantibus aliud Regimen ab imperio Romano longè dissitum vivis coloribus depingitur.

1. Hoc in genere demonstratum dabo: 2. Digitum intendam ad regiminis speciem.

1. In genere. 1. Commemoratur ipsum nomen κυβέρνησις. 2. Personæ quæ præerant προϊστάμενοι, προεστῶτες, ἡγούμενοι, singulæ voces jurisdictionem resipiunt. 3. Leges. Cùm regimen Ecclesiasticum penes esset Apostolos, in celebri eorum conventu lis, quæ Ecclesiæ plurimum negotii facesserat, ad examen revocatur, & tandem sancitur δόγμα. In novo passim Testamento δόγμα legem sive decretum significat. Hæc lex non autoritate Apostolicâ extraordinariâ lata fuit, verùm ordinariâ. Christiani hac in re in exemplum trahebant ordinaria apud Judæos judicia. Controversia, quæ in minori concessu decidi non potuerit, siquando emerserat, ad concessum Hierosolymis habitum deferri solebat. Hujus praxeos vestigiis insistunt discipuli Antiochenses. Si autoritas hujusce synodi fuisset pura puta Apostolica & extraordinaria, cui usui inservire potuissent disquisitiones solicitæ & Presbyterorum suffragia? Non in more positum est in re extraordinaria, mediis uti ordinariis. 4. Legum promulgatio. Prout Paulus & Barnabas pertransibant urbes, placita tradebant observanda, quæ decreta fuerant ab Apostolis & Presbyteris κεκριμένα ὑπὸ τῶν Ἀποστόλων καὶ πρεσβυτέρων non ὑπὸ τῶν ἀλλοῶν. Fratres, qui aderant, placitum approbabant: (Ex ea re in publicum prodit nomine totius Ecclesiæ) verùm Apostoli soli & Presbyteri suffragium decisivum in Synodo tulerunt. 5. Adhortationes ad parendum legibus. *Rogamus vos fratres ut*

1 Cor. 12. 28.
1 Thess. 5. 12.
1 Tim. 5. 17.
Heb. 13. 7.
Deut. 17. 8, 9.
Act. 16. 4.

ut agnoscatis eos, qui laborant inter vos & præsunt vo-
1 Thess. 5. 12. *bis in domino.* Romani præerant in rebus mundanis, sed non in domino, h. e. in iis quæ ad religionem & Dei cultum spectant. *Obedite gubernatoribus vestris & auscultate iis; ipsi enim vigilant pro animabus vestris.* Civile imperium ad corpus pertingebat. En
Heb. 13. 17. aliud, cui anima curæ est. 6. Processus judiciarius in audiendis testibus. Apostolus Timotheo in man-
1 Tim. 5. 19. datis dat, ut adversus presbyterum accusationem non recipiat nisi sub duobus aut tribus testibus. 7. Reorum punitio. Corinthiacus qui incestûs reatum con-
1 Cor. 5. 5. traxerat, communione Ecclesiæ interdicitur. Casti-
2 Cor. 2. 6. gatio inflicta ἐπιτιμία appellatur. Est nomen pervulgatum, quo notari solet pœna Canonica, ut patet ex Conciliorum actis. 8. Pœnitentium absolutio. πλείονες qui unà cum Apostolo incestuosum ab Eccle-
2 Cor. 2. 6, 8. sia exterminaverant, exorantur κυρῶσαι εἰς αὐτὸν ἀγάπην nimirum autoritativè, remittendo censuram. κυρῶσαι est alicui rei formam legitimam dare, ac sic eam ratam firmámque facere. Si hæc omnia, sc. nomen, præpositos, leges, legum promulgationem, adhortationes ad parendum, processum judiciarium, punitionem reorum, absolutionem pœnitentium suis momentis ponderemus, constabit nihil in novo desiderari Testamento ad constituendum regimen Ecclesiasticum à Romano sive Civili longè distinctum.

2. Digitum intendam ad Regiminis speciem; quod ut perficiam, pedetentim progrediendum est. 1. Ecclesia Christiana in sacra pagina familiæ nomine perhibetur. Ità enim in Epistola ad Ephesios c. 3.
1 Tim. 3. 15. v. 15. nuncupatur. Hinc etiam οἶκος dicitur, qui
Tit. 1. 7. ministrat οἰκονόμος, Ecclesiæ membra οἰκεῖοι τῆς πίστεως.
Gal. 6. 10. 2. Nulla diu manebit citra regimen familia. Hoc enim seposito, pereat protinus & dissociata evadat necesse est. 3. Familiæ regimen non tantùm suasorium est; verùm etiam constitutivum jure imperii. Li-

citum enim est parentibus regulas suis liberis præscribere, ad officium hortatibus urgere, in eos animadvertere qui mandatum detrectant. 4. Hoc regimen constitutivum non ex civili oritur Magistratûs delegatione, aut confœderatione mutuâ: verùm autem ex supereminentiâ quæ parentibus naturâ adhæret, eò quòd liberi originem suam eis acceptam ferunt. Generatione enim jus ad regendum parentibus acquiritur. 5. Ecclesiæ Christianæ, quippe omnium familiarum nobilissimæ, competat oportet regimen non minùs excellens, quàm aliis. Sicut enim in aliis familiis ex generatione, ità in hac ex regeneratione jus ad regendum nascitur. Hinc Ecclesiæ Christianæ status regeneratio nuncupatur, Mat. 19. 28. & duodecim à Christo constituti sunt Apostoli, tanquam tot Ecclesiæ patres, quibus duodecim pollicetur thronos, ubi sederent & liberos ex aqua & spiritu natos regerent. Cùm vix tanto pares essent oneri duodecim Apostoli, accersitos voluit Christus 70 discipulos in partem solicitudinis. Qui in domo Dei fuit fidelis juxtà atque Moses sub veteri Testamento duodecim constituit Apostolos, ad similitudinem duodecim Phylarcharum, nec non septuaginta Discipulos septuaginta Senioribus non dispares. Hi nomine insigniuntur Evangelistarum; Etenim Apostolorum obambulabant provincias, ut nondum conversis Evangelium prædicarent, & in ædificandis & regendis conversis Apostolis ferrent suppetias. Quemadmodum numero duodenario additi fuêre Paulus & Barnabas, ità septuagenario Timotheus, aliíque. Cùm plures ad fidem amplectendam indies inducti in Ecclesiam cooptarentur; adeò ut Apostoli & Evangelistæ ei pascendæ & regendæ non sufficerent; tum Apostolis tum Evangelistis complacuit Presbyteros in unaquaque statuere Civitate, qui plebem pascerent Christianam, & intra officii limites continerent. Quippe

pe quòd citra negotium peragi nequit hoc munus Sacerdotale; Diaconi constituti sunt, qui Presbyteris in peragendis muniis inferioribus opitularentur. En Rectores Ecclesiasticos seculo Apostolico à Civilibus longè distinctos. Agmen ducunt Apostoli. Apostolis additi sunt Evangelistæ, tanquam copiæ auxiliares. Proximè succedunt Presbyteri, in quorum subsidium Diaconi adhibentur. Hinc Sanctus Paulus, ubi in Epistola ad Corinthios regimen Ecclesiæ commemorat, hisce duabus utitur vocibus, κυβερνήσεις & ἀντιλήψεις. κυβερνήσεις in plurali; quippe regimen duobus hominum ordinibus sc. Apostolis & Presbyteris competebat; nec non ἀντιλήψεις in eodem numero. Duo etiam opitulabantur, nimirum Evangelistæ Apostolis, Diaconi Presbyteris. Quasi Apostolorum vicarii fuêre Evangelistæ: utrique verò Presbyteris & Diaconis superiores. Hinc Timotheo Evangelistæ in mandatis est, ubi Presbyteri agitur causa, ut accusationi aurem non præbeat, nisi duobus vel tribus testibus stabilitæ. Presbyteri unà cum Diaconis plebis Christianæ fuêre Episcopi; Apostoli & Evangelistæ Presbyterorum & Diaconorum: Apostoli primarii Episcopi, Evangelistæ secundarii. Juxta indolem officii Evangelistæ nomina habuêre ambulatoria. Aliquando Apostoli appellantur. Cùm Sanctus asserat Paulus se summis Apostolis esse minorem, innuit quosdam Apostolos esse inferiores, nimirum Evangelistas. Quandoque Angeli nuncupantur. Timotheus Evangelista Ecclesiæ Ephesinæ perhibetur Angelus. Nonnunquam etiam πρεσβύτεροι. Verùm tempore procedente, cùm Episcopi nomen priùs commune, jam tum peculiare esse inceperit, tum Apostoli, tum Evangelistæ Civitatum, ubi diutius commorati fuerant & præsederant clero & populo, Episcopi appellantur in antiquis Ecclesiæ monumentis; ut Jacobus Hierosolymæ, Marcus Alexandriæ, Timotheus Ephesi, Titus Cretæ.

1 Cor. 12. v. 28.

Apoc.

Epist. Hieron. p. 85.

Hunc

Hunc Regiminis modulum in exemplum trahebant veteres Christiani per tres primas Centurias. Episcopi primarii succedebant in locum Apostolorum. Etiamsi potestas extraordinaria, quâ ad Ecclesiam constituendam induebantur, Ecclesiâ semel constitutâ, ad periodum fuit producta, ad instar Manna, quod, populo Israelitico in terram Cananæam introducto, non diutiùs depluebat cœlum: tamen ad successores descendebat ordinaria potestas in regenda Ecclesia constituta: cujus pars non immeritò habebatur præsidentia in clerum & populum per omnia secula, sanandis Ecclesiæ vulneribus (vel teste Hieronymo) apprimè utilis.

In locum Evangelistarum succedebant Chorepiscopi. Consilio Neocæsariano palàm asseritur eos fuisse constitutos εἰς τύπον τῶν ἑβδομήκοντα, quorum è numero (si Catalogo fidem habeamus maximè authentico) erat Philippus Evangelista. Etiamsi potestas eorum (eò quòd suos transiliissent limites) fuit plurimùm imminuta Conciliis aliquot, nimirum Ancyrano, Antiocheno, Laodiceno, quorum novissimo statutum est, ὅτι οὐ δεῖ ἐν ταῖς κώμαις καὶ ταῖς χώραις καθίστασθαι ἐπισκόπους, ἀλλὰ περιοδευτάς, &c. Quòd non oportet in vicis & regionibus Episcopos constitui; sed circuitores sive visitatores, &c. Tamen apertè ostendunt hæc decreta hunc ordinem priùs in Ecclesia viguisse. Nec non usque adhuc videnda sunt aliquot ejus vestigia in Episcopis suffraganeis, qui in partem accersuntur solicitudinis, & Episcopis primariis suffragari & assistere tenentur. *Presbyteri* & *Diaconi* nomina, quæ eis fuêre seculo Apostolico, usque adhuc retinent: Hi sunt illi, qui Christi familiæ præerant, omnia in terris administrabant ad domum dei spectantia, Condebant enim Canones, immorigeros programmate diro configebant, quam pœnam relaxare non consueverant, donec reus ple-

Can. 13.
Can. 10.

num

num pœnitentiæ exhibuisset specimen. Potestas hæc omnia administrandi non fuit delegata & devoluta à Magistratu, quem liquet tunc temporis veritatem Christianam acerbè & penitùs odisse. Nec fuit assumpta per arbitrariam confœderationem, Magistratu civili connivente, aut non curante, & accommodata ad præsentem rerum statum; donec aliquis ad fidem Christi conversus rerum potiretur. Regimen Ecclesiæ à Deo positum dicitur, 1 Cor. 12. 28. Gubernatores inter Christi numerantur dona, Eph. 4. Leges quas sancitas dederunt, perhibentur divini spiritûs placita, Act. 15. Non statuit Sacrosancta Trinitas, ut Ecclesiæ præpositi hac potestate manerent induti tantùm usque ad Constantini Tempora, verùm etiam donec omnes in unitatem fidei provenirent, Eph. 4. 13. quod scimus non futurum ante novissimam mundi periodum.

Proximè perpendenda sunt in patrocinium sententiæ tuæ prolata. Si omnes conventiones habitæ sine autoritate summi Imperantis, sive veram sive falsam religionem profiteatur, illegitimæ sint, actum est de omnibus Christianorum conventionibus ante Constantini Tempora. Omnes illegitimæ fuêre, utpote habitæ sine potestate à summo indulta Magistratu. Concilium primum, Spiritûs Sancti ductu Hierosolymis coactum, è numero non eximendum est. Minimè tibi convenit cum Apostolo, qui Christianos hortatur, ut Conventus non deserant, Heb. 10. An opinaris Apostolum Hebræos inducere voluisse, ut id facerent, quod præstare nefas est? Constat quidem Celsum olim veritati Christianæ infensissimum è partibus, quas defendis, stetisse. πρῶτον τῷ Κέλσῳ κεφάλαιον διαβαλεῖν τὸν χριστιανισμὸν ὡς συνθήκας κρύβδην πρὸς ἀλλήλους ποιουμένων χριστιανῶν παρὰ τὰ νενομισμένα. Primum criminationis caput Celso est Christianis clancularios conventus habere solere legibus vetitos.

Orig. con. Cels. l. 1. p. 4, 5.

Sed

Sed pluris est Origenis autoritas, qui regerit οὐκ ἄλογον συνθήκας παρὰ τὰ νενομισμένα ποιεῖν ὑπὲρ ἀληθείας· Non est absurdum in veritatis favorem conventus contra leges facere. συνθήκας Gelenius interpretatur conventus, quæ vox tum pactum tum cœtum significat. συνθῆκαι enim hoc in loco commemoratæ ejusmodi fuêre fœdera, quibus Christiani se mutuò alligabant ad cœtus celebrandos religionis ergô; uti loci scopus demonstrat. Insignem infamiæ notam Christo, Apostolis, Christianis primitivis inuris, cùm asserere non erubescas regimen temporale & spirituale verba esse inania, & eo fine fuisse introducta, ut minùs cognoscerent homines, utri obedientiam præstarent. Ex prædictis enim apertissimum est, Christum primam ità distinguendi dedisse ansam, & regiminis spiritualis sive Ecclesiastici apud Christianos prima jecisse fundamenta, cujus vestigia Catholica pressit Ecclesia usque ad nostra tempora. Non metuendum, si homines se seriò accingant ad investigandas utriusque Regiminis metas, ne penduli stent, & in bivio hæreant de regimine, cui obedientia sit concedenda. Potestas præpositi Ecclesiastici est in sacris, Magistratûs civilis circa sacra. Illius est Evangelium prædicare, ministros ordinare, administrare sacramenta, disciplinam exercere. Hujus verò non eadem agere, sed curare, ut qui ea ritè peragunt, in obeundo officio gladio temporali defendantur; qui suo desunt muneri, ab officio amoveantur. Hæc potestas Regibus sub veteri Testamento competebat, quæ sub novo non est abolita: uti constat ex Esaiæ vaticinio, Erunt Reges nutritii tui, c. 49. v. 23. Apertè ad Messiæ tempora collimant verba. Idem confirmatum dedit Apostolus, ubi hortatur, ut quævis anima potestatibus supremis subjecta sit, Rom. 13. Si collisio inter utramque contigerit potestatem, subditus non magis ad incitas foret redactus, quàm in aliis casibus.

Protinus diligenti scrutinio utatur oportet, ut exploret in quam partem propendendum sit. Si causam Ecclesiæ justiorem esse repererit, plus timendum est judicium Dei quàm Magistratûs; tamen ne minimus contra illum levandus est digitus; sed utraque manus ad Cœlum attollenda, ut Deus veritatem illi patefaceret, & interea patientiam concederet ad id alacri animo subeundum, quo conservatio conscientiæ bonæ constiterit. Veteribus Christianis nulla innotuêre arma præter preces & lachrymas. Nullus erat faber in Israele ad formandum gladium adversùs civilem potestatem. ὑπακοὴν in licitis solis; verùm ὑποταγὴν in omnibus comprobamus.

H. Ut intelligatur potestas Ecclesiastica, quid sit & quorum hominum, tempora nobis distinguenda sunt ab ascensione Christi in partes duas, alteram antè, alteram postquam Reges ulli vel cœtus summâ potestate prædici Christi fidem amplexissent, &c.

De priore tempore in confesso est potestatem Ecclesiasticam totam fuisse in Apostolis,& ab his transiisse ad eos, qui ab Apostolis ad homines ad Christi fidem perducendos, perductósque in via salutis retinendos Ministri Evangelici constituti sunt. Quibus successêre alii ab his itidem instituti per manuum impositionem. c. 42. p. 231.

T. Aliis omnibus contradicendis adeò assuetus es, ut temperare non possis, quin tibimetipsi quandoque contradicas. Oportet meminisse, te modò enim dixisse Ecclesiam esse rem eandem cum civitate, & per consequens Ecclesiæ potestatem esse eandem cum potestate Civitatis: & tamen nunc fateris potestatem Ecclesiasticam in Apostolis eorúmque successoribus viguisse à civili distinctam usque ad Regum conversionem. Si ex rei natura talis sit utriusque potestatis consolidatio, ut à se invicem nequeant divelli, vel Apostoli totam civilem habuêre pote-

statem,

ſtatem; vel Reges totam Eccleſiaſticam. Porrò libentiſſimè tenerem, qui ſit, ut Eccleſiaſtica ad miniſtros pertineret poteſtas antequam Reges Chriſti jugo ſuas ſubmiſiſſent cervices, & non ex illo tempore. In mandato Apoſtolis conceſſo ad Eccleſiam regendam nulla hujuſmodi commemoratur præfinitio; cæterùm ex adverſa parte eis Chriſtus ſuam pollicetur præſentiam, uſque ad ſupremum Mundi diem. Quinetiam eos conſtituit ad ſanctorum concinnationem, tantiſper dum omnes in fidei deveniant unitatem. Timotheus ab Apoſtolo edoctus, quomodo oporteat in domo Dei verſari, inſuper admonitus eſt; ut ſervaret mandatum uſque ad Domini adventum, 1 Tim. 6.14. Angelus Thyatirenſis ab ipſo Chriſto increpitus, quòd in exterminanda ab Eccleſiæ communione falſâ propheti**ſ**ſâ ſuam non exercuiſſet poteſtatem, protinus in mandatis accipit, ut id quod habuit, nimirum inter cætera autoritatem ad abigendos iſtiuſmodi ſeductores, retineat uſque ad diem noviſſimam. Tum deinde rationi perquam conſentaneum eſt, ut poteſtas Eccleſiaſtica Miniſtris competat æquè bene ſub regibus Chriſtianis, atque olim cùm Ethnici ad clavum ſederent. A Regibus Chriſti multò plus poſtulatum eſt, quàm præſcribi ſolet à regibus Chriſtianis. Se ſuum peregiſſe munus exiſtimant, ſi caveatur, ut delicta majora Communitati maximè nociva coerceantur: verùm de minoribus contra dilectionem, patientiam, manſuetudinem ſilent leges civiles. Idcirco, ut remaneat poteſtas penès Evangelii Miniſtros, magnopere idoneum eſt, ut in hæc etiam delicta conſpectu hominum minora Cenſuris animadvertatur, & nemo leges Chriſti contemnat impunè. Hinc (uti notavit V. C.) Conſtantinus & eum ſecuti imperatores reliquerunt Eccleſiæ ſua judicia, atque inſuper ſuis legibus muniverunt, ut videre eſt in Actis ſynodorum & legibus in codicem relatis.

Mat. 28. 20.

Eph. 4.13.

Grotius in Luc. c. 6. *v.* 22.

O 2 Videamus

H. Videamus jam ministrorum Christi mandata ut reperiuntur in Evangelio, an jus aliquod contineant in populum imperandi. Legimus primò Mat. 10. missos esse Apostolos ad oves, quæ perierunt, domûs Israel. Quid autem prædicaturos? Regnum Dei appropinquat. Prædicare autem actus præconis est Regem aliquem proclamantis. Neque jus imperandi in quemquam habet præco. Et Luc. 10. 2. septuaginta discipuli, ut operarii non ut Domini ad messem emissi sunt, & jussi prædicare, Appropinquat Regnum Dei. Et Mat. 20. 28. discipulos suos, qui inter se de dignitate contendebant, admonet servator noster officium eorum ministeriale esse, sicut & ipse venit, non ut sibi ministraretur, sed ut ministraret. Itaque prædicatores Evangelii potestatem magisterialem non habent, sed ministerialem tantúm. Et Mat. 23. 10. Ne vocamini (dicit Christus) Magistri, unus enim est vobis Magister. c. 42. p. 236.

T.] Præmittendum est voce *imperii* denotari, vel jus ad jubendum & prohibendum, vel jubendi, & prohibendi actum. In duo membra diducitur, Oeconomicum, & Politicum. Oeconomicum, quale competit patrifamilias vel dispensatoribus, quorum custodiæ domi committuntur claves, quibus fores claudant, & excludant eos, qui in familia ineptiùs se gesserint; nec non aperiant ostium & denuò in familiam intromittant, qui pœnitentiam egerint, & se morigeros esse futuros fide præstiterint. Politicum, quale competit Magistratui, qui non solùm jubet, prohibet, & immorigeris civium commercio interdicit; verùm etiam gladio pro criminis indole è civitate exterminat, in carcerem conjicit, pœnam infligit capitalem. Imperium politicum & coercivum Magistratui soli tribuimus: Ecclesiæ verò, quippe omnium in terris familiarum nobilissimæ, Oeconomicum

micum non denegandum existimamus. Hoc à Christo derivatur tanquam Mediatore; Illud à Deo patre. Quemadmodum pater Mediatore major est: ità Imperium politicum Oeconomico. Utrumque suis ornatur privilegiis: tamen politico adhæret suprematus. Quemadmodum ad omnem familiam aliquot spectant jura, quibus vel ab ipso Magistratu spoliari nequeat, nimirum, ut parentes liberos instituant, ut à liberis pareatur parentibus; & tamen Magistratui in quamlibet familiam intra sua territoria competit supremattus: Ità Ecclesiæ, familiæ præcellentissimæ, non desunt jura, quæ nequaquam Magistratui licitum est invadere, & tamen penes illum est super omnes personas & in omnibus causis Ecclesiasticis suprematus.

His præmissis, insuper notandum est Apostolos & discipulos septuaginta duplex à Christo accepisse mandatum. Aliud ad Ecclesiam plantandam, aliud ad regendam. Testimonia ex Sancto Matthæo & C. 10.
Lucâ ad primum de Ecclesia plantanda mandatum C. 10.
referenda sunt. Ubi Christus de regenda Ecclesia sermonem instituit, Apostolis duodecim pollicetur thronos, quibus aliquale imperium nunquam non agglutinatur. Officium Apostolorum Mat. 20. commemoratum ministeriale quidem fuit comparativè: Equidem non tantum est in eo magisterii, quantum in officio Magistratûs, qui gladio cogit, ubi paratissimum denegatur obsequium: verùm autem ministeriale non fuit absoluté. In exemplum enim ipse Christus proponitur, qui quandoque Magistrum induebat. In Templo flagello uti non dedignatus est. Sæpenumero Apostoli, Dei, Christi, novi Testamenti nuncupantur Ministri; verùm nunquam populi. Illius Magistri fuère non Ministri. Cùm à Christo dictum sit, Nè vocamini Magistri, unus est vobis magister, Laicos juxtà atque Clerum alloquitur.

Itaque verba adversùs Magisterium in potestate civili aquè bene militant atque in Ecclesiastica. Christo in animo fuit suis ipsius discipulis Pharisæorum superbiâ interdicere ; quibus solenne erat, titulum Magistri ambire, & suos inflectere conatus, ut populus ad credendum induceretur, ac si ad eorum pedes esset sedendum, & quicquid dictaverant, citra ullum scrutinium avidis amplectendum ulnis. Extra Christum unum nullus unquam in terris fuit hujusmodi Magister, nimirum infallibilis, cujus dictamina non licuit in dubium vocare.

H. Secundò, in mandatis eorum est, docere omnes nationes. Docere & prædicare conjuncta sunt. Nam qui Regem prædicant sive proclamant, eodem tempore docent, quo jure habet Regnum. Ut Sanctus Paulus fecit apud Judæos, qui erant in Thessalonica, nempe tribus Sabbatis cum illis ex Scripturis disseruit, explicans illas, & probans ex illis Christum mori oportuisse & resurrexisse, & Jesum esse Christum. Sed docere ex veteri Testamento Jesum esse Christum & è mortuis resuscitatum, non est docere illos, qui crederent, docentibus sibi obediendum esse contra Civitatis suæ leges & mandata regum ; sed admonere eos, ut adventum Christi cum patientia & fide & cum obedientia legibus civitatis debita vellent expectare. c. 42. p. 236.

T. Magna quidem inter *docere* & *prædicare* est affinitas, & autoritatem præ se fert utrumque. Hinc in Testamento novo docentem jure muneris audire est idem quod ὑποτάσσεσθαι, 1 Cor. 14. 34. Mulieres vestræ in conventibus sileant, inquit Apostolus. Nec enim permissum est eis λαλεῖν ut loquantur, ἀλλὰ ὑποτάσσεσθαι, sed oportet, ut subditæ sint, h. e. ut audiant cum silentio. Subjectio in audiente imperium sive autoritatem supponit in loquente. Relata enim sunt simul naturâ. Hinc διδάσκειν, 1 Tim. 2. 12. est idem

idem quod αὐθεντεῖν dominari vel autoritatem usurpare. Mulieri verò docere non permitto, ait idem Apostolus, nec autoritatem usurpare in virum, sed ut sit in silentio. Ex ea re voluit, ut in Ecclesia sileret mulier, quippe si doceret, & in silentio sederet vir ad audiendum, in illum autoritatem usurparet. Quod palàm declarat *docere* esse autoritatis actum. αὐθεντεῖν est idem quod κυριεύειν sive ἐξουσιάζειν, & respondet Hebræo משל. Autoritas hæc ab ipso Christo suam derivat originem. Data est mihi (inquit) potestas omnis in cœlo & in terra. Euntes ergo docete, Mat. 28. 18, 19. Quæ verba palàm faciunt τὸ docere esse authoritatis actum à potestate Christi derivatæ.

Pessimè infers, quasi *docere* ex opinione eorum, qui actum hunc autoritatem præ se ferre existimant, esset docere illos qui crederent, docentibus sibi obediendum esse contra leges Civitatis suæ & mandata Regum. Enimvero qui *docere* esse autoritatis actum propugnant, insuper asserunt, unicuique, cui docendi conceditur potestas, hoc etiam incumbere officium, ut populum monitum habeat, ὑποταγὴν in omnibus concedendam Regum mandatis, ὑπακοὴν in licitis. Quinetiam, si modò ità eveniret, ut Reges in mandatis darent quod legi dissonum est divinæ, tunc illius est docere unà cum Apostolis, quod obedire oportet Deo potius quàm hominibus. *Act.* 5. 29.

Porrò vel ex hac re autoritatem publicè docentis jure muneris intellectam habeamus, quippe gravius est peccatum, ubi doctrina respuitur ab illo oblata, quàm à privato jure communis charitatis unicè monente. Minutior & levior est noxa consilium privati amici insuper habere, quàm officialis à Rege missi, ut perduellionem ad pœnitentiam hortetur.

Mandatum illis datum est à Christo tertium baptizare *H.*

tizare in nomine patris, filii & spiritûs sancti. Quid autem est baptizari? in aquam immergi. Sed in aquam in nomine aliquo immergi quid est? sensus verborum est, immergi fideles ut signum regenerationis, & quòd qui sic immerguntur, fideles se in civitate Dei cives futuros esse, nempe in civitate Dei patris Ecclesiæ fundatoris, Dei filii ejusdem Ecclesiæ redemptoris, Dei spiritûs ejusdem Ecclesiæ sanctificatoris, hoc est pactum nostrum. Quoniam tamen Regum terrenorum autoritas ante diem judicii deponenda non est, (sic enim expressis verbis à S. Paulo affirmatur 1 Cor. 15. 22, 23, 24.) manifestum est in baptismo nostro non constituere nos in nosmetipsos authoritatem aliam, quâ vitæ nostræ actiones externæ regendæ sunt, sed promittimus tantùm pro directione nostra in via salutis nostræ æternæ doctrinam sequi Apostolicam. c. 42. p. 236, 237.

T. Qui aquâ tincti sunt baptismali, eo nomine se Ecclesiæ regimini subjicere obstringuntur. Baptismus enim est ritus solennis, quo Candidati in familiam Christi admittuntur. Verùm qui alicui ascitus est familiæ, citra ullum actum ulteriorem ad ejus regimen mores suos componere obligatur. Quinetiam concedamus tibi, *baptizari* esse idem quod *immergi*, ergo baptizari in nomen patris, filii, & spiritûs sancti est immergi in doctrinam à patre, filio, & spiritu sancto traditam. Aliquoties enim in novo Testamento Christi doctrina *nomen* appellatur. Verùm autem in doctrinam immergi est illius obsequio penitus devoveri. Una autem hujusce doctrinæ pars à Sacrosancta Trinitate tradita, est parere iis, qui præsunt in domino. Itaque qui ad sacrum baptisterium adducti sunt, & aquâ initiati lustrali, eo nomine Ecclesiæ regimini parere obstringuntur. Nullius est ponderis, quod annectis sc. quoniam regum terrenorum autoritas deponenda

deponenda non est ante diem judicii, ergo virtute baptismi, alia nobis præfici nequit autoritas. Utrique autoritati tum Civili tum Ecclesiasticæ, subesse possumus: Bene conveniunt Magistratûs gladius, & clavis Ecclesiæ. Qui imperio familiæ œconomicæ suam cervicem submittit, regimini Civitatis subditus esse non desinit.

Cùm adjicias quòd in baptismo nostro promittimus tantùm pro directione nostra in via salutis, Doctrinam sequi Apostolicam, non ignarus sum scopi, ad quem collimas: opinaris scilicet regnum Christi ante diem Judicii non incepturum. Itaque per baptismum in hoc regnum non cooptamur, sed fidem unicè damus nos Apostolicum secuturos fore consilium de via, quâ pergendum est; ut in hoc regno die novissimo cives evadamus. At enim Christum multis retro seculis regni sui tyrocinium posuisse infrà demonstratum est.

Quartò, in mandatis potestatem habent peccata remittendi, & retinendi, id est ligandi & solvendi, quæ potestas dicitur etiam regni Cœlestis claves, cohærétque cum autoritate baptizandi, c. 42. p. 237. *H.*

Eò respiciunt hæc omnia, ut probatum des regni Cœlestis claves non innuere Apostolis ullam demandatam esse imperandi potestatem. Verùm memoriâ reponas oportet, nullum à nobis Ecclesiæ tributum esse politicum imperium, quale adeptus est Civilis Magistratus, verùm domesticum tantùm nomine patrisfamilias: & si non gravatus fueris textum denuò consulere, ubi regni Cœlestis claves commemorantur, nullus dubito, quin constiterit tale Apostolis indultum fuisse imperium. Cùm Christus sermonem suum dirigat ad Petrum, Mat. 16. 19. & in Petro reliquos alloquatur Apostolos, uti patet ex Mat. 18. 18. Joan. 20. 22. ejusmodi utitur vocibus, quæ palàm non modò docendi, verùm etiam regendi & mandandi *T.*

di potestatem designant. *Dabo claves:* Clavium nomine in sacra pagina passim denotatur potestas. Ipse Christus claves inferorum & mortis habere perhibetur, Apoc. 1. 18. & etiam clavem, quæ aperit & nemo claudit, & claudit & nemo aperit, Apoc. 3. Angelus è cœlo descendisse dicitur cum clave & catena in manu, Apoc. 20. 1. Cùm Schebna de sua deturbaretur autoritate, & ad succedendum in ipsius locum eligeretur Eliakimus, hæc occurrunt verba, Es. 22. 22. Clavem Davidis humero ejus imponam, Cùm urbs expugnata victori faciat deditionem, in potestatis transmissæ indicium solenne est ei tradere portarum claves. *Quicquid solveris, quicquid ligaveris.*

Cùm postulet Metaphoræ analogia, ut Spiritus Sanctus vocibus utatur aperiendi & claudendi, tamen mutat phrasin, & ligandi & solvendi utitur vocabulis, quæ non obscurè potestatem designant. Ligare, constringere, nec non solvere, & è catenis liberare sunt maxima potestatis & imperii symbola: & ne quis opinaretur potestatem hanc non esse legitimam, sed vi usurpatam, qualem exerunt latrones, cùm viatorem expilent, & quadrupedem constringant, addita sunt hæc verba; *Quicquid ligaveris in terra erit ligatum in Cœlis, & quicquid solveris in terra erit solutum in Cœlis;* ut notum habeamus hanc potestatem cœlitùs esse delapsam, & eo loci comprobatum iri, quicquid eâ juxta normam patrisfamilias in terris peractum fuerit.

Hisce omnibus liceat attexere, Christum non dixisse *dabo clavem,* sed *claves.* Triplicem enim Apostolis clavem spondet, Primam, quâ aperirent infidelibus Evangelii mysterium; Secundam, quâ Ecclesiæ reserarent fores, ut per baptismum ingrederentur fideles; Tertiam, quâ clauderent ostium iis qui post baptismum Ecclesiæ communione spoliari mererentur,

tur, & aperirent denuò iis quos sui pigeret criminis.

Ex hisce intellectum habeamus, quousque potestas ligandi & solvendi cohæreat cum potestate baptizandi. Ex eodem annulo pendet utraque clavis, verùm eidem utraque non aptatur usui. Potestate baptizandi Candidati in Ecclesiæ gremium recipiuntur. Solvendi potestate corrupta Ecclesiæ membra post actam pœnitentiam ad Ecclesiæ denuò admittuntur communionem. Introitum in Ecclesiam obstruit baptismi denegatio: meatum ad Ecclesiæ communionem excommunicatio. Quandoquidem qui à cœtu piorum conciliòque abigitur, esse non desinit membrum Ecclesiæ (cæteroquin per baptismum admittendus esset :) verùm præ morbo contagionis pleno ineptus redditur ad retinendam cum Ecclesia communionem. Quemadmodum leprosus à castris abactus Israeliticis, non desiit esse è numero istius populi, sed tantùm communione fuit aliquantisper orbatus, donec pristinam recuperaret sanitatem.

Quoniam autem pœnitentiam alterius, an sincera sit necne, homo nemo scire potest, nisi per conjecturam ex notis externis, altera orietur Quæstio. Notarum externarum pœnitentiæ qui index est? Quæstionem hanc determinat Christus ipse dicens Mat. 18. 15, 16, 17. Si autem peccaverit, &c. dic Ecclesiæ, &c. Constat hinc judicium circa pœnitentiæ sinceritatem non penès unum hominem, sed penès Ecclesiam fuisse; id est, penès fidelium congregationem, vel penès illos qui congregationis gesserint personam. Præter quæstionis hujus judicium etiam sententiæ pronunciatio necessaria erat; atque hæc pronunciatio sententiæ Apostoli vel alicujus pastoris erat, ut congregationis prolocutoris, & de illis dici intelligitur à Christo, v. 18. Quodcunque ligaveritis, &c. Et 1 Cor. 5. 3. dicit Sanctus Paulus, *H.*

Ego

Ego quidem absens, &c. Eodem Capite v. 11, 12. Scripsi vobis in Epistola, &c. nonne de iis, qui sunt intus, vos judicatis? Videmus hîc sententiam quidem à Paulo pronunciatam, judicâsse autem congregationem. c. 4? p. 238.

T. Cùm exuendus esset aliquis Ecclesiæ communione, aut ad eam denuò admittendus, non solùm sententiam pronunciârunt Apostoli, verùm etiam de pœnitentiæ sinceritate judicium tulerunt. Sanè autem (quod sciam) totum opus Mat. 18. commemmoratum ab Apostolis fuit peragendum. Si tibi non molestum sit caput ab initio consulere, constabit discipulos, h.e. duodecim Apostolos, utì patet ex Marc. 9. 33. Luc. 9. 46. ad Jesum accessisse & rogâsse illum, Quis in Regno cœlorum, h. e. in Ecclesia regenda, maximâ potiretur autoritate? Ut hæc deturgeret ambitio, in medio eorum puerulum statuit Christus, innuens nisi omnem ponerent superbiam, & demissè & humiliter se gererent ad instar pueruli in medio collocati, illos nullas in regno Christi regendo partes habituros. Hinc ansam arripit monendi, ut caveant, ne fratribus sint offendiculo, qui modestià & humilitate referunt puerulos, usque ad comma decimum quartum; & in com. 15. incipit indigitare, si modò fratres illi sint offendiculo, quâ methodo tentanda sit eorum emendatio. Proximè Apostolos alloquitur, ut Ecclesiæ Rectores sigillatim. Si verò in te peccaverit frater tuus, h. e. intra diœcesin tuam, ubi scandalum, si ulteriùs disseminetur, regimini tuo in damnum cessurum est, Illum ad te accerse & privatim corripe. Si te non audierit, adhibe unum vel duos. Si adhuc perstet immorigerus, admone illum coram Ecclesia, h. e. congregatione fidelium. Si nec dum eum suæ pudeat impietatis, tunc abige illum tanquam Ecclesiæ communione indignum, h. e. sit tibi tanquam Ethnicus & publicanus, quibuscum nihil esse solet negotii, aut commercii.

Mox,

Mox, ut ſciamus, methodum hanc non uni ſoli, verùm omnibus præſcribi Apoſtolis; eos etiam universè alloquitur v. 17. ὅσα ἐὰν δήσητε quos ligaveritis in terris, h. e. quos excommunicaveritis. Neutrum genus pro maſculino ponitur, ut in commate undecimo, τὸ ἀπολωλὸς pro τοὺς ἀπολωλότας. Excommunicatus quaſi pede ligatus eſt, adeò ut jure ad piorum cœtum nequeat accedere, & ejus frui communione. Toto hoc proceſſu non tantùm Apoſtolis ſententiæ tribuitur pronunciatio, verùm etiam judicium. Eccleſia loco laudato non nominatur ut judex, ſed ut teſtis. Quemadmodum primæ admonitionis nullus conſtituendus eſt teſtis, ſecundæ unus aut duo; ità tertiæ multi qui Eccleſiæ nomine deſignantur. Non diſſimilis obtinuit conſuetudo apud Judæos, ut conſtat ex libro Muſar. Hæc ſunt verba: ‘Qui arguit ſocium ſuum, debet primùm hoc facere placidè inter ſe & ipſum ſolum verbis mollibus; ità ut pudefaciat eum: ſi reſipiſcit bene eſt, ſin, debet eum acriter arguere & pudefacere inter ſe & ipſum: ſi non reſipiſcit, debet adhibere ſocios, ipſúmque coram illis pudore afficere: ſi nec hoc modo quicquid proficit, debet eum pudefacere coram multis, ejúſque delictum publicare: nam certè detegendi ſunt hypocritæ. *Muſar. ccxxi. Druſ.*

Multi hoc in loco non conſtituuntur, ut judices ſed ut teſtes criminis, ut, ubi privatæ nè hilum proficiunt admonitiones, reus, pluribus adhibitis teſtibus, citiùs pudore afficiatur.

Hiſce quadrat Epiſtola ad Corinthios, cùm inceſtuoſus ab Eccleſia eſſet abigendus, ipſum ſuper hac re judicium Apoſtolo tribuitur. ἤδη κέκρικα ὡς παρὼν, jam ut præſens judicavi: non potuit utpote abſens decretoriam pronunciare ſententiam in Eccleſia Corinthiaca; verùm decretum literis mandat, & unà cum hac mittit Epiſtolâ, ut fidelibus omnibus congregatis, authori- *1 Cor. c. 5. v. 3.*

authoritativè denuncietur à Presbyteris, qui *ἐν πνεύματι* appellati sunt; ut à reliquo Cœtu secernantur; & ἐπιτιμίαν h. e. pœnam imposuisse dicuntur, 2 Cor. 2. 6. Toti cœtui nullum tribuitur judicium, sed sola præsentia, quæ perquam fuit necessaria in negotio ad eum tantundem spectante; nam nisi ei innotuisset incestuosi excommunicatio, familiarem ejus consuetudinem vitare non potuisset. Quod infrà legimus v. 12. ubi dicit Apostolus, *Nonne de iis, qui intus sunt, vos judicatis*, cum hisce optimè concinit. Etenim in priore commatis parte de iis, qui extrà sunt, omne à se amolitur Apostolus judicium; quam assertionem hoc argumento dat stabilitam, Christiani, quà tales, de iis solis judicant qui intus sunt. Deinde minime inferre liceat judicium fuisse penès cœtum universum. Fingamus extraneum pro tribunali sisti in Anglia, & ad hunc modum Judicem totum alloqui conventum; Ad me non spectat de hac persona judicium ferre; vos enim Angli de vestratibus solis judicatis. Hoc dictum ad universum conventum judicis munus pertinere non innueret, sed hoc solummodò, nimirum eorum neminem, quandocunque ad obeundum Judicis officium fuerit electus, de ullis, præterquam de Anglis, judicare debere.

H. Pars hæc potestatis Ecclesiasticæ Excommunicatio dicitur, & ἀποσυνάγωγον ποιεῖν· & ritus etiam erat à Judæis usitatus; sed ut videtur, post Captivitatem Babylonicam; Nam non legimus quemquam ante id tempus doctrinæ causâ ejectum esse à Synagoga, neque etiam in novo Testamento, sed tantummodò pro malis moribus in scandalum Ecclesiæ, &c. p. 238, 239.

Excommunicari potuit Christianus illis temporibus propter injustitiam, ut Mat. 18. &c.

Excommunicari potuit pro dato scandalo, ut 1 Cor. 5. 11. sed excommunicandi illum, qui fundamentum

hoc

hoc Jesum esse Christum firmiter teneret, propter hoc, quòd ab Ecclesia in opinione aliqua dissentiret, quæ fundamentum illud non destruebat, neque scripturis neque ab Apostolorum exemplis ulla omnino autoritas derivari potest. c. 42. p. 239, 240.

Cùm excommunicationem asseras à Judæis non usitatam fuisse ante Captivitatem Babylonicam, in memoriam itidem revocandum est antehac apud eos in usu fuisse Synagogas. Cùm enim hebdomatim Sabbatum esset celebrandum, & eo die habendi solennes conventus, & omnes præ nimia Templi Hierosolymitani longinquitate ibidem convenire non potuerint: rationi perquam consentaneum est existimare, solennia aliquot loca huic usui fuisse destinata. Hinc memoria facta est Sanctuarii Jehovæ, Jos. 24. 2. & loci orationis Mitzpæ, 1 Sam. 7. 6. Etenim τόπος προσευχῆς appellatur, 1 Macc. 3. 40. Hujusmodi fuêre מעדי אל domicilia dei, Ps. 74. 8. juxta Aquilæ versionem συναγωγαί. Si autem in usu ante captivitatem fuerint Synagogæ religiosæ societatis ergô, citra dubium non defuit jam tum disciplina aliqua, citra quam hujus societatis puritas diù multúmque retineri non potuit. Nulla est disciplina huic scopo attingendo accommodatior, quàm Excommunicatio. Hinc increbuit & inveteravit olim consuetudo arcendi à cœtu publico apud Essenos, Druidas, aliósque, qui naturæ solius ductum secuti sunt. Quæ via magis est compendiosa ad servandum gregem à contagione immunem, quàm oves scabie infectas à reliquis segregare? In veteri Testamento videnda sunt hujus disciplinæ vestigia jam olim ante Captivitatem, nimirum in fuga Caino impositâ, in impuris à publico cœtu arcendis. Cùm Samballat, captivitate exactâ, à Nehemia fugatus sit, h. e. excommunicatus, non commemoratur exilium ut pœna recèns inventa (nulla enim novitatis nota ei affigitur:) verùm è T.

contrà

contrà diem Captivitate longè antiquiorem excommunicationi assignant Judæi. Etenim ejus petunt rationem ex maledictionis formula, quâ usi sunt in Meroz
Jud. 5.13. Debora & Barakus.

In Sepher Musar perhibetur Solomon, cùm domum extrueret Sanctuarii, duas etiam fecisse portas; unam sponsis, alteram lugentibus & המנודים h. e. separatis & coetu motis. Hoc non obscurè indicat putâsse Judæos excommunicationis inolevisse usum Solomonis ævo. Parcè (fateor) memoratur in veteri Testamento excommunicatio. Non expectandum est, ut verbo revelato extet memoria consuetudinum omnium, ad quarum usum lumine innato ducti fuêre Judæi. Id luminis, quod eos istiusmodi mores docuerat, valeat etiam nobis detegere, mores illos apud eos obtinuisse, citra quos societatem religiosam à Deo institutam conservare non potuerunt.

Seld. de Synod. c. 7. *p.* 123.

Cùm adjicias insuper nullam esse autoritatem à Scripturis & Apostolorum exemplis derivatam, quâ excommunicetur quisquam doctrinæ causâ, tum à ratione tum à Scriptura longissimè decedere videris. Libenter asseris excommunicationem clavium potestate comprehensam esse: verùm excommunicatio hæc duplici instituitur causâ, ut peccator emendetur, & à labe immunis conservetur Ecclesia. Qui peccat doctrinam disseminando Christi fidei contrariam, ei perinde opus est emendatione, atque illi, qui malis imbuitur moribus. Et ut Ecclesia à doctrinæ gangræna juxtà atque à malis moribus detrimentum non capiat, cura non dispar adhibenda est. Num existimas Christum Apostolis excommunicandi indulsisse potestatem, & in ea id includere non voluisse, citra quod suum assequi finem non potuerit illa potestas? Hoc longissimè ab omni abhorret ratione.

Quinetiam insuper apertum non desideratur mandatum in novo Testamento ad eum doctrinæ gratiâ excomuni-

excomunicandum, qui nihilò secus Jesum esse Christum tenebat. Qui Galatas dementaverant & corruperant in articulo Justificationis, sine dubio tenebant Jesum esse Christum; nihilominus de iis loquens Apostolus c. 1. dicit, Si quis nostrûm vel Angelus de coelo idem cum illis faceret & talem prædicaret doctrinam, anathema sit. Anathema secundo respondet excommunicationis generi apud Hebræos, quod חרם dicitur. Hinc Vincentius Lirinensis in locum, Anathema sit, *id est separatus, segregatus, exclusus, nè unius ovis dirum contagium innoxium gregem Christi venenatâ permixtione contaminet.* Huic consonum est, quod occurrit in Epist. secunda Joannis v. 10. Siquis venit ad vos & hanc doctrinam non adfert, nè recipite eum in domum, nec Ave ei dicite. Hunc in modum hæreticos tractare solebant Antiqui Christiani, quasi à piorum conventu fuissent abacti & excommunicati. Polycarpus *Ave* Marcioni noluit dicere; verùm illum Satanæ appellavit primogenitum. Sanctus Joannes, cùm Cerinthum in balneo vidisset, exiliit non lotus, dicens quòd *timeat, ne balneum concidat, cùm intus esset Cerinthus veritatis inimicus.* Hisce liceat attexere verba Paulina in Ep. ad Titum c. 3. v. 10. Hæreticum hominem post unam vel alteram admonitionem devita.

Contr. Hær. c. 13.

Irenæi Interp. 3.

H. Dicit quidem Sanctus Paulus Tit. 3. 10. Hominem post primam & secundam admonitionem rejice. Hæreticus enim is est, qui cùm Ecclesiæ membrum sit, doctrinam tamen docet, quam Ecclesia doceri vetuerat. Rejicere autem non est hominem excommunicare, sed desinere illum admonere & cum illo non ampliùs disputare.

Apostolus idem 2 Tim. 2. 23. Stultas & indoctas quæstiones rejice. Rejici autem possunt sine excommunicatione. Et Tit. 3. 9. Stultas quæstiones, genealogias,

nealogias, & contentiones, & pugnas circa legem rejice, nam inutiles sunt & vanæ. c. 42. p. 240.

T. Cùm textus hic in Epist. ad Tit. c. 3. v. 10. prolatus sit ad evincendam in novo Testamento doctrinæ causâ excommunicationem, voci παραιτοῦ soli non innititur vis argumenti; sed reliquis etiam in textu vocabulis. Post primam & secundam admonitionem hæreticum rejice, inquit Apostolus. Palàm respondent verba capiti decimo octavo Matthæi, ubi Apostolis traditur clavium potestas, cujus partem esse excomunicationem tu ipse non diffiteris. In hoc unicè situm est discrimen. Apud Sanctum Matthæum triplicis fit memoria admonitionis: apud Sanctum Paulum duplicis tantúm. In aperto est causa. Apud Matthæum agitur de iniquitate ad initium magìs occultâ, ubi adhibitâ admonitione, non desperandum est, quin culpæ sequatur emendatio. Ex ea re pluribus opus est, antequam ad ultimum descendatur remedium. Verùm apud S. Paulum de crimine magìs aperto & insanabili. Hæreticus enim ille non est, qui falsam tenet opinionem, verùm cui volupe est publicè tueri; ut paret discipulos, & temeratâ Ecclesiæ unitate, sibi partem faciat, in qua dominetur. Itaque hujusce commatis homuncioni una tantùm vel altera adhibenda est admonitio, quippe patefacienti suâ audaciâ se insanabilem esse. Non multùm Medici immorari solent in tentandis facilioribus pharmacis: verùm autem ad ultimum protinus prosiliunt remedium, ubi morbus insanabilis videtur.

Rejicere hominem non significat (utì innuis) desinere tantùm illum admonere, & cum illo non ampliùs disputare: verùm etiam nullum omnino sermonis consortium habere. Hinc Irenæus: 'Tanto studio Apostoli & ipsorum discipuli cavebant, ne cum quoquam eorum, qui veritatem adulterabant, sermonis

L. 3. Adver. hæreses, c. 3. illio interprete, p. 234 Feuard.

'sermonis commercium inirent. Quemadmodum
'etiam Paulus edixit, Hæreticum hominem post unam
'vel alteram admonitionem devita, &c. Quamvis vox
hæc παραιτοῦ, cùm ad indoctas applicetur quæstiones
2 Tim. 2. 23. nequeat excommunicationem significare, tamen in Epistola priori, cùm ad personas accommodetur, aliquid innuere videtur non dissimile.
In cap. 5. v. 11. (inquit Apostolus) Juniores viduas παραιτοῦ, h. e. nè in Collegium viduarum admitte. 'Quidni (uti ait Scultetus) consimilis verbi
'παραιτοῦ interpretatio retineatur expliceturque, Hæ-
'reticum recusa, h. e. in externa Ecclesiæ congrega-
'tione manere nè patere. Quod allegas ex Tit. c. 3.
commate 9. à proposito alienum est: vox ibi est
περιΐστασο, non παραιτοῦ.

Sententia excommunicationis in civem Christianum, si legibus suæ civitatis obediat, vim nullam habet. Nam si credat Jesum esse Christum, Spiritum habet Dei, 1 Joan. 5. & Deus in illo habitat, & ille in Deo, 1 Jo. 4. 15. Sed qui Spiritum Dei habet, is qui in Deo habitat, is in quo habitat Deus, nihil pati potest mali ab excommunicationibus hominum. Quicunque ergo credit Jesum esse Christum, damnum ab excommunicatione nullum habet. Qui articulum illum non credit, non est Christianus. p. 241. H.

Excommunicationis sententia in Civem Christianum vim nullam habet *Coactivam*, qualis civili agglutinatur potestati. Verùm in ea vis obligatoria non desideratur. 1. Ligat illum declarativè, h. e. eum declarat in foro divino esse ligatum & obstrictum ad subeundam ob peccatum patratum iram futuram. 2. Ligat illum constitutivè ad subeundam in foro Ecclesiastico censuram, ut hoc pacto ad agendam expergefiat poenitentiam, & ad impetrandam apud Deum peccati remissionem. 3. Non solummodò ligat ad poenam, verùm etiam ad talem obligat poenitentiam, T.

 ante-

antequam in foro divino obtineri possit remissio, quâ satisfiat Ecclesiæ, & quam votum saltem absolutione potiendi necnon fruendi denuò illius communione concomitatur. Namque citra pœnitentiam impunitate donari nequit peccatum. Pœnitentia ad veniam impetrandam necessaria est derelictio omnis peccati. Non satisfacere eis quibus injuriam obtulimus, peccatum est. Excommunicatus delicto suo Ecclesiæ honorem lædendo, multùm admodum ei fuit injuriosus. Itaque juxta Evangelii tenorem, priusquam in foro divino peccati remissione possit potiri, Ecclesiæ damnum compensare tenetur, & sinceræ pœnitentiæ testificatione ejus honorem resarcire: Quemadmodum Ecclesia, ex altera parte, actâ hac pœnitentiâ, eum absolvere tenetur. Hinc pari passu in Evangelio ambulant remissio in terris & remissio in cœlis. Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, & quorum retinueritis retenta sunt, Jo. 20. 23. Citra negotium ex hisce notum habeamus, excommunicationis sententiam vim habere obligatoriam in Civem Christianum, quamvìs Civitatis suæ legibus obediat. Etenim ea ligatur in cœlis declarativè, in terris constitutivè; obligatur denique ad talem pœnitentiam, quâ honorem Ecclesiæ resarciat, priusquam solvi queat vinculum cœleste.

Argumentum, quo probare moliris Christianum ab excommunicatione nihil mali pati posse, nullius est ponderis; quod neminem latebit, si in hanc compingatur formam.

Qui credit Jesum esse Christum, nihil mali pati potest ab excommunicatione.

Christianus credit Jesum esse Christum.

Ergo———

Majorem ad hunc modum is stabilitum. Qui Spiritum habet Dei, qui in Deo habitat, & in quo habitat Deus, nihil mali pati potest ab excommunicatione;

tione: verùm qui Jesum credit esse Christum, habet Spiritum Dei, in Deo habitat, & Deus in illo: Ergo. Ad minorem respondeo. Qui credit Jesum esse Christum, vel credit fide theoreticâ, quæ extra contemplationem non egreditur; vel fide activâ, quæ erumpit in praxin & promptum ad totum Evangelium obsequium. Qui hoc posteriori significatu credit, habet Spiritum Dei, in Deo habitat. De tali autem persona Sanctus loquitur Joannes. Verùm qui assensum solum contemplativum huic præbet propositioni, *Jesus est Christus*; & tamen ad normam Evangelicam mores suos recusat componere, & in Ecclesia ità se gerit, ut à Christianorum conventu arceri mereatur; non habet Spiritum Dei, nec habitat in Deo. Talis civis est professione Christianus, in quem solum censuris Ecclesiasticis jure animadvertitur.

H. Ut veniamus ad Scripturarum interpretem, legimus S. Paulum cùm esset Thessalonicæ, Judæorum synagogam, quæ ibi erat, adiisse: & Act. 17. 2, 3. more suo introivit, & per tria Sabbata disputavit cum illis ex Scripturis, &c. Aliqui eorum crediderunt, aliqui non crediderunt. Quare autem hoc? Quia sc. ad eos accessit S. Paulus sine omni mandato Civitatis, ut qui non ad imperandum, sed ad persuadendum venisset, &c.

Manifestum ergo est interpretem Scripturarum, in cujus interpretatione Judæi Thessalonicenses acquiescere obligabantur, fuisse nullum, &c. c. 42. p. 242.

T. Itane quidem? An nullum fuisse opinaris, cujus interpretationi parere tenebantur Thessalonicenses, quippe eorum aliqui non crediderunt? Parili inferas ratione, Si Princeps legitimus ad leges, de quarum sensu controvertitur, interpretandas judicem constitueret, & populus in illius non acquiesceret interpretatione,

pretatione, sed in rebellionem erumperet, nullum omnino legitimum constitutum esse interpretem. Non æstimanda est interpretis autoritas ex eorum obsequio aut inobedientia, quibus leges interpretatus est. Thessalonicensium aliquos ex ea re non credidisse asseris, quippe ad eos accesserit S. Paulus sine Civitatis mandato. Num arbitraris eorum omnes credere voluisse, si ejus secum attulisset mandatum? Adoramum ad Israelitas accessisse legimus cum civitatis mandato (missus enim fuerat à Rehaboamo) tamen ab obsequio tam procul aberant, ut eum tunicâ lapideâ induere non reformidarent. Ut Ecclesiæ omnem adimas potestatem, adjicis penès Magistratum esse non solùm potestatem interpretandi Scripturas, verùm etiam faciendi ut leges sint.

H. Pars illa Scripturæ, quæ prima lex facta est, est Decalogus, &c. Quæritur jam quis fuit qui tabulis hisce vim dedit obligatoriam. Dubium non est, quin leges factæ fuerint ab ipso Deo. Quoniam autem lege obligari potest nemo, qui nescit an à Rege lata sit, necne, Quomodo obligari potuit populus Israeliticus ad præstandam omnibus legibus Mosaicis obedientiam, qui ne ad montem Sinai accederent, & quid Mosi Deus locutus est, audire prohibiti fuerunt?

Ad quod respondeo. Legum illarum aliquas, nempe tabulam secundam, leges naturales divinas æternas esse & per se obligare. De tabula prima difficilis fortasse fuisset responsio, nisi populus seipsos ad obediendum, Mosi obligâsset his verbis, Exod. 20. 19. Loquere tu nobis & audiemus; sed ne loquatur nobis Deus, ne moriamur. Potestas ergo, per quam Decalogus factus est in legem Civitati Israeliticæ, erat penès Mosem, & post illum penès Sacerdotem summum, qui erat Civitatis summus Imperans, c. 42 p. 244, 245.

Decalogum legem factum fuisse ab ipso Deo fateris; & tamen asseris potestatem, per quam factus est in legem Civitati Israeliticæ, fuisse penes Mosem. Libenter tenerem, cui daretur, cùm in legem à Deo factus esset, vel ipsi Deo vel populo. Nimis absonum est putare Deum sibimetipsi tulisse legem. Ergò necesse est, ut dicamus Deum ipsum & non Mosem Decalogum in legem fecisse populo Israelitico. Si hoc tibi sit in animo, nimirum Decalogum ab ipso Mose promulgatum fuisse, hoc perinde dissonum est veritati. Deus enim immediatè populum alloquutus est, præsente toto cœtu Israelitico. Hinc Talmudici tradunt vocem legem promulgantem factam fuisse מפי הגבורה ex ore τῆς δυνάμεως. Ex ea re populus perterrefactus obnixè rogabat, ut reliquas à Mosis & non à Dei manu leges acciperet. Plurimùm falleris, cùm asseras, quasi ostendi non potuerit, quomodo prima Decalogi tabula populum obligaret Israeliticum, nisi sese ad obediendum Mosi obligâsset his verbis, Loquere tu nobis & audiemus, Ex. 20.19. Hæc enim verba ad leges collimant nondum traditas, sc. ceremoniales & judiciales, & non ad Decalogum jamjam cœlitùs immediatè voce Dei promulgatum. T.

Postquam venerint Israelitæ in Campestria Moabitarum è regione Jerecuntis, intraturi jam in terram promissam, legibus prioribus addidit etiam alias Moses, quæ vocantur Deuteronomium, h. e. leges secundæ, quæ Deut. 29. 1. vocantur verba pacti quod facere Dominus jussit Mosem cum filiis Israelis præter pactum quod fecerat cum illis in Horeb, &c. H.

Præter hunc, nullum alium habuêre librum legis, ante reditum populi è Captivitate. Prophetæ enim (paucis exceptis) in captivitate ipsa vixerunt; adeóque procul aberant, ut prophetiæ pro legibus

haberentur,

haberentur, ut etiam ipsi vexarentur, & ad supplicium partim à falsis prophetis partim à regibus quærerentur, &c. p. 245.

Scriptura ergo veteris Testamenti, quam habemus, Canonica Judæis non erat, neque lex, antequam renovâssent pactum sub Esdra, &c. p. 246.

T. Liquidò constat prophetarum vaticinia Israelitis fuisse leges ante captivitatem. Peccatum enim potissimum, quo hanc pœnam commeruerant, erat Oraculorum neglectus à Prophetis fusorum, 2 Chron. 36. v. 16, 17, 18. Jer. 25. 8, 9. Jer. 35. v. 17.

Si ideo peccatum fuerit, propterea quòd Prophetis se auritos & morigeros præbere recusaverant, nemini animus potest pendere, an prophetiæ illæ legis formâ essent signatæ; namque ubi nulla lex est, nullum peccatum est. Quod deinceps occurrit de novo Testamento, ad incudem revocatum est in examine Dogmatis 33.

H. Officiorum Ecclesiasticorum tempore Apostolorum alia erant Magisterialia, alia Ministerialia, &c.

Inter munera Magisterialia, primum & maximum est Apostolatus, &c. p. 249.

T. Hic intactum præterire nequeo, quàm citò tuum
P. 336. irrepserit animum oblivio eorum, quæ non ità pridem asseruisti. Non diu est, ex quo tibi visum fuerit affirmare servatorem nostrum Mat. 20. 28. discipulos suos, h. e. Apostolos, qui inter se de dignitate contendebant, admonere, officium eorum esse ministeriale; & jam officia diducis Ecclesiastica in Magisterialia & Ministerialia; & inter munera Magisterialia, Apostolatui primarium assignas locum. Admirationem summam tua meretur æquitas. Nihil aliis fecisti, quod tibimetipsi non feceris. Aliis enim omnibus in re contradixisti Theologica: & jam idem tibimetipsi facere non gravaris.

H. Eorum, qui Apostoli constituti ab ipso Christo non

non erant, fuit Matthias. Electus fuit sic. Convenerunt in Jerusalem Act. 1. 15. circiter 120. Christiani. Atque hi constituerunt duos, Josephum & Matthiam, electionémque sortibus permiserunt: & sic Apostolatum fortitus Matthias inter Apostolos numeratus est. Ex quo constat electionem Apostoli penès Ecclesiam esse, non autem penès Petrum, neque penès Apostolos undecim reliquos. c. 42. p. 249.

Ex hoc loco minimè constat Apostoli electionem penès totam fuisse Ecclesiam, & non penès Apostolos. Hæc verba [& constituerunt duos] ad centum & viginti non referenda sunt, verùm ad Apostolos, quorum nomina paulò antè in commate recensentur decimo tertio: & verbis protinus sequentibus orâsse & jecisse sortes perhibentur. Ad suum designatus est Apostolatum Matthias, sortibus jactis; & non ab Ecclesia electus. Bene vertis *συγκατεψηφίσθη numeratus*. Vox non innuit Matthiam calculis communibus electum fuisse: sed tantùm post sortes jactas (cùm hac in re satis innotuisset Dei mens) in Apostolorum numerum cooptatum. *T.*

Post hunc electi sunt in Apostolos Paulus, & Barnabas, de quorum electione legitur Act. 13. 1, 2, 3. *H.*

Hîc semel liceat notare, te hoc in capite electionem & ordinationem pessimè confudisse. Quem laudâsti locus non de electione agit Pauli & Barnabæ: verùm de ordinatione per manuum impositionem. Et ordinatio hæc non à tota peracta est Ecclesia: verùm à Prophetis & Doctoribus in Ecclesia Antiochena. *T.*

Sicut ab Ecclesia constituebantur Apostoli Matthias, Paulus & Barnabas, nempe Matthias ab Ecclesia Hierosolymitana, & Paulus cum Barnaba ab Ecclesia Antiochena: ità etiam in aliis civitatibus *H.*

Presbyteri

Presbyteri & Pastores ab Ecclesiis, quæ erant in civitatibus illis eligebantur. Legimus Act. 14. 23. Paulum & Barnabam Presbyteros in Ecclesiis ordinâsse; id quod accipi fortè ità potest, ac si Presbyteris autoritatem dedissent ipsi: Intuentibus autem textum aliter videbitur. Nam electio eorum fiebat per χειροτόνησιν h. e. manuum elevationem. Qui modus tunc in eligendo Magistratus civiles, in omnibus ferè civitatibus eodem tempore in usu erat. Presbyteros ergo suos unaquæque eligebat Ecclesia. Apostoli conventus Christianorum convocabant, in illis præsidebant, suffragia colligebant, & electum pronunciabant, & benedicebant, vel ut nunc loquuntur, consecrabant, sed non eligebant. c. 42. p. 251.

T. Qui textum intuetur & penitiùs succernit, colligere nihil aliud poterit præterquam Paulum & Barnabam Presbyteros elegisse, ordinâsse, & prædicandi autoritatem ex Christi præscripto eis dedisse. Hæc enim sunt verba, χειροτονήσαντες δὲ αὐτοῖς πρεσβυτέρους κατ' Ἐκκλησίαν· Et cùm constituissent illis per singulas Ecclesias Presbyteros. Non diffiteor vocem hanc χειροτονεῖν in significatu primigenio electionem innuere per populi suffragia: verùm autem idem ei contigit fatum, quod reliquis vocabulis. Usu arbitro, suæ primævæ significationis transiliit limites, & apud scriptores tum prophanos tum sacros usurpata est ad denotandum in genere electionem sive constitutionem, sive à populo, sive à Magistratu, sive ab ipso Deo peractam. Lucianus dicit Alexandrum Hephæstionem è vivis sublatum θεὸν χειροτονῆσαι Deum constituisse. Philo Judæus honorem commemorans in Josephum à Pharaone collatum ait, βασιλέως ὕπαρχος ἐχειροτονεῖτο, regis constituebatur vicarius.

Resurrectionis testes προκεχειροτονημένοι ὑπὸ τοῦ θεοῦ à Deo præconstituti dicuntur, Act. 10. 41.

Vocem loco, quem præ manibus habemus, hâc secundariâ

secundariâ accipi significatione patet ex eo, quòd τὸ χειροτονεῖν toti Ecclesiæ non tribuitur, sed Paulo & Barnabæ. Si creationem per populi suffragia in animo habuisset Sanctus Lucas, non dixisset Paulum & Barnabam per suffragia Presbyteros creâsse; verùm ipsum populum. Quod Paulus & Barnabas hîc faciunt, Cretæ facere jubetur Titus: verùm vox in Epistola ad Titum non est χειροτονεῖν, sed καθιστάναι constituere sive ordinare.

Quoniam ergo in omnibus Ecclesiis Pastores hoc modo eligebantur, ubi legimus Tit. 1. 5. Apostolos constituisse pastores aliquos, idem significat constituisse, quod χειροτονεῖν vel eligere per suffragia manibus elevatis data, vel fabis vel lapillis in urnam conjectis. In urbibus autem, ubi modus electionum alius nunquam visus fuerat, electionem aliusmodi cives omnes, sive ethnici, sive christiani admirati essent. Neque temporibus sequentibus Episcopi ipsi aliter electi erant quàm ab Ecclesiis singularium urbium, donec de electionibus cœptum est pugnari. p. 251. *H.*

Minimè patet ex sacra pagina aut antiquitatis monumentis in usu fuisse, ut Pastores eligerentur per populi suffragia. Quid hac in re loquatur Sacra Scriptura jamjam audivimus. Quantum spectat ad antiquitatis monumenta velim, ut hoc unicum Lampridii Testimonium in vita Alexandri Severi perpendatur, qui anno post obitum novissimi Apostolorum centesimo decimo ad clavum sedebat. Verba hæc sunt: *T.*

'Ubi aliquis voluit vel Rectores provinciis dare 'vel Præpositos facere, nomina eorum præponebat, 'hortans populum ut siquid haberet criminis, pro-'baret manifestis rebus; dicebátque grave esse non 'fieri in Provinciarum Rectoribus, cùm id Christiani '& Judæi facerent in prædicandis Sacerdotibus, qui 'ordinandi sunt.

Tria

Tria hîc sunt notanda, 1. Imperatorem immediatè citra populi suffragia rectores provinciarum constituere solere. 2. Nomina eorum quos constituere voluit, populo proponere, ut intelligeret, si quid criminis objici potuerit ad electionem impediendam. 3. Hac in re imitari Christianos, apud quos nomina ordinandorum recitari solebant, ut singulis de Ecclesia concederetur potestas declarandi, si quid de persona noverint eligenda ordinandáque, quod ordinationi foret impedimento. Hinc constat in Ecclesia primitiva, sicut Provinciarum Rectores non eligebat plebs Romana, ità nec Sacerdotes plebs Christiana. Ad electionem admittebatur plebs, ut testis, verùm non ut Judex, Plebe præsente facta fuit electio, sed non à plebe. Itaque gratis à te dicitur καταστῆσαι apud S. Paulum exponi debere per χειροτονεῖν apud Lucam. Si καταστῆσαι idem sit quod χειροτονεῖν in sensu primigenio, nimirum manum extendere in suffragii indicium, Tito soli id in mandatis non datum fuisset. Juxta sententiam tuam perinde ad populum spectat mandatum atque ad Titum. Totius cœtûs est χειροτονεῖν, h. e. suffragia dare per manuum extensionem. Quod insuper adjicis (quasi cives omnes traxisset in admirationem, si ab eo diversus, cui assueverant, introductus fuisset eligendi modus) nullius planè momenti est.

Apostolus in formando Ecclesiæ regimine non multùm admodum erat solicitus de cogitationibus quæ hominum subirent mentes, sed in omnes partes ad Christi præscriptum se componebat.

Quod quoque etiam asseris de Episcopis, (quasi illi à singularum urbium Ecclesiis electi fuissent, donec de electionibus pugnari cœptum est) solido nulli innititur fundamento. Consuetudinem contrariam invaluisse Alexandriæ patet ex Hieronymo,

Alexandriæ

Alexandriæ (inquit) à Marco Evangelista usque ad Heraclem & Dionysium Episcopos, Presbyteri semper unum ex se electum in excelsiori gradu collocatum Episcopum nominabant. Concilii Nicæni canon quartus statuit Episcopum maximè quidem ab omnibus, qui sunt in Provinciis, Episcopis constitui debere. Synodi Laodicenæ canon duodecimus quoque etiam hoc jus Episcopis tribuit comprovincialibus: & ejusdem synodi Canone decimo tertio statutum est, μὴ τοῖς ὄχλοις ἐπιτρέπειν τὰς ἐκλογὰς ποιεῖσθαι τῶν μελλόντων καθίστασθαι εἰς ἱερατεῖον· Quòd non sit permittendum turbis electiones eorum facere, qui in Sacerdotio constituendi sunt. Eò magìs sunt æstimanda hæc testimonia, quòd Damasi antiquiera sunt temporibus, ad quæ digitum videris intendere, ac si ibi tum cœptum fuisset pugnari de electionibus: utì verba innuunt proximè sequentia.

Confirmatur idem à diuturna in Episcopis ipsius *H.* Romæ eligendis consuetudine. Nam si in ulla civitate Episcopus in aliam sedem migraturus vel moriturus, successorem suum jus constituendi habuisset, multò magìs Episcopus Romanus illud jus habuisset. Successorem tamen suum Episcopus Romanus nunquam elegit, sed civitatis Romanæ Christiani, ut manifestum est ex seditione ortâ in electione Damasi præ Ursino, quæ tanta erat, ut Præfectus urbis, cùm pacem inter illos conservare conatus frustrà esset, exire à civitate conatus est, occisis in illa seditione plusquam centum hominibus in Ecclesia ipsa. c. 24. p. 251.

Si tibi visum sit Socratem & Sozomenem consulere, *T.* apud quos Damasum eligendi modus delineatus *Socr. l.4.c.* est, citra negotium intellectum habeas, Damasum à *24. p.670.* populo Christiano non fuisse electum. Summa rei *Soz. l.6. c.* hæc est. Liberio è vivis erepto, inter Damasum & *22. p. 385.* Ursinum dimicatum erat, quis Liberio in Episcopatûs admi-

administratione succederet. Damaso prælato, id ægrè tulit Ursinus, & quibusdam obscuris persuasit Episcopis, ut in occulto ipsum crearent Episcopum; quo facto, populum distrahebat Ursinus, & separatim agebat conventus. Divisâ autem multitudine, pars istum, pars Damasum pro Episcopo suo habuerunt; Tandem adeò exarsit seditio, ut ad vulnera & cædem esset deventum. Hic notandum, est in electione Damasi nullam populi factam esse memoriam, & Ursinum Episcopum fuisse creatum ab obscuris quibusdam Episcopis. Quod indicio est, Damasum non à populo sed ab insignioris notæ Episcopis fuisse electum. Si penès populum fuisset potestas constituendi Episcopum, citra dubium nullos Ursinus sequaces habuisset, utpote ab Episcopis in occulto constitutus. Haud credibile est, populum in sui præjudicium privilegii adhærere illi voluisse, qui in occulto ab Episcopis solis fuerat electus contra consensum populi. Porrò animadvertendum, seditionem suum non cepisse ortum inter eligendum; verùm electione peractâ. Cùm Damasus ab insignioribus Episcopis esset electus, nulla commemoratur seditio, donec conventus ageret Ursinus ab obscuris priùs creatus: & tunc demum in partes scindebatur populus nescius, quem pro suo agnosceret Episcopo. Hinc facile intellectu est, Damasum non à Christiana Civitatis Romanæ plebe fuisse electum: verùm ab Episcopis juxta Canonem Concilii Nicæni quartum, quem suprà commemoravimus,

H. Eligebantur ab Ecclesia etiam non ab Apostolo, Diaconi, utì patet, *Act. 6.* ubi legimus duodecim Apostolos, discipulos convocâsse jam multiplicatos, & dixisse illis, Non æquum est, derelicto verbo Dei, ministrare mensis. Deligite ergo fratres ex vobis viros septem testimonio ornatos, plenos Sp. Sancto, & sapientia, quos huic usui præficiamus. Unde mani-

festum

festum est, etsi declarati essent ab Apostolis, cœtus tamen illos elegit. Quod etiam manifestius fit v. 5. ubi dicitur, Placuit autem hic sermo præsenti multitudini, & elegerunt Stephanum virum plenum fide & Spiritu Sancto, & Philippum, &c. c. 42. p. 253.

T. Hæc, quæ protulisti omnia, minimè demonstrant ab Ecclesia eligi Diaconos, & non à viris solis Ecclesiasticis. Legimus quidem duodecim Apostolos convocâsse τὸ πλῆθος τῶν μαθητῶν v. 2. & τὸ πλῆθος elegisse Stephanum, &c. verùm discipulorum multitudine non designatur plebs ad fidem Christi paulò antè conversa, cujus in commate primo facta est memoria; sed discipuli septuaginta unà cum aliquot aliis, qui cum Apostolis convenerant toto tempore, quo Dominus Jesus in terris versatus est. Sicut ex hac turba Apostolus fuit electus Matthias, ità etiam Stephanus aliíque Apostolorum Diaconi. Ante Matthiæ electionem ex centum & novem viris hæc constabat multitudo, qui unà cum undecim Apostolis centum & viginti perhibentur, Act. 1. 5. A ratione prorsus alienum est arbitrari non plura tunc temporis quàm centum & viginti fuisse Ecclesiæ Christianæ membra. Legimus enim magnam ad Christum venisse multitudinem, Marc. 3. v. 8. multos credidisse in nomen ejus, Joan. 2. 23., Christum plures fecisse discipulos quàm Joannem. Haud dubiè non adeò sterilis fuit Christi prædicatio, ut ex doctrinæ semine non plures adhuc quàm centum & viginti nascerentur. Proinde per centum & viginti intelligamus oportet Apostolos, septuaginta discipulos, unà cum aliquot aliis, viris selectissimis, qui Christo comites se præbuerant, quamdiu in terris esset versatus. Hi non fuêre è numero plebis Christianæ, verùm sacrâ initiati ordinatione. Solenniter enim inaugurabantur die Pentecostes à Sp. Sancto, quem æquum est, ut credamus

Act. 1. 21.

credamus non incidisse unicè in Apostolos: verùm etiam in cæteros omnes è centum & viginti, qui
Act. 1. 15. ἐπὶ τὸ αὐτὸ eodem loci esse perhibentur. Quem-
Act. 2. 1. admodum protinùs à captivitate viri Synagogæ magnæ, qui se restituendæ religioni devoverant, erant numero centum & viginti, utì constat ex antiquissimis
Maimonid. Præf. in Jad. Hebræorum monumentis: ità extemplò post nostram à Spirituali Captivitate liberationem placuit Deo, ut idem numerus Christianam Synagogam, reformandæ propagandæque religioni unicè devotam constitueret. Viros hosce convocârunt duodecim Apostoli, Act. 6. 2. & in mandatis dederunt, ut ex sua eligerent fraternitate septem πλήρεις πνεύματος ἁγίου plenos Sp. Sancto, quem die Pentecostes acceperant; qui oneris, quod eatenus Apostolorum humeris incubuerat, fierent participes. Per πλῆθος τῶν μαθητῶν hosce intelligi viros, & non totam Christianorum multitudinem, nullo negotio intelligamus, si memoriá repetatur, totam Ecclesiam popularem jamjam ex aliquot Christianorum millibus constitisse; & nequaquam verisimile est Apostolos multitudinem adeò ingentem eo animo solo convocare voluisse, ut septem eligerent Diaconos. Quinetiam recognoscendum est, Apostolis τὸ πλῆθος convocandi ansam dedisse discordiam inter multitudinem, quæ divisa fuit in Hebræos & Hellenistas: Et vix ægrè concipi potest multitudinem jussu Apostolico fuisse congregatam ad agendas in sua ipsius causa arbitri partes. Itaque per πλῆθος τῶν μαθητῶν intelligamus necesse est septuaginta discipulos unà cum aliquot aliis viris selectis, qui vel ab ipso Christo vel à Sp. Sancto ad Ministerium Evangelicum solenniter devoti fuerant. Hi sunt illi, qui, Stephano morte prærepto, dispersi fuère, Evangelizantes Sermonem Dei, Act. 8. v. 4. Ex hisce omnibus fit manifestum, Diaconos electos fuisse à viris aliquot Ecclesiasticis, non à plebe Christiana.

Videamus

Videamus proximo loco, Ecclesiastici unde alebantur. Sub Testamento veteri, sacerdotii, munerúmque aliorum in Ecclesia capax erat sola Tribus Levi, &c. Sortem igitur Levitis dedit Deus illam, quæ ipsius Dei erat, nempe ut haberent fructuum omnium partem decimam, &c. H.

Deinde de alimentis Christi & Apostolorum hoc tantùm legimus, peram habuisse, quam Judas Iscariota portabat; Apostolos autem qui artem habuerunt, exercuisse. Etiam servator noster, quum duodecim Apostolos prædicaturos mitteret, comparare aurum & argentum vetuit, Mat. 10. 9. eò quòd operarius dignus esset alimento suo. c. 42. p. 253.

Post servatoris ascensum Christiani in unaquaque civitate de pecuniis alebantur communibus, &c.

Nec Apostolorum tantùm tempore, sed etiam postea usque ad tempora Imperatorum Christianorum Episcopi Pastoresque alimenta sua habuerunt à contributionibus fidelium voluntariis. De decimis mentio hactenus nulla, &c.

Quæreret hic fortasse aliquis; An Pastores vivere tunc ex contributionibus & Eleemosynis voluntariis obligarentur? Quis enim, dicit Sanctus Paulus, 1 Cor. 9. 7. militat propriis stipendiis unquam? Ex quo loco Pastores Ecclesiæ à gregibus suis alendos inferri rectè potest. Non autem ut quantitatem aut genus alimentorum ipsi definirent aut suo arbitrio quicquam sumerent. Necessariò ergo est, ut à singulorum contributionibus, aut ab Ecclesia ut personâ unâ nutrirentur. Ab Ecclesia fieri non potuit, quia acta eorum leges non erant. Sequitur Pastorum alimenta, antequam Imperatores summíque Imperantes de alimentis leges tulissent, alia non fuisse, quàm fidelium contributiones voluntarias. c. 42. p. 254.

In hac, de modo quo Ecclesiastici temporibus ante Imperatorum T.

Imperatorum conversionem alebantur, disquisitione, tum de facto tum de jure statuis. In eis de facto non invito animo tibi accedimus. De jure tecum non sentimus. Etenim non veremur asserere Ethnicos, quemadmodum, promulgato iis Evangelio, in Christum credere tenebantur, obligatos itidem fuisse ad alendum Apostolos decimâ bonorum suorum parte juxta Dei præscriptum. 1. In confesso est, sufficientem à populo reddi debere ministris Evangelicis mercedem, quâ honestè suas sustentent familias; ut curis mundanis non divellantur: sed citra distractionem tanti momenti incumbant muneri. Ordinavit Dominus, ut qui Evangelium annunciant, de Evangelio vivant, 1 Cor. 9. 7. Dignus est operarius mercede suâ, Mat. 10.

2. Merces hæc decimâ minor esse non debet bonorum parte; Sub lege enim à Deo ipso Levitis tribuebatur hæc portio. Et rationi dissonum est, ut par honorarium Ministris Evangelicis non appenderetur. Geminâ causâ Levitis sub lege numerabatur hæc portio, nimirum in agnitionem divini dominii, & compensationem operæ Sacerdotalis. Dominium Dei utpote non dispar sub Evangelio jam perinde agnoscendum est. Et Sacerdotis Levitici operi minimè postponendum est opus Ministri Evangelici. Enimverò omnibus numeris præcellentius est ministerium. Minister longè clarioribus animi dotibus ornandus est. Eò majora impendenda sunt studia in fungendo munere, quò difficilius est ὀρθοτομεῖν τὸν λόγον quàm bovem. Nec non longè optatior est, qui indè emergit, fructus.

3. Perquam idoneum est, ut bonorum portio Ministro Evangelico danda, lege præfiniatur: Si cuique esset relictum pro indole sua Eleemosynam dare, brevì Minister necessitate cogeretur, non solùm hodiernum panem oratione Dominicâ petendi in

Ecclesia;

Ecclesia ; verùm emendicandi ostiatim. Non ultrà alimoniam esset nacturus, quàm suam ad populi gustum attemperaret doctrinam ; & sic brevì præ olei defectu Tabernaculi lampas extingueretur.

4. Dei propriè est talem legem indicere. Hac in re homines arbitri idonei non sunt. Solenne est justas transilire lineas, & nimis parcâ vel largâ uti manu. Ad Tabernaculi structuram tam liberè contulit populus Israeliticus, ut caveatur lege, nè quid amplius ad opus contribueret. Tempore Apostolico, dum servatoris nostri adhuc caleret sanguis, tantus fuit zelus, tantáque Christianorum devotio, ut omnia venderent ad alendum tum clerum tum populum ad fidem Christi conversum. Regnante Decio, percrebuit fama in usu apud Christianos fuisse, offerre, fundis venditis, sestertiorum mille ; & summa pietas creditur nudare dulces liberos, inquit Romæ Præfectus. *Prudent. Hym.*

Hac nostrâ gente præ inordinata augendi Ecclesiæ bona cupiditate, lege cautum est, nè quæ prædia mortuam in manum, h. e. ad sacros usus sine Regio diplomate legari possint. *Opusc. de dec. p.141.*

Ex altera parte alii sunt numero longè superiores, qui Evangelium flocci faciunt, Ministros illius nullo numerant loco. Tanti eos plerique æstimant, quanti Crates Thebanus Medicum suum, Consiliarium, Philosophum, quibus coquum, meretricem, parasitum non dubitabat anteponere. *Diog. Laert.* τίθει (inquit) μαγείρῳ μνᾶς δέκα, ἰατρῷ δραχμὴν, κόλακι τάλαντα δέκα, συμβούλῳ καπνὸν, πόρνῃ τάλαντον, φιλοσόφῳ τριώβολον· Ponito coquo minas decem, medico drachmam, parasito decem talenta, consiliario fumum, meretrici talentum, philosopho triobolum. In vitiis alendis nulli parcunt sumptui, in Ministris nulli non parcunt. Ad instar Michæ decem siclos Levitæ sufficere opinantur ;

dum interea in Idola sua, h. e. in effrænatas & indomitas libidines, mille centum impendere non gravantur.

Quinetiam liceat adjicere Ministrorum alimoniam esse tributum Deo oblatum, quem devincimur de substantia nostra honorare. Ex ea re conqueritur Deus se esse spoliatum, cùm oblationes Levitis adimerentur: verùm Principis est de quota sui tributi parte statuere.

Pro. 3. 9.

5. Neutiquam verisimile est Deum in re tantopere necessaria suæ defuisse Ecclesiæ. Qui finem præfigit, solenne est ei, media pariter designare. Deus singulas Christi Ecclesias tanquam tot erexit candelabra, quibus ministros tanquam tot lumina inseruit. Ad hæc lumina alenda oleum perquam necessarium est. Si non satis infundatur, lux multùm admodum debilis & subobscura evadet. Si nimium, submergetur protinus & in fumum abibit. Itaque cùm adeò proclives sint homines vel avarâ vel prodigâ manu hoc oleum subministrare; arbitrari rationi perquam consonum est, Deum suæ prospexisse Ecclesiæ in re tanti momenti, & lege quotam partem fixisse.

6. Si paginam sacram excutiamus, constabit Deum voluisse, ut in Ministrorum mercedem sub Evangelio decima bonorum pars devoveretur. 1. Liquet Abrahamum Melchisedecho decimas persolvisse, Heb. 7. 2. Hasce Melchisedecho persolvit decimas non tanquam Regi sed tanquam Sacerdoti. Ex ea re hoc Abrahami factum commemorat Apostolus, ut ostendat Sacerdotium illius Levitico longè anteponendum esse; & proinde Christi Sacerdotium juxta ordinem ejus Levitico palmam præripere. 3. Melchisedecho tanquam sacerdoti has decimas impertitus est non ex solis Belli spoliis: verùm ex præcipuis bonis, quæ ἀκροθίνια appellantur. Cùm dictum

dictum sit, Abrahamum separâsse decimas ex omni re, quæ erat apud se, λάφυρα sola non sunt intelligenda. Nihil enim omnino nè vel filum vel corrigiam calceamenti sibi de præda retinuit. 4. Hasce decimas numerat Melchisedecho juxta legem. Instituitur enim inter Melchisedechum & Levitas comparatio. Verùm commate quinto dicuntur Levitæ præceptum habuisse decimarum accipiendarum. Ergo par est, ut credamus Melchisedecho itidem fuisse legem accipiendi decimas. Per totam enim comparationem Levitis longissimè præfertur. Verum multùm admodum nobilius & honorificentius est decimas accipere ex præcepto divino, quàm ex humano placito. 5. Non constat Deum hanc legem sub Evangelio refixisse. Coætaneam subeunt mutationem lex & pontificatus. Simul nascuntur & concidunt, Heb. 7. 12. Itaque cùm usque adhuc Melchisedechi maneat pontificatus, necesse est, ut idem de lege decimarum sentiamus.

Quinetiam, qualis ratio legis, talis est lex: verùm legis decimarum ratio sub novo Testamento perinde valida est, atque olim sub veteri. Nunc dierum Deus honore perinde afficiendus est. Ministri pariter alendi. Juxtà desideratur facultatum benedictio. Hisce in veteri Instrumento munitur rationibus lex decimarum. Porrò in novo nullibi abrogatur hoc præceptum. Ab antiquatis legibus est naturæ longè alienæ. Facta enim est in eis mutatio propter ipsarum infirmitatem & inutilitatem, Heb. 7. v. 18. Cæterùm in lege decimarum nulla est hujusmodi inutilitas. Verùm enimverò ex ea Ministerio Evangelico, è quo pendet salus nostra æterna, maximum accedit commodum. Hoc fulcro adempto, protinus in terram rueret hoc munus cœleste. Hinc est, quòd Apo-

 stolus

stolus jubeat, ut communicet is qui instituitur sermone, ei qui instituit illum ἐν πᾶσιν ἀγαθοῖς omnibus bonis, non πάντα ἀγαθὰ omnia bona, sed aliquam ἀπὸ πάντων partem, secundùm Abrahami fidelium patris exemplum. 6. Si hæc lex de decimis Melchisedecho solvendis non abolita sit, tum etiam Christo ipsi solvendæ sunt sacerdoti secundùm ordinem Melchisedechi. Eadem τάξις eadem jura postulat. 7. Si Christo solvendæ sint, tum vel in sua ipsius persona vel in Ministris. Christus ipse jam in Cœlis est, quò decimæ vehi nequeunt: Idcirco ei solvendæ sunt in Ministris, qui in terris ejus personam gerunt. Ex omnibus hisce simul collatis liquet, fideles ex Dei præscripto devinctos fuisse ad alendum Apostolos decimâ bonorum suorum parte.

2 Cor. 5. 20.

Quantùm ad ea quæ à te prolata sunt, regero: Quamvìs, Christo in terris agente, ejus alimenta nec non Apostolorum plurimùm penderent ex voluntariis contributionibus, quippe statui præsenti (in quo se exinanire statuerat, & decimæ etiam, Sacerdotio Levitico nondum abolito, erant solutæ) maximè consentaneis: tamen satìs innuere videtur decimas ex mortis suæ tempore in Ecclesia Christiana mansuras fore. Ubi etiam Pharisæos perstringit, eò quòd de minimis anxii essent, & res maximi momenti nihili facerent, decimarum solutionem non omittendam fore palàm declarat, Mat. 23. 23. ἔδει inquit μὴ ἀφιέναι. Nihil hujusmodi de lege Ceremoniali ad mortem suam desiturâ, tam solenniter dictum invenimus per totum Evangelium. Apud Dominum nostrum in more positum fuit legem istam gradatim è cardinibus amovere, & solicitè cavere, ne vel unum verbulum ex ore suo excideret, quod ad eam stabiliendam conferre videretur. Probè enim intellexit Judæos omnes ei

fuisse satis superque agglutinatos. Post servatoris nostri ascensum usque ad Imperatorum conversionem, quamvis præ deploratissimo Christianorum statu, ministri ad decimarum possessiones admitti non potuerint: tamen antiquitatis monumentis non desiderantur testimonia, quibus intellectum habeamus, quid jam tum de suo ad eas jure existimârint. Suprà ostensa dedimus, quæ in Epistolis Paulinis super hac re sunt conspicienda. Prætereo constitutiones Apostolicas, in quibus jus decimarum palàm asseritur; quippe nondum de earum inter omnes convenit autoritate.

Origenes circiter annum ducentesimum post Christum clarè pronunciat legem de decimis secundùm literam observandam esse. Nullius momenti est, quod regerit Seldenus ad labefactandum hoc luculentum testimonium, nimirum Origenem in Homilia laudata, se totum ad disserendum de primitiis accinxisse, & in conclusione mentionem omnino omisisse decimarum: verùm quid obsecro refert, si decimæ in conclusione non commemorentur, cùm eas in præmissis reperiri non diffiteatur? Origenes mandato de decimis utitur tanquam medio, ad demonstrandum jus Primitiarum. Verùm conclusionem nunquam ingreditur medium. *Homil. in num. 18.*

His adjici potest Cypriani testimonium. "Quæ "nunc ratio & forma in Clero tenetur, ut qui "in Ecclesia Domini ordinatione Clerica promo- "ventur, in nullo ab administratione divina avo- "centur, nec molestiis ac negotiis secularibus alli- "gentur, sed in honore sportulantium fratrum tan- "quam decimas ex fructibus accipientes, ab al- "tari & sacrificiis non recedant, &c. *Ep. 66. ed. Pam.*

Fratres sportulantes sunt qui sportulas, sive *mensurnas* divisiones accipiebant. *Sportula* nomine intelligendum est stipendium quod clericis per menses aut dies singulos ab Episcopis distribuebatur. Cùm à Cypriano dictum sit clerum sportulas tanquam decimas accipere, mihi videtur planè innuere, clero jam tum non defuisse jus accipiendi fructuum decimas.

Ex his liquet te plurimùm à veritate deflectere, cùm asseras, ante Imperatorum conversionem decimarum mentionem esse nullam.

Et jam incudi ea reddidimus omnia, quibus potestatem Ecclesiæ subruere conatus es : Coronidis loco te monitum volo, ut memoriâ reponas, potestatem, cujus suscepimus defensionem, esse ordinis vel jurisdictionis : Illa est potestas solenniter prædicandi, administrandi sacramenta, Ministros ordinandi, &c. Hæc triplex est, dirigens, judicans, exequens. Dirigens se exerit in Canonibus condendis. Judicans in expendendis more judiciali hominum actionibus ad Canonem. Exequens in excommunicandis immorigeris & absolvendis veram agentibus pœnitentiam. Potestas utraque, quamvìs quantùm ad originem, ad Christum Mediatorem & Redemptorem referenda sit, & ex ea re sit distincta à Civili, quæ Deo Mundi Rectori initium suum fert acceptum : tamen cùm intra Civilis potestatis dominia & territoria sit exercenda, quantùm ad exercitium à Magistratu Civili plurimùm pendet. Christus, qui fons est, alveum designavit, intra cujus ripas eam contineri voluit. Si non liberè fluat, Magistratûs est obicem amovere : Si exundet, & extra ripas diffluat, ad alveum proprium reducere ; & ex omni parte itâ moderari, ut Communitas, cui præest, nihil indè detrimenti capiat. Præ hac quoad exercitium dependentiâ

pendentiâ Regni ſtatutis declaratum eſt, Juriſdictionem Eccleſiaſticam eſſe unitam & annexam Imperiali hujuſce Regni Coronæ : & nullos Canones condendos eſſe citra regiam licentiam & aſſenſum. 1 Eliz. c.1.

Poteſtatis Eccleſiaſticæ originem Reges Angliæ ſibi non vendicârunt : ſed tantùm hujuſmodi moderamen, quantùm ad exercitium, quale delineavimus : " Eam ſc. prærogativam, quam in ſacris ſcripturis à Deo ipſo omnibus Principibus videmus ſemper fuiſſe attributam ; h. e. ut omnes ſtatus atque ordines fidei ſuæ à Deo commiſſos, ſive illi Eccleſiaſtici ſint ſive civiles in officio contineant, & contumaces ac delinquentes gladio civili coerceant. 25 Hen. 8. 19. Art. relig. 37.

Dogma

Dogma XXIX.

A Mose usque ad Saulis tempora summa potestas mansit in summo sacerdote, c. 40. p. 223.

H. IDem pactum (sc. quod cum Abrahamo initum) renovatum erat cum Isaaco, & deinde cum Jacobo, postremò cum Mose & Israelitis ad montem Sinai, ubi facti sunt Israelitæ in regnum Dei peculiare, rexítque eos sub Deo (pro suo tempore) Moses, cui succedere debuerunt summi sacerdotes, nempe, ut esset regnum Sacerdotale in perpetuum. p. 220. Mortuo Aarone regnum (quod erat Sacerdotale) virtute pacti ad Eliazarum pervenit filium Aaronis summum Sacerdotem, atque illum summam habere potestatem declaravit Deus eo tempore, quo Joshuam ducem fuit exercituum. Dicit enim Dominus, Num. 27. 21. Tolle Joshuam filium Nun virum, in quo est Spiritus Dei, & pone manum tuam super eum, qui stabit coram Eliazaro Sacerdote & omni multitudine, & dabis ei præcepta cunctis videntibus, & partem gloriæ tuæ, ut audiat eum omnis Synagoga filiorum Israelis. Pro hoc siquid agendum erit, Eliazar Sacerdos consulet Dominum. Ad verbum ejus egredietur & ingredietur ipse, & omnes filii Israel cum eo, & cætera multitudo. Belli ergo & pacis in Sacerdote potestas summa erat, &c. Post mortem Joshuæ usque ad regnum Saulis tempori intercedenti nota inditur passim in libro Judicum. *Quòd illis diebus non erat rex in Israel*, &c. Verùm si summæ potestatis non exercitium consideraverimus sed jus, mansit summa potestas etiam tunc in Sacerdote summo. Quæcum-

que

que ergo obedientia judicibus illis (qui à Deo ad libertatem populi sui è manu hostium extraordinariè electi erant) præstita fuerit, in argumentum trahi contra summi Sacerdotis summam potestatem non potest, neque in rebus politicis neque in divinis. Neque enim judices illi, neque ipse Samuel aliam potestatem habuit quàm extraordinariam & temporariam. Obeditúmque illis erat à populo non ex debito, sed ex reverentia, quam genuit in illis gratia divina in eorum prudentia, fortitudine, vel felicitate elucescens. c. 40. p. 222, 223, 224.

Ut mente capiamus in quo sita fuerit potestas summa à Mose usque ad Saulis tempora, præmittendum T.
est, 1. Potestatem innuere facultatem moralem administrandi communitatem, & in tribus se potissimùm ostendit, nempe in sanciendis legibus, judiciis ferendis, transgressionibus puniendis. 2. Hæc potestas tunc summa habenda est, cùm actus illius nullius hominis arbitrio irriti reddi possint. Jam nobis incumbit investigare, utrùm talis potestas intervallo à te commemorato penès summum Sacerdotem manserit. Si penitiùs consulantur sacra Oracula, nullus dubito quin constiterit, adversam sententiam ad veritatis similitudinem longè propensiorem esse. Non ingratiis concedis Mosem pro suo tempore summâ potestate fuisse præditum. Juxtà clarum mihi videtur, Mose fatis defuncto, hoc imperium ad Josuam & non ad summum Sacerdotem delatum fuisse. Legem enim ex Dei ore præscripsit ipsis Sacerdotibus de expugnanda Jerichunte. Judicis officium præstitit in exquirenda Achani prævaricatione; necnon in addiscendo prævaricatorem supplicio specimen summæ potestatis minimè obscurum exhibuit. Fœdus, quod Gibeonitæ cum Josua iniisse dicuntur, cum toto populo Israelitico initum fuit: quod indicio est, Josuam egisse in nomine totius populi.

Liceat

Liceat inferre vel ex impositione manuum Mosaicarum provinciam priùs ad Mosem spectantem in illum derivatam fuisse. Mortuo Joshuâ, summum imperium tyrannicum fuit aliquantisper penes Cananæos, qui Israelitas compulerant cervices jugo suo submittere. Contenti fuêre tributis in agnitionem suprematûs solvendis; jure Chiliarcharum, Centurionum, reliquorúmque inferiorum judicum interea permisso. Populo Israelitico ad id angustiarum redacto, ut ad Deum clamare impelleretur, Deo placitum fuit judicies excitare, qui imperium à Cananæis usurpatum sibi assererent. Hi belli tempore summâ pollebant autoritate; utì patet ex Gideonis & Jephthæ actis; necnon etiam aliquando bello finito. Hinc populus ad Deboram Judicii causâ confugere perhibetur: & Samuel dicitur quotannis conventus juridicos indicere. Veritati penitùs absonum est asserere, mortuo Aarone, regnum ad Eliazarum pervenisse. Si fas sit ex hisce verbis [pro hoc *Num.* 27.21. siquid agendum erit, Eliazar Sacerdos consulet Dominum, ad verbum ejus egredietur & ingredietur ipse & omnes filii Israelis] colligere summum imperium non ad Joshuam, verùm ad Eliazarum spectâsse; æquè bene inferas temporibus Davidis summam potestatem non ad Davidem, sed ad summum Sacerdotem pertinuisse. Quippe quòd Sacerdos ibi tum Oraculum consulebat, & David unà cum exercitu ad verbum prolatum solebat vel ad prælium egredi, vel regredi in castra. Quinetiam hoc ex loco non patet Joshuam populúmque Israeliticum egredi debuisse ad verbum Eliazari: sed tantùm ad verbum Domini è Pectorali loquentis. על פיו יצאו egredientur ad os ejus h. e. Jehovæ. Huic favet interpretationi versio Arabica. *Ingrediantur ex jussu Dei & egrediantur.* Cùm Urim consuleretur, non constat Oraculum à Sacerdote fusum fuisse: verùm

respondisse

respondisse Jehovam solum per insolitum Pectoralis fulgorem, utì opinatur Josephus; vel per vocem intra concavas Rationalis plicaturas formatam, utì nuperrimè ostensum est à viro doctissimo humanissimóque in sua de Urim & Thummim dissertatione.

Citra rationem etiam asseritur eo tempore, quo dictum est [diebus illis non erat rex in Israele] summæ potestatis exercitium solùm defuisse, verùm mansisse jus in Sacerdote summo. Si res ità sit, quare nunquam increpitus est summus Sacerdos ob incuriam in fungendo hoc munere? Proculdubio Spiritus Sanctus scelus adeò horrendum silentio sepeliri non pateretur. Ostende vel unum apiculum, ubi memoria hujus culpæ in sacris literis conspicienda est.

Cùm insuper innuas potestatem Judicibus & Samueli indultam in argumentum trahi non debere contra Sacerdotis potestatem summam, quippe potestas illa fuit extraordinaria; mihi videris errore teneri. Potestas illa extraordinaria censenda est, quæ est præter vel contra ordinem stabilitum. Verùm eo tempore nullus alius ordo à Deo institutus fuit. Regimen enim erat verè Theocraticum. Utque notum omnibus fieret Deum manu suâ sceptrum tenere, placuit ei aliquantisper interregna permittere, & tandem peculiari afflatu aliquem excitare, qui judicis officium præstaret. Hic fuit istorum temporum ordo. Itaque potestas judicibus concessa pro extraordinaria nequaquam censenda est.

Dogma

Dogma XXX.

Regnum Christi ante resurrectionem non incepturum est, c. 41. p. 227.

H. REgnum meum (inquit Christus) non est hujus mundi. Quoniam ergo post hunc mundum mundus futurus ille est, in quo terra nova & coeli erunt novi, i. e. post resurrectionem, manifestum est regnum Christi ante resurrectionem incepturum non esse. Id quod intelligi debet ex verbis Salvatoris nostri, Mat. 16. 27. Filius hominis veniet, &c. & tunc retribuet unicuique, &c. Jam retribuere unicuique secundùm opera sua idem est quod regnum administrare; & propterea Christus regnum exerciturus non est, antequam veniat in gloria patris, nempe post resurrectionem universalem. Quando Christus dicit Mat. 23. 2. Scribæ & Pharisæi sedent in Cathedra Mosis, omnia ergo quæcunque facere jubent, ea observate & agite; nonne apertè pro eo tempore non sibi potestatem summam sed illis tribuit? Sic etiam facit Luc. 12. 14. Quis me constituit Judicem aut divisorem super vos? Item Joan. 12. 47. Non veni ad judicandum, sed salvandum mundum. Attamen in hunc modum venit Christus, ut regnaret & judicaret, sed mundum futurum, &c. Item expressè dicit Sanctus Joannes, c. 5. 22. Pater judicat neminem, sed judicium omne commisit filio. Neque tamen repugnat hoc cum textu illo, Non veni ad judicandum mundum. Nam textus hic de mundo præsente, alter de mundo futuro loquitur: Sicut etiam textus ille Mat. 19. v. 28. ubi Christus dicit, Vos qui sequuti estis me in regeneratione,

neratione, cùm sederit filius hominis in sede majestatis suæ, sedebitis & vos super sedes duodecim, judicantes duodecim tribus Israel. c. 41. p. 227, 228.

Nequeo perduci, ut credam, regnum Christi ante novissimam resurrectionem non incepturum, donec diluta sint adversa argumenta, quorum plena sunt Sacra Oracula. Præcursor Messiæ palàm denunciat regnum cœlorum appropinquare, Mat. 3. 2. Regnum cœlorum est Christi regnum, sc. Ecclesiæ status sub Messiæ imperio, ubi omnia ad vitam cœlestem conducentia clarè patefecerit. Hoc regnum ἤγγικε appropinquavit in præterito: vox innuit saltem tempus non procul abesse, à quo initium suum esset ducturum. Christus ipse dicit, Sunt quidam de hic stantibus, qui non gustabunt mortem, donec videant filium hominis venientem in regno suo, Mat. 16. 28. Num existimas è discipulis aliquos etiamnum in vivis esse, & è vita non demigraturos ante secundum Christi adventum? Nimis dilutum est hæc verba (utì alibi facis) ad transformationem in monte referre, quæ contigit sex diebus interpositis. Cùm à Christo dictum sit aliquos è discipulis de vita non exituros ante illud tempus, palàm est illum longius temporis intervallum in animo habuisse. Nulli enim discipulorum ante transfigurationem extremum diem morte confecerunt. Ad Christi mentem facilem aditum habituri sumus, si loci scopum pensitemus. Cùm in priori commate de adventu in die novissimo egerat, ne discipuli regnum ejus in id tempus procrastinari putarent, & ex ea re animi discruciarentur, protinus subjungit, id brevì incepturum, sc. post suam ipsius resurrectionem; nimirum cùm in cœlum ascenderet, spiritum indè mitteret ad erigendum thronum in fidelium cordibus, hostium aliquos quamvìs pervicacissimos per vim miraculosam in sui obse- T.

quium

quium edomaret, eorum alios insigni interitu ad excidium Hierosolymitanum futuro extingueret. Ut hujus rei fidem faceret, transfigurationem lapsis sex diebus tanquam pignus concessit.

Immane dictu est, regnum Christi ante resurrectionem universalem non incepturum esse, cùm Sanctus Paulus id jam tum desiturum pronunciat. Tunc denique quoad externam οἰκονομίαν Patri reddetur, 1 Cor. 15. 24. Christus jam ad clavum sedet, Ecclesiam aureo tuetur sceptro, ferreo hostes comminuit. Ad extremum, cùm hostes eò fuerint redacti, ut ampliùs nocere nequeant, (quod scimus in die judicii fore) tum demum regnum tradet in manus Patris. Hisce concinit Matthæi illud de Christo, c. 28. *Omnis potestas mihi data est*, non *dabitur*; eo tempore, non seculo futuro. Num verisimile tibi videtur Christum protinus post suam ipsius resurrectionem potestatem regendi concessam habuisse, & tamen eam ante universalem resurrectionem non exerciturum?

Jo. 18.36. Textus à te prolati nullius erunt ponderis apud æquum arbitrum. Regnum Christi non est hujus mundi, h. e. non est mundani genii aut indolis, qualis erat imperium Romanum. ἡ αὐτοῦ βασιλεία οὐ κοσμικὴ μὲν οὐδ᾽ ἐπίγειος, ἐπουράνιος δὲ καὶ ἀγγελικὴ τυγχάνει· Regnum ejus non est mundanum, neque terrenum, verùm cœleste & angelicum: uti cognati Christi Domitiano respondent apud Eusebium. Notandum, Sacram paginam Ecclesiæ duplicem statum attribuere, alterum ante, alterum post Messiæ tempora. Prior à Judæis dicitur עלם הזה mundus hic, posterior עלם הבא mundus futurus, quibus concinit Apostolus, ubi illum αἰῶνα τὸν ἐνεστῶτα appellat, Gal. 1. 4. hunc αἰῶνα τὸν μέλλοντα, Heb. 6. 5. Cùm dicitur, Regnum meum non est hujus mundi, non sequitur id fore mundi futuri post ultimam resurrectionem.

Hist. Eccl. L. 3. *c.* 15. *p.* 65.

Si

Si Christus ad aliquem mundum futurum collimet, existimare convenientissimum est, eum esse statum Ecclesiæ protinùs à morte ipsius, qui nomine seculi futuri passim innotuit. Munus propheticum obiit, dum hæc vita supererat, sacerdotale in morte, regium post mortem non tantùm internè per spiritum, verùm externè per Apostolos & Pastores, qui in gubernanda Ecclesia versabantur. Cùm Christus venerit, ut unicuique secundùm opera retribuat, non personam regis induere incipiet, sed Judicis. Longè priùs partes regias sibi mandatas habuit. Jam singuli pro tribunali sistendi sunt, & diligenter excutiendi; utrùm ejus regimini per hujus vitæ curriculum se morigeros præstiterint. Cùm colligas ex Mat. 23. v. 2. (ubi in mandatis est, ut observentur, quæ Scribæ & Pharisæi in Mosis Cathedra docuerunt) Christum illis non sibi potestatem tribuere, perinde facis, ac si assereres Regem sibi summum potestatem adimere, cùm jubeat in diplomate, ut Magistratibus à se constitutis pareatur. Mandatum, ut obedientia potestati devolutæ præstetur, quali Scribæ & Pharisæi prædliti fuêre, summum imperium non labefactat. Christus hercìscundæ familiæ judicium sibi assumere noluit, ne praxi suâ Judæorum de regno temporali errorem foveret. Asserit quidem se venisse non ad judicandum, sed salvandum, Jo. 12. 47. verùm vox judicandi non partes regis, sed judicis denotat. Ex antithesi inter voces salvandi & judicandi palàm est, *judicare* accipi pro *damnare.* Christus in hac vita immorigeros regit, post mortem ad infernum damnabit. Textus ille Jo. 5. 22. *Pater omne judicium commisit filio,* non loquitur solùm de judicio in mundo venturo. *Δέδωκε* in præterito innuit saltem aliquam partem hujus judicii jam Christo concessam fuisse. Hujus rei insigne exemplum occurrit in veteri Testamento: *Pluit Dominus de cœlo à* *Luc.* 12.14.

Domino, Gen. 19. 24. Dominus Christus à Domino Patre, cui omne judicium crediderat. Locus Mat. 19. v. 28. minimè collimat ad mundum futurum post resurrectionem universalem; verùm ad Ecclesiæ statum post resurrectionem Christi inchoandum. Hoc innuit vox παλιγγενεσία, quæ non ad priorem sed posteriorem versûs partem referenda est. Comma addendum est post μοι, & omittendum post παλιγγενεσία. Ità enim legitur ab Interprete Syro, qui etiam vertit ἐν τῇ παλιγγενεσίᾳ ܒܥܠܡܐ ܚܕܬܐ *in seculo novo*. Hoc seculum novum à Christi resurrectione protinùs incepit. Modus Ecclesiam regendi per Apostolos Metaphorâ à regno Judaico desumptâ describitur, in quo Principes duodecim tribuum in sellis duodecim juxta regis solium sedebant. Hanc translationem Christo perquam familiarem fuisse patet ex Luc. 22. 29. ubi ampliùs adjicitur, Apostolos ejus mensæ assessuros ad exemplum procerum maximorum. Placuit Christo regimen Spirituale tropis à regimine sub veteri Testamento petitis depingere. In more positum est apud eos, qui Spiritui Sancto à manu fuêre, in novo Testamento cœlestia sub imagine terrestri describere.

H. Cùm Apostoli post resurrectionem Christi, cùm jam in cœlum ascensurus esset, Christum interrogaverunt Act. 1. 6. dicentes, Domine, si in tempore hoc restitues regnum Israel? Respondit illis Servator noster, Non est vestrum nôsse tempora & momenta, &c. id est, regnum meum nondum venit, nec præscietis vos, quando veniet; veniet enim sicut fur noctu, sed superveniet vobis Spiritûs Sancti virtus, per quam prædicatione vestrâ testimonium dicetis de resurrectione mea, & de operibus meis, & de doctrina, quam docui; ut credant in me homines, & vitam æternam expectent, cùm rediero. Quomodo hæc cum ad-

ven-

ventu regni Christi in Christi resurrectione congruant, non video: neque cum eo, quod dicit Sanctus Paulus, 1 Thes. 1. 9, 10. Conversi estis ad Deum à simulachris servire Deo vivo & vero, & expectare filium ejus de cœlis; ubi expectare Christum de cœlis idem est quod expectare adventum ejus in majestate regnaturi; quod necessarium, si regnum ejus jam antè aderat, non fuisset. Rursus si regnum Christi incepisset in resurrectione Christi, quam causam habent Christiani precandi hodiè, (ut faciunt) Adveniat regnum tuum? cap. 44. p. 296, 297.

Cùm discipuli Christum interrogatum eunt de regno terreno, quale pro more Judæorum esse futurum somniabant, nè verbulum ex ore ejus excidit ad alendam hanc opinionem. Nè minimum apicem de regno futuro commemorat. Quæstionem quippe inutilem, pro consuetudine sua responso apposito noluit dignari: verùm ad reprimendam inanem eorum curiositatem se protinùs accingit. Non vestrum est, inquit, nôsse tempora & momenta, quæ Pater posuit in sua potestate, h. e. non licet vobis in eis investigandis versari, quorum notitiam Pater ipse sibi soli vendicat. Ex hac re confestim eos ducit ad promissionem & mandatum, remedia ad cohibendam curiositatem perquam idonea. Accipietis, inquit, virtutem supervenientis Spiritûs. Apagite ergo somnium de regno terreno; vestrum est animo revolvere promissum de hoc spiritu, qui brevì in vos illapsurus est. Eritis mihi testes, idcirco nè meditemini terrena, quæ vobis in compendium mundanum cedant: sed parate vos, ut animo generoso & infracto de me & doctrina mea testimonium passim perhibeatis. Nihil hîc occurrit, quod non congruit cum Christi regno protinùs post suam ipsius resurrectionem. Expectare filium è cœlis apud Sanctum Paulum, 1 Thes. 1. v. 10. non est manere initium regni illius; verùm in spem *T.*

Dogma XXX.

Regnum Christi ante resurrectionem non incepturum est, c. 41. p. 227.

H. REgnum meum (inquit Christus) non est hujus mundi. Quoniam ergo post hunc mundum mundus futurus ille est, in quo terra nova & coeli erunt novi, i. e. post resurrectionem, manifestum est regnum Christi ante resurrectionem incepturum non esse. Id quod intelligi debet ex verbis Salvatoris nostri, Mat. 16. 27. Filius hominis veniet, &c. & tunc retribuet unicuique, &c. Jam retribuere unicuique secundùm opera sua idem est quod regnum administrare; & propterea Christus regnum exerciturus non est, antequam veniat in gloria patris, nempe post resurrectionem universalem. Quando Christus dicit Mat. 23. 2. Scribæ & Pharisæi sedent in Cathedra Mosis, omnia ergo quæcunque facere jubent, ea observate & agite; nonne apertè pro eo tempore non sibi potestatem summam sed illis tribuit? Sic etiam facit Luc. 12. 14. Quis me constituit Judicem aut divisorem super vos? Item Joan. 12. 47. Non veni ad judicandum, sed salvandum mundum. Attamen in hunc modum venit Christus, ut regnaret & judicaret, sed mundum futurum, &c. Item expressè dicit Sanctus Joannes, c. 5. 22. Pater judicat neminem, sed judicium omne commisit filio. Neque tamen repugnat hoc cum textu illo, Non veni ad judicandum mundum. Nam textus hic de mundo præsente, alter de mundo futuro loquitur: Sicut etiam textus ille Mat. 19. v. 28. ubi Christus dicit, Vos qui sequuti estis me in regeneratione,

neratione, cùm sederit filius hominis in sede majestatis suæ, sedebitis & vos super sedes duodecim, judicantes duodecim tribus Israel. c. 41. p. 227, 228.

Nequeo perduci, ut credam, regnum Christi ante novissimam resurrectionem non incepturum, donec diluta sint adversa argumenta, quorum plena sunt Sacra Oracula. Præcursor Messiæ palàm denunciat regnum cœlorum appropinquare, Mat. 3. 2. Regnum cœlorum est Christi regnum, sc. Ecclesiæ status sub Messiæ imperio, ubi omnia ad vitam cœlestem conducentia clarè patefecerit. Hoc regnum ἤγγικε appropinquavit in præterito: vox innuit saltem tempus non procul abesse, à quo initium suum esset ducturum. Christus ipse dicit, Sunt quidam de hìc stantibus, qui non gustabunt mortem, donec videant filium hominis venientem in regno suo, Mat. 16. 28. Num existimas è discipulis aliquos etiamnum in vivis esse, & è vita non demigraturos ante secundum Christi adventum? Nimis dilutum est hæc verba (utì alibi facis) ad transformationem in monte referre, quæ contigit sex diebus interpositis. Cùm à Christo dictum sit aliquos è discipulis de vita non exituros ante illud tempus, palàm est illum longius temporis intervallum in animo habuisse. Nulli enim discipulorum ante transfigurationem extremum diem morte confecerunt. Ad Christi mentem facilem aditum habituri sumus, si loci scopum pensitemus. Cùm in priori commate de adventu in die novissimo egerat, ne discipuli regnum ejus in id tempus procrastinari putarent, & ex ea re animi discruciarentur, protinus subjungit, id brevì incepturum, sc. post suam ipsius resurrectionem; nimirum cùm in cœlum ascenderet, spiritum indè mitteret ad erigendum thronum in fidelium cordibus, hostium aliquos quamvìs pervicacissimos per vim miraculosam in sui obsequium T.

quium edomaret, eorum alios insigni interitu ad excidium Hierosolymitanum futuro extingueret. Ut hujus rei fidem faceret, transfigurationem lapsis sex diebus tanquam pignus concessit.

Immane dictu est, regnum Christi ante resurrectionem universalem non inceptarum esse, cùm Sanctus Paulus id jam tum desiturum pronunciat. Tunc denique quoad externam οἰκονομίαν Patri reddetur, 1 Cor. 15. 24. Christus jam ad clavum sedet, Ecclesiam aureo tuetur sceptro, ferreo hostes comminuit. Ad extremum, cùm hostes eò fuerint redacti, ut ampliùs nocere nequeant, (quod scimus in die judicii fore) tum demum regnum tradet in manus Patris. Hisce concinit Matthæi illud de Christo, c. 28. *Omnis potestas mihi data est*, non *dabitur*; eo tempore, non seculo futuro. Num verisimile tibi videtur Christum protinus post suam ipsius resurrectionem potestatem regendi concessam habuisse, & tamen eam ante universalem resurrectionem non exerciturum?

Jo. 18.36. Textus à te prolati nullius erunt ponderis apud æquum arbitrum. Regnum Christi non est hujus mundi, *h.* e. non est mundani genii aut indolis, qualis erat imperium Romanum. ἡ αὐτοῦ βασιλεία οὐ κοσμικὴ μὲν οὐδ' ἐπίγειος, ἐπουράνιος δὲ καὶ ἀγγελικὴ τυγχάνει· Regnum ejus non est mundanum, neque terrenum, verùm cœleste & angelicum: uti cognati Christi Domitiano respondent apud Eusebium. Notandum, Sacram paginam Ecclesiæ duplicem statum attribuere, alterum ante, alterum post Messiæ tempora. Prior à Judæis dicitur עלם הזה mundus hic, posterior עלם הבא mundus futurus, quibus concinit Apostolus, ubi illum αἰῶνα τὸν ἐνεστῶτα appellat, Gal. 1. 4. hunc αἰῶνα τὸν μέλλοντα, Heb. 6. 5. Cùm dicitur, Regnum meum non est hujus mundi, non sequitur id fore mundi futuri post ultimam resurrectionem.

Hist. Eccl. L. 3. *c.* 15. *p.* 65.

Si

Si Christus ad aliquem mundum futurum collimet, existimare convenientissimum est, eum esse statum Ecclesiæ protinùs à morte ipsius, qui nomine seculi futuri passim innotuit. Munus propheticum obiit, dum hæc vita supererat, sacerdotale in morte, regium post mortem non tantùm internè per spiritum, verùm externè per Apostolos & Pastores, qui in gubernanda Ecclesia versabantur. Cùm Christus venerit, ut unicuique secundùm opera retribuat, non personam regis induere incipiet, sed Judicis. Longè priùs partes regiis sibi mandatas habuit. Jam singuli pro tribunali sistendi sunt, & diligenter excutiendi; utrùm ejus regimini per hujus vitæ curriculum se morigeros præstiterint. Cùm colligas ex Mat. 23. v. 2. (ubi in mandatis est, ut observentur, quæ Scribæ & Pharisæi in Mosis Cathedra docuerunt) Christum illis non sibi potestatem tribuere, perinde facis, ac si assereres Regem sibi summum potestatem adimere, cùm jubeat in diplomate, ut Magistratibus à se constitutis pareatur. Mandatum, ut obedientia potestati devolutæ præstetur, quali Scribæ & Pharisæi prædIti fuêre, summum imperium non labefactat. Christus herciscundæ familiæ judicium sibi assumere noluit, ne praxi suâ Judæorum de regno temporali errorem foveret. Asserit quidem se venisse non ad judicandum, sed salvandum, Jo. 12. 47. verùm vox judicandi non partes regis, sed judicis denotat. Ex antithesi inter voces salvandi & judicandi palàm est, *judicare* accipi pro *damnare*. Christus in hac vita immorigeros regit, post mortem ad infernum damnabit. Textus ille Jo. 5. 22. *Pater omne judicium commisit filio*, non loquitur solùm de judicio in mundo venturo. *Δέδωκε* in præterito innuit saltem aliquam partem hujus judicii jam Christo concessam fuisse. Hujus rei insigne exemplum occurrit in veteri Testamento: *Pluit Dominus de cœlo à* Luc. 12. 14.

R *Domino,*

Domino, Gen. 19. 24. Dominus Christus à Domino Patre, cui omne judicium crediderat. Locus Mat. 19. v. 28. minimè collimat ad mundum futurum post resurrectionem universalem; verùm ad Ecclesiæ statum post resurrectionem Christi inchoandum. Hoc innuit vox παλιγγενεσία, quæ non ad priorem sed posteriorem versûs partem referenda est. Comma addendum est post μοι, & omittendum post παλιγγενεσία. Ità enim legitur ab Interprete Syro, qui etiam vertit ἐν τῇ παλιγγενεσίᾳ ܒܥܠܡܐ ܚܕܬܐ *in seculo novo*. Hoc seculum novum à Christi resurrectione protinùs incepit. Modus Ecclesiam regendi per Apostolos Metaphorâ à regno Judaico desumptâ describitur, in quo Principes duodecim tribuum in sellis duodecim juxta regis solium sedebant. Hanc translationem Christo perquam familiarem fuisse patet ex Luc. 22. 29. ubi ampliùs adjicitur, Apostolos ejus mensæ assessuros ad exemplum procerum maximorum. Placuit Christo regimen Spirituale tropis à regimine sub veteri Testamento petitis depingere. In more positum est apud eos, qui Spiritui Sancto à manu fuêre, in novo Testamento cœlestia sub imagine terrestri describere.

H. Cùm Apostoli post resurrectionem Christi, cùm jam in cœlum ascensurus esset, Christum interrogaverunt Act. 1. 6. dicentes, Domine, si in tempore hoc restitues regnum Israel? Respondit illis Servator noster, Non est vestrum nôsse tempora & momenta, &c. id est, regnum meum nondum venit, nec præscietis vos, quando veniet; veniet enim sicut fur noctu, sed superveniet vobis Spiritûs Sancti virtus, per quam prædicatione vestrâ testimonium dicetis de resurrectione mea, & de operibus meis, & de doctrina, quam docui; ut credant in me homines, & vitam æternam expectent, cùm rediero. Quomodo hæc cum adventu

ventu regni Christi in Christi resurrectione congruant, non video: neque cum eo, quod dicit Sanctus Paulus, 1 Thes. 1. 9, 10. Conversi estis ad Deum à simulachris servire Deo vivo & vero, & expectare filium ejus de cœlis; ubi expectare Christum de cœlis idem est quod expectare adventum ejus in majestate regnaturi; quod necessarium, si regnum ejus jam antè aderat, non fuisset. Rursus si regnum Christi incepisset in resurrectione Christi, quam causam habent Christiani precandi hodiè, (ut faciunt) Adveniat regnum tuum? cap. 44. p. 296, 297.

Cùm discipuli Christum interrogatum eunt de regno terreno, quale pro more Judæorum esse futurum somniabant, nè verbulum ex ore ejus excidit ad alendam hanc opinionem. Nè minimum apicem de regno futuro commemorat. Quæstionem quippe inutilem, pro consuetudine sua responso apposito noluit dignari: verùm ad reprimendam inanem eorum curiositatem se protinùs accingit. Non vestrum est, inquit, nôsse tempora & momenta, quæ Pater posuit in sua potestate, h. e. non licet vobis in eis investigandis versari, quorum notitiam Pater ipse sibi soli vendicat. Ex hac re confestim eos ducit ad promissionem & mandatum, remedia ad cohibendam curiositatem perquam idonea. Accipietis, inquit, virtutem supervenientis Spiritûs. Apagite ergo somnium de regno terreno; vestrum est animo revolvere promissum de hoc spiritu, qui brevì in vos illapsurus est. Eritis mihi testes, idcirco nè meditemini terrena, quæ vobis in compendium mundanum cedant: sed parate vos, ut animo generoso & infracto de me & doctrina mea testimonium passim perhibeatis. Nihil hîc occurrit, quod non congruit cum Christi regno protinùs post suam ipsius resurrectionem. Expectare filium è cœlis apud Sanctum Paulum, 1 Thes. 1. v. 10. non est manere initium regni illius; verùm in spem *T.*

venire de adventu ejus ad obeundas supremi judicis partes, ubi obedientibus vitam æternam, immorigeris mortem adjudicaverit. Cùm Christiani precantur, ut regnum Christi adveniat, non innuunt id usque adhuc non omnino venisse (jam antè accessit ad omnes, qui in ejus obsequium traditi & exhausti sunt) sed ex hac re Patrem cœlestem adeunt, ut hoc regnum indies magìs magísque propagetur, ut veniat ad loca, ubi nihil adhuc de nomine Christi auditum est, & ad personas, quæ nondum se ejus regimini submiserunt. Christus eò loci regnare dicitur, ubi eò usque corda hominum edomuerit, ut regno Satanæ valere jusso, non ingratiis regimini ejus tum interno tum externo cervices suas submittant. Cùm hoc non adhuc evenerit per totum terrarum orbem, perquam necessarium est, ut Christiani hac prece thronum gratiæ solicitarent, *Adveniat regnum tuum.* Quamvis hoc regnum in aliquibus locis & personis statim à resurrectione Christi inceperit: tamen necubi apicem & fastigium suum attingit.

Dogma

Dogma XXXI.

***Christus venit ut Deo Patri per pactum novum restitueret regnum, quod à populo in electione Saulis rejectum est,* c. 41. p. 228.**

Quod attinet ad officium ejus regium, ostensum antè est regnum ejus incepturum non esse ante diem judicii, &c. Etiam tunc non aliter rex erit, quàm sub Patre suo: sicut Moses in deserto, & ut Sacerdotes summi ante regnum Saulis, & sicut reges post illum; sic enim dicit Deus, Deut. 18. 18. Mosem alloquens, Suscitabo illis prophetam ex medio fratrum suorum similem tibi, & ponam verba mea in ore ejus. Similitudo autem hæc cum Mose apparet etiam in servatoris nostri actionibus. Sicut enim Moses elegit duodecim principes tribuum, qui sub se regerent: ità servator duodecim elegit Apostolos, qui sedebunt super duodecim thronos, & judicabunt duodecim tribus Israelis. Et sicut Moses autoritatem dedit 70 Senioribus prophetandi ad populum: ità servator noster 70 ordinavit discipulos ad prædicandum. Et sicut coram Mose cùm quereretur quidam, esse qui (præter 70 seniores) prophetârunt in castris, Moses factum eorum approbavit: ità servator noster, conquerente Joanne, quòd essent, qui nomine ejus ejiciebant Dæmonia, factum approbavit dicens, Luc. 9. 50. Nè prohibe, nobiscum enim est, qui non est contra nos. Etiam in institutione Sacramentorum tum admissionis in regnum Dei, tum commemorationis Servator noster Mosem & Abrahamum imitatus est, &c. p. 230. *H.*

Quoniam ergo autoritas Mosis subordinata erat, & ipse

ipse Dei prorex, sequitur etiam Christum, cujus autoritas, in quantum erat homo, erat similis autoritati Mosis, sub Deo Patre suo regnaturum esse. Id quod significatur etiam in eo, quod precari nos docuit, Pater noster, adveniat regnum tuum, & tuum est regnum, potentia & gloria, & ex eo, quod dicitur, Veniet in gloria Patris sui, & ex eo quod dicit Sanctus Paulus 1 Cor. 15. 24. Deinde finis cùm tradiderit regnum Deo & patri, & ex aliis locis nonnullis. p. 230, 231.

T. Priusquam de scopo statuas, ad quem Christus in adventu suo collimavit, an sc. eâ gratiâ cœlitùs descenderit, ut regnum à populo in electione Saulis rejectum restitueret, tibi perpendendum est, cujusmodi regnum id fuerit. Ut ejus indoles te non lateat, memoriâ repetendum est, regnum tria significare, vel regis ditionem, vel universos in ditione sive regentes sive regimini subditos, vel regiminis modum. Ditio Israelitici regis ultra terram Cananæam non fuit protensa; personæ in hac ditione fuêre Hebræi; modus regiminis Theocraticus. Deus ipse ad clavum sedebat modo peculiari, aliis gentibus, quas tamen providentiâ suâ gubernat, non communi. Judices usque ad Saulem extraordinario Spiritûs afflatu donabat, & tanquam vicarios & proreges constituebat, quos nihil in arduis moliri voluit, se inconsulto. Ex ea re copia adeundi sacrum oraculum illis fuit concessa, ut mentem divinam docerentur, cùm negotia difficiliora tentanda essent: In casibus apertis & manifestis triplici lege, morali, ceremoniali, judiciali populum regebat. En regnum ante Saulis tempora! Jam tentemus, an Christus ad hoc regnum restituendum venerit.

Si primo significatu regnum sumas, digitum intende ad textum, unde constet Christum in animo habuisse populo Israelitico eandem ditionem intra terram Cananæam

nanæam restituere. Ad aliquod longè præstantius adipiscendum in mundo comparuit, sc. statum felicitatis omnibus numeris absolutum in tertio cœlo, ubi glorificati beatificâ visione in æternum perfruuntur.

Si secundo, demonstra Christum eâ gratiâ solummodò venisse, ut Hebraicam gentem solam beatam redderet. Ex Hebræis enim solis constabat regnum ante Saulis tempora, paucis proselytis exceptis. Manifestum est Christum in redemptionem populi per totum orbem disseminati venisse, & non tantùm unius gentis. Insuper in regno ante Saulis tempora Hebræorum alii boni, alii erant mali: verùm in regnum cœleste, quod Christus Sanguinis sui precio mercatus est, nihil impurum ingredietur.

Si tertio, tibi evincendum incumbit Christum carnem nostram induisse ad recuperandum regiminis modum, qui ante Saulis tempora invaluit. Deus erat Rex: Judices Proreges: In casibus extraordinariis nihil agebant, Deo inconsulto: In ordinariis ad normam legis in monte datæ se componebant. An existimas Christum sub Deo Patre proregem esse futurum nullo alio modo, quàm Judices in gente Israelitica? In negotiis arduis oraculum in Pectorali consulere solebant Judices. An Christus idem est facturus, cui omnia aperta & intellectu facilia sunt? Quoad cætera omnia Judices sive Sacerdotes lege in monte traditâ utebantur. Num existimas Christum venisse, ut totam hanc legem redintegraret? ut renovaret mandata ceremonialia, quæ tantùm usque ad tempus correctionis posita fuêre, Heb. 9. 10? An ad credendum inductus es Christum Sacerdotium suum secundùm ordinem Melchisedeci depositurum, quod æternum dicitur, & id resumpturum secundùm Aaronis ordinem, quod temporibus Mosis & Sacerdotum obtinuit? Intellectu capi nequit, quomodo

modo idem modus regiminis restitui possit, legibus iisdem non restitutis.

In patrocinium hujus insolentis dogmatis trahis verba Jehovæ Mosem alloquentis: *Suscitabo illis prophetam similem tibi*, Deut. 18. 18. Conatus tuos inflectis ex hisce evincere, Christum esse regem futurum Mosi similem post resurrectionem universalem: cùm Moses in textu non sub nomine regis aut Legislatoris, sed prophetæ solius commemoratur. Si Christus quoad munus propheticum ad Mosem quàm maximè accedat, non indè sequitur, illum Mosis effigiem gerere in regio. Quin-etiam similitudo, de qua textus loquitur, non est futura post universalem resurrectionem. Verba in veteri Testamento accommodantur in novo ad æ-
Act. 7. 37. vum, quo Christus in carne comparuit, & è mortuis resurrexit. Act. c. 3. 22. Petrus hunc locum ex ea re censuit citandum, ut populum Judaicum induceret Christi doctrinam jam tum pronis auribus accipere. Argumenti summa est hæc; Deus olim suam astrinxit fidem prophetam Mosi similem suscitare cui auscultandum esset. Jesus Christus est ille propheta. Ergo Christo auscultandum est. Libenter agnoscimus actiones à te commemoratas aliqualem similitudinem inter Mosem & Christum patefacere, dum uterque in terris ageret. Verùm quid hoc confert ad evincendum Christum regem fore Mosi similem post resurrectionem universalem? Actus à te recensiti in hac vita peracti fuère; idcirco si similitudinem quoad regium officium arguant, in hac vita sit oportet hæc congruentia, non autem vitâ futurâ. Similitudinis relatio his actionibus fundatur, relatio autem à fundamento divelli nequit. Partes regis Mosi, dum in vivis erat, fuêre mandatæ; ergo si Christus Mosem reddat, necesse est, ut in hac vita incipiat regnare. Cùm adjicias

Christum

Christum sub patre post universalem resurrectionem fore regnaturum significari in eo, quo precari nos docuit, *Pater noster, adveniat regnum tuum, & tuum est regnum, potentia & gloria*, ab orationis scopo plurimùm aberras. Hæc verba *regnum tuum* non significant regnum patris solius, sed trium personarum in Sacrosancta Trinitate; inter quas inæqualitas nullum capessit locum. Hoc patet ex dictis in Orationis limine, *Pater noster, qui es in cœlis*. Pater, quem discipuli alloqui jubentur, totam Trinitatem complectitur. Precatio est cultûs divini actus: & omnis cultus debito modo præstitus toti Sacrosanctæ Trinitati exhibetur. Cùm essentia infinita, unicum honoris religiosi fundamentum, cuique personæ communis sit, non licitum est unam personam, exclusis reliquis, precibus devenerari.

Οὔτε τριὰς πολύσεπτος, ἐπεὶ φύσις ἐστ' ἀτμήτος. Nazian. in carm. p. 164.

Neque Trinitas cultu divisa est, quia natura est indivisibilis.

Si per Patrem in cœlis intelligamus totam Trinitatem, Regnum itidem verbis sequentibus, Adveniat regnum tuum, tuum est regnum, &c. significat regnum totius Trinitatis, nimirum Patris, Filii, & Spiritûs Sancti. Si fas sit indè inferre Christum sub Patre regnaturum post universalem resurrectionem, æquè bene concludas, Patrem & Spiritum Sanctum Proreges esse futuros, quippe regnum in Oratione est ipsius Christi imperium. Haud gravatè concedimus Christum in gloria Patris venturum; verùm non ad inchoandum regnum, sed ad fungendum judicis munere: ut qui regali ejus potestati in hac vita se submiserunt, cœlesti felicitate

tate donentur; qui ejus abnuerunt imperium, ad luendas pœnas damnentur. Testimonium novissimè prolatum contra te apertè militat: ubi Sanctus Apostolus dicit, Christum in resurrectione Deo & Patri regnum traditurum, palàm declarat penès Christum ante diem resurrectionis summam imperii fuisse. Alteri tradere non possumus, quod in manu nostra priùs non tenuimus.

Dogma

Dogma XXXII.

Si quis fidelis à Principe suo legitimo jubeatur dicere se non credere in Christum, licitum est obedire, c. 42. p. 234.

SI quæratur, quid si jubeamur à Principe nostro legitimo dicere, quòd non credamus, obediendúmne est? Respondeo, &c. Christianum hominem in rebus hujusmodi, si corde in Christum credat, eandem habere libertatem quam concessit Naamano Syro Propheta Elisha. Conversus erat Deo Israelis in corde suo Naamanus, dixítque, 2 Reg. 5. 17. Hoc autem solum est de quo depreceris Dominum pro servo tuo, quando ingredietur Dominus meus in Templum Rimmon, ut adoret, & illo innitente super manum meam, si adoravero in Templo Rimmon, adorante eo in eodem loco, ut ignoscat mihi Dominus servo tuo pro hac re. Hoc illi Propheta concessit respondens, Vade in pace. Naamanus hîc credidit corde Deum verum, adorando autem videri voluit non credidisse, ne offenderet Regem suum. p. 234. *H.*

Si principi ità jubenti parere licitum sit, tum fas est mandatum Dei, hominis mandato postponere, vel saltem oportet, citra ullum scrutinium pro præcepto divino habere, quicquid à Principe legitimo imperatur. Opinor te prius non dicturum. Quippe alibi *Lev. c.* 33. *p.* 176. asseris, *Imperantium omnium Imperator est Deus, & illi à civibus præstanda est obedientia quicquid in contrarium jubet Rex terrenus. De obedientia Deo præstanda controversia nulla est, sed quando & quid locutus est Deus.* Si posteriori accedas, ac si id, quod Deus mandavit, ab iis, quibus *T.*

nulla

nulla data est revelatio, sciri non possit, nisi per Principem legitimum, hoc abunde refutatum dedimus in examine Dog. 12, 14. quò te mitto, ne actum agerem.

Perlibenter tibi concedo Naamanum corde credidisse. Verùm unde tibi constat illum in animo habuisse, ut non credidisse videretur, ne regem suum offenderet? Si veritatem Hebraicam consulas, liquebit verba longè aliter sonare. Ità enim vertenda sunt: Dominus condonet servo tuo hanc rem. Cùm Dominus meus venit in domum Rimmon ad incurvandum se, & innixus est manui meæ atque incurvavi memet in domo Rimmon, Dominus ignoscat servo tuo pro hac re. Non loquitur Syrus de futuro, sed de peccato præterito, quod obnixè petit, ut condonetur: voces, quas in futuro reddis, alibi occurrunt apud scriptores sacros in præterito, ut בבוא Ps. 51. v. 1. בבוא אליו נתן cùm venit ad eum Nathan. Et והשתחויתי Ex. 33. 10. והשתחוו איש פתח אהלו Et incurvabat se quisque ostio tabernaculi sui. Quemadmodum voces hunc sensum non recusant: ità scopus loci eum efflagitat. Syrus gratitudinis in testimonium de sanitate recuperata pollicetur commate proximè præcedente, se jam nulli dehinc Deo præterquam Jehovæ sacrificium oblaturum: Et jam supplex petit, ut id criminis, quod antehac commiserat, sibi vitio non vertatur, sed sempiternâ sepeliatur oblivione. Cùm jamjam tam amplum germanæ pœnitentiæ specimen exhibuisset, Propheta secundùm tenorem fœderis pronunciat, Deum, in illum priùs offensiorem, jam placatum esse. Ex ea re jubet, ut in pace abeat. In loco laudato nè minimus apex occurrit, qui errori tuo patrocinetur. Interpretationem hanc eò avidiùs amplectimur, quippe analogiæ fidei apprimè convenit. Quicunque negat me coram hominibus,

bus, ego negabo illum coram patre meo, qui est in cœlis.

Respondebimus illum, qui subditus est, ut erat Naamanus, & à rege suo ad aliquid, quodcunque id sit, facere coactus est; ità ut non sponte suâ sed in ordine ad obedientiam legibus patriis faciat, factum illius non est; nec illi imputandum: sed Regis i. e. civitatis factum, & legibus imputandum: neque ille est, sed Rex, qui negavit Christum. Si quis doctrinam hanc cum Christianitate sincera non satis consentire dicat, libenter ab eo doceri velim, si in civitate Christiana contingeret habitare Mahometanum aliquem eundem civem, illúmque civitatis illius Rex adorare Deum ritu Christiano in Ecclesia juberet, sub mortis pœna: utrùm is Mahometanum illum in conscientia mortem pati obligatum esse diceret, potiùs quàm legi patriæ suæ obedire. Si dicat debere mori, privatis civibus omnibus libertatem concedit, principibus suis, pro religione sua privata sive verâ sive falsâ obedientiam Regibus suis legitimis denegare. Si dicat debere adorando obedire, tunc sibi permittit & jus postulat quod aliis negat, quod est verbis Servatoris nostri contrarium, dicentis, Quicquid vultis, ut faciant vobis homines, id facite illis; & contra legem naturæ (quæ est lex Dei æterna & indubitata) Ne facias alteri, quod tibi fieri non vis. p. 234, 235. *H.*

Siste pedem paulisper & in memoriam revoca, quicquid à te liberè factum est contra Dei voluntatem, tuum est peccatum. Fingamus Magistratum hæc duo tibi proponere, sc. vel idolo sacrificare, vel mori. Ad utrumque non cogit. Propositionis disjunctivæ utraque pars non est necessaria. Optio tua hæc est, utrum horum elegeris: propterea si sacrificare malles, id liberè facis, & quod à te liberè factum est contra legem divinam, tuum est peccatum. *T.*

Eò

Eò cumulatius & gravius est hoc delictum, quòd minus bonum anteponas majori, fragilem vitam sempiterni Dei honori, quem Idololatria non parum labefactat. Quod spectat ad dilemma de Mahometano, regero, Mahometanum debere adorando obedire; neque indè licet inferre me jus postulare, quod aliis nego. Jus non obediendi mihi assumo, cùm Magistratus id præstari jusserit, quod legi divinæ adversatur. Mahometano adimo, cùm in mandatis det, quod eidem legi consentaneum est. Nihil hîc assero verbis servatoris nostri contrarium: Quicquid vultis, ut vobis faciant homines, id facite illis. *Quicquid vultis*, &c. i. e. quicquid postulatis ab hominibus non iniquè, sed juxta rectæ rationis dictamen, danda est opera, ut id aliis præstetur. Si Magistratus jubeat, ut agatur quod jus divinum temerat, potestatem non parendi postulo: propterea quòd hoc rationi rectæ consonum est. Satius est Deo quàm homini obedire. Idem jus Mahometano concessurus sum. At verò si postulat non parendi potestatem, ubi jubet Magistratus, ut Deum ritu Christiano colat, studio rei ardet, quod à ratione sana penitus abludit. Lex sive Christi sive naturæ non exigit, ut in tali casu copia detrectandi imperium indulgeatur.

Ut compendifaciam; Omnes Martyres antiquos, qui Evangelii veritatem sanguine suo signârunt, vel crassæ ignorantiæ vel prodigiosæ temeritatis insimulas. Si doctrina hæc illis innotuisset, quàm facile fuerat cuivis eorum respondere, cùm ad sacrificandum Idolis impellerentur, Sacrificabo, non est meum, sed Imperatoris peccatum. Te Magistro, mollius fatum, quàm lapidibus obrui, Stephano obtigerat. Protinus artem servandi tum sanguinem tum conscientiam doceri potuisset. Si hæc doctrina sanctos illos veritatis defensores non lateret, temeritatis

ritatis crimen illis impingendum est, utpote qui vitæ & animæ nimis prodigi fuêre. An arbitraris illos vitam citra necessitatem projecisse?

Respondebimus, homines, qui Religionis causâ occisi sunt, distinguendos esse; eorum enim alii ad prædicandum vocati & missi fuerant, & regnum Christi palàm profiteri in se receperant; alii rursus vocati non erant, neque ab iis requirebatur amplius, quàm sua cujusque fides propria. Priores, si mortem passi sunt eo nomine, quòd huic articulo [Jesum à morte resuscitatum esse] testimonium præbuerunt, Martyres propriè dicti sunt, &c. *H.*

Unicus articulus fidei est, pro quo mori Martyris nomen honorificum meretur; est autem articulus ille, Jesum esse Christum, &c. Si quis ad articulum illum prædicandum missus non fuerat, sed consilio suo facit, etsi Testis sit Christi primarius, &c. non tamen ob eam rem mortem pati obligabatur. c. 42. p. 235. *H.*

Omnes Christiani, quamvìs ad prædicandum missi non sint, tamen ad Christum palàm agnoscendum, ubicunque opportunitas sese obtulerit, & ad non abnuendum in ullo casu vocantur. Quâ ratione inductus es, talem virum honorifico Martyris nomine spoliare, qui mallet mortem subire, quàm suo officio deesse, mihi non patet. Martyris nomen non unicè testibus resurrectionis competit; verùm etiam omnibus, qui veritatem cœlitùs detectam sive ante sive post Christi Tempora sanguine suo ratam dederunt. Recensitis iis, qui sub lege veritatis causâ mortem perpessi fuerant, in 11. c. Ep. ad Hebræos, Apostolus illos Martyres appellat, Heb. 12. v. 7. En Martyres ante Messiæ resurrectionem! Nimis confidere nequeo ratiociniis tuis, cùm tibimetipsi contradicere videaris. Primùm asseris illos solos Martyris propriè dicti nomen mereri, qui huic articulo, [Jesum *T.*

à

à morte resurrexisse] testimonium præbent: deinde neminem hoc titulo ornari debere, nisi qui moritur pro hoc articulo, [Jesus est Christus.] Hæc congruere nequeunt, nisi hæ propositiones identicæ sint: *Christus è mortuis resurrexit. Jesus est Christus.* Verùm propositiones illæ pro identicis nequaquam habendæ sunt, quarum altera vera est, cùm altera fuerit falsa. Jesus erat Christus ante resurrectionem. Cùm adjicias, si quis ad articulum illum prædicandum missus non fuerit, mortem pati non obligatur, Testimonium Ecclesiæ Catholicæ impugnas. Omnes cujuscunque sortis, sive Clerici sive Laici, qui Persecutione æstuante, Christum negabant, monumentis antiquis lapsorum nomine indigitantur, & pœnas Ecclesiasticas solvere tenebantur, priusquam ad communionem admitti potuerint.

H. Scis permultos fuisse Christianos paulò ante Synodum Nicænam bonos quidem sed non fortissimos, qui morte & tormentis ostentatis, fidei Christianæ renunciârunt. Quas putas pœnas in tales statuisse Nicænam illam synodum generalem? In canonibus illius synodi decimus nonus est, quo statuitur eos qui citra tormenta & pericula id facerent, redire debere ad Catechumenos; at de illis, qui negârunt intentatâ morte, nihil statuitur. *Append. ad Lev.* c. 3. p. 364.

T. Non solùm illi, qui citra necessitatem, sed qui vi coacti Christum pernegaverunt, à tota Ecclesia reatum non mediocrem contraxisse habebantur. Helcesaitæ, qui asseruêre licitum esse ἐν ἀνάγκαις, h. e. cùm necessitas eò compulerit, fidei renunciare, modò in corde esset retenta, passim pro hæreticis damnantur. In seculis antiquioribus, qui tale crimen perpetraverant, ad fidelium communionem non amplius fuerunt recepti. Hinc Tertullianus inquit, Neque Idololatriæ neque sanguini pax ab Ecclesiis redditur.

Euseb. Hist. Eccl. l. 6. c. 31. p. 172.

Epiph. Her. 7. l. 2. tom. Petav. animadv. 228.

Tempore

Tempore procedente, disciplina Ecclesiastica mollior & mitior esse incepit. Hinc undecimus canon concilii Nicæni, quem tu sequens editionem Arabicam undevicesimam appellas, non obscurè lapsorum duas classes indigitat, quarum altera citra tormenta, altera tormentis coacta à Christo ad Idola deflexerat. Cùm statuat de relegandis hominibus primæ classis ad catechumenos, inter quos (relaxata superiori disciplina) decrevit duodecim tantùm annos terendos esse, priusquam ad Ecclesiæ pacem restitui possent, nullatenus supponit, illos qui Christum coacti pernegaverant, in Synodi æstimatione tanquam inculpatos, & ab omni crimine immunes stetisse. In Canone enim proximè præcedente, omnes sive vi sive citra vim labantes palàm damnantur, ὅσοι προεχειρίσθησαν τῶν παραπεπτωκότων, &c. quicunque ex lapsis ordinati sunt sive per ignorantiam aut dissimulationem, deponendi sunt. Num credis Concilium hanc pœnam lapsis quibuscunque infligere voluisse, si eorum aliquos omnis culpæ immunes esse autumâsset?

Dogma XXXIII.

Novum Testamentum ante Constantinum Magnum non fuit lex, sed consilium tutum, quod unusquisque accipere vel rejicere suo periculo potuit sine injustitia, c. 42. p. 246, 247.

H. REpugnat enim naturæ legis. Lex enim (ut suprà dictum est) mandatum est illius sive hominis sive cœtus, qui summam habet in civitate authoritatem, legúmque ferendarum jus, transgressorúmque puniendorum solus habet. Quando ergo alius quicunque præter illum regulas vivendi Civibus præscribit, regulæ illæ leges non sunt, sed consilium, quale sive bonum sive malum, is cui consilium datur, observare vel negligere potest absque injustitia, *&c.* c. 42. p. 246, 247.

T. Ut teneamus, an Novo Testamento jure attribui potuerit legis nomen ante Constantini tempora, sedulò pensitanda est Legis natura. *Lex est regula subdito data à superiore authoritatem habente.* Nihil amplius excogitari potest ad complendam ejus naturam necessarium. Talem regulam superioris autoritate signatam, sive à *ligando*, propterea quòd ejus virtute divincti & ligati essent inferiores; sive ab *eligendo*, quippe regularum optimæ & communitati maximè salubres à legislatoribus eligi solerent; sive à *legendo*, quòd usitatum esset eam literis mandatam columnis in foro affigere, ut ab omnibus legeretur, legis nomine insignire soliti sunt Antiqui. Novo Testamento applicari potuerunt ante Constantini tempora singulæ hujusce definitionis partes.

Consule Epis. Linc. prælect. 5. de legum hum. oblig. 158.

1. *Regula*

1. *Regula* fuit; Ità enim nuncupatur in Epist. ad Galatas. ὅσοι τῷ κανόνι τούτῳ στοιχήσουσι, quicunque justa hanc regulam incedent, c. 6. v. 16. Nulla in hac re Christianorum praxi potior est evidentia, quibus solenne fuit jam olim ante Constantini tempora fidem & mores suos ad hanc normam componere.

2. Regula fuit *subdito data*; Christi enim discipulis imponebatur.

3. Subdito imposita *à superiori autoritatem habente*. Deus ipse, de cujus potestate non ambigitur, eam dedit sancitam, uti constat ex Dei & Ecclesiæ testimonio in superiore exercitatione illustrato. Ne actum agerem eò remittendus es. Hinc Evangelium nuncupatur lex fidei, Rom. 3. 27. Lex spiritûs vitæ, Rom. 8. 2. Lex libertatis, Jac. 2. 12. Immò ab ipso Constantino νόμος σωτήριος in edicto suo apud Eusebium. Intuenti locum facilè constabit, Constantinum supponere jam olim extitisse hanc legem, & non recèns constitutam esse. Re ità se habente non immeritò trahimur in admirationem, quòd asserere non reformides, novum Testamentum naturæ legis repugnare. Et ne penderet nobis animus quid per *legem* intelligamus, protinùs subjicis hanc definitionem. *Lex mandatum est illius sive hominis sive cœtûs, qui summam habet in Civitate authoritatem, legúmque ferendarum jus, transgressorúmque puniendorum solus habet*. Hisce verbis definitur vel Lex *generatim* considerata, vel *speciatim*, scilicet lex Civilis.

De Constan. vita, l. 2. c. 25.

Si lex *generatim* definiatur, tum in nulla civitate vires habet lex pura puta divina. Quippe omnis lex est mandatum illius, qui summam habet in civitate authoritatem, & proinde apud Christianos, quà tales, per tres primas Centurias nullum omnino peccatum patratum fuit. Ubi nulla est lex, nullum est peccatum. Si *legem civilem* unicè definias, tum cùm

S 2 asseras,

asseras, novum Testamentum legem non fuisse ante Constantini imperium, perinde est ac si diceres id non fuisse legem Civilem ante Civilis Magistratûs mandatum. Plurimum gratiarum de hoc profundo mysterio tibi ab orbe Christiano debetur. Proculdubio grande sophos undique mereris. Vel ipsis tonsoribus notum est, tam vetus quàm novum Testamentum legem civilem esse non potuisse ante Civilis Magistratûs edictum. Cæterùm utriusque pars quæque multò antè fuit lex divina, nimirum simulatque Deus suam in hac parte voluntatem signis sufficientibus, sc. internis characteribus, & operibus externis miraculosis manifestam fecisset.

H. Quatenus non differunt Scripturæ à legibus naturæ, dubium non est, quin sint leges Dei: authoritatémque habent omnibus, qui ratione naturali præditi sunt, manifestam. Sed authoritas hæc alia non est, quàm quæ doctrinæ omni morali, si vera sit, attribuenda est. Si leges à Deo factæ sint, nempe leges divinæ positivæ, nullâ accedente authoritate humanâ, illis solis leges sunt, quibus Deus ipsas ità promulgavit, ut nulla ipsis per ignorantiam relinquatur excusatio. Illi igitur, quibus Deus non revelavit supernaturaliter, quòd Scripturæ ab illo sint, vel eos, qui illas prædicant, ab eo missos esse, nullâ, ut eas recipiant, authoritate obligantur, præterquam ejus, qui summam habet in civitate potestatem. Is enim legislator est. Rursus, si authoritas civitatis non sit, quæ Scripturas facit esse leges, authoritate aliquâ privatâ, aut publicâ id fiat. Si privatâ, is solus ad obedientiam tenetur, cui Deus illas supernaturaliter pro legibus dictavit, &c. Sin Scripturæ leges fieri non possunt sine autoritate publica, autoritas illa Civitatis erit, vel Ecclesiæ. At Ecclesia, si una persona sit, eadem res est cum civitate, quæ, quia constat ex hominibus Civitas, quia constat ex ho-

minibus

minibus Christianis, Ecclesia appellatur. *Lev.* c. 33. p. 181, 182.

Scripturas Sacras in duas diducis partes, quarum altera ex naturæ legibus, altera ex positivis consistit. Non invitus fateris eas quatenus naturæ leges sunt, esse leges Dei, & ab omnibus obsequium vendicare, qui ratione naturali præditi sunt: verùm quatenus continent leges positivas, ità eas neminem obstringere, nisi quatenus ab autoritate civili imperantur. Propterea quòd hâc authoritate non interpositâ, nemini sufficienter promulgantur, eis solis exceptis, quibus à Deo supernaturaliter revelatæ sunt. Verùm sciendum est, Deum ità revelare posse & in publicum proponere leges suas etiam positivas, ut seculis futuris ab eis, quibus prima revelatio non fuit indulta, intelligi possit, citra novam revelationem aut Magistratûs autoritatem, eas cœlitùs datas fuisse. 1. Libenter intelligerem, unde fit, quòd leges hasce à Deo sancitas fuisse intelligat Magistratus; an subsidio mediorum quæ propria & peculiaria sunt Magistratui, vel communia Magistratui & subdito? Si propria, dic quænam sint. Inter subditum & Magistratum præter autoritatem nihil interest; cujus equidem ope leges queat imponere: verùm non acutior evadere ad dignoscendum, quæ leges à Deo proveniant. 2. Similiter Leges Dei positivæ seculo Apostolico sancitæ nobis innotescant, atque leges hujusce regni ducentis abhinc annis latæ, quamvis seculo nostro ab autoritate Civili non confirmentur. Pendet in hac re certitudo nostra ex Archivis publicis, communitatis sigillis, constanti omnium praxi ab eo seculo, quo latæ fuerunt, usque ad hæc nostra tempora. Horum nihil est, quin ad leges Dei positivas accommodari possit. Stant in procinctu publica Ecclesiæ monimenta, ipsius Legislatoris sigilla, & constans Christianorum praxis ad perhibendum luculentissimum

T.

hæc in re testimonium. 3. Media sufficientia nobis provisa sunt ad dijudicandum citra autoritatem civilem, quæ leges sint divinæ. Leges Dei positivæ spectant ad fidem vel ad cultum. Harum autoritatem promulgavit Deus mediatè, vel immediatè. *Mediatè* per testimonium præsentis Ecclesiæ, traditionem constantem antiquæ ab Apostolico seculo usque ad hæc tempora, per constantiam Martyrum, qui liberrimè suum profuderunt sanguinem ad consignandum cœlestem earum originem.

Immediatè, per opera miraculosa in earum confirmationem præstita, necnon per criteria interna. Leges enim divinæ luce quâdam nativâ donatæ sunt, quæ legislatorem abscondi & celari non patitur. In legibus civilibus plerumque tantum refulget sapientiæ, ut nemo in dubio esse possit, quin compositæ fuerint à viris altissimæ prudentiæ. Proculdubio non dispares sapientiæ supernæ characteres valet Deus suis etiam legibus imprimere, adeò ut clam neminem sit, unde suam originem derivârunt. De voluntate ejus hac in re iniquum esset vel tantillum ambigere: cùm liquidissimè pateat eum voluisse, ut verbum suum, non ut sermonem hominum sed Dei exciperemus; quod accidere nequit, nisi ejusmodi internâ induatur evidentiâ, quæ per se citra ulteriorem revelationem divinam patefaciat autoritatem. Si quis legem de fide in secundam Sacrosanctæ Trinitatis personam tanquam humani generis redemptorem suo revolvat animo, & totum salutis mysterium suis momentis pensitet, nullus dubito, quin facilè inductus sit ad credendum quòd sapientiam plusquam humanam aut Angelicam resipiat. Nihil apud Ethnicorum solertissimos par huic legi occurrit, licet multum admodum sua inflecterent studia ad explorandum, quâ ratione à naturæ vitiis & calamitatibus se expedirent. Quantum spectat ad Dilemma tuum, nimirum,

mirum, Si autoritas Civitatis non sit, quæ scripturas facit esse leges, autoritate aliquâ aliâ, vel privatâ, vel publicâ id fiet. Si privatâ, is solus ad obedientiam tenetur, cui Deus illas supernaturaliter pro legibus dictavit. Si publicâ, autoritas illa erit Civitatis vel Ecclesiæ. Regero, Autoritas publica est, quamvis neque civitatis, neque Ecclesiæ solius, scilicet autoritas ipsius Dei, quæ cuique menti extrinsecùs per præsentis Ecclesiæ testimonium, antiquæ traditionem, intrinsecùs per gratiæ auxilium præparatæ, se in criteriis internis refulgentem evidenter demonstrat. Non pendemus ab infallibili Ecclesiæ autoritate, ut notitiam autoritatis Scripturarum adipiscamur: verùm ad ecclesiam tanquam ad sacræ paginæ custodem confugimus. Ecclesia est quasi arca Testamenti. In dubiis ad arcam festinamus. Verùm autem fides nostra ultimò non in arcam: sed in Testamentum inibi repositum resolvitur.

Ex hisce liquet totam Scripturam legem factam fuisse ante Magistratûs civilis edictum, & proinde novum Testamentum ante Constantini tempora. Si in Christo quippe ante diem resurrectionis non regnaturo autoritatem defuisse arbitreris; contrarium suprà demonstratum videas in examine Dog. 30. Regni enim sui Tyrocinium longè ante Constantini imperium posuerat.

Quoniam servator noster regnum suum in hoc mundo esse negavit, & non ad judicandum, sed ad salvandum mundum venisse se affirmavit, non aliis legibus nos subjecit, quàm legibus civitatis, nempe Judæos quidem legibus Mosaicis, (ad quas non evertendas sed implendas venisse se dicit, Mat. 5.) Gentes autem alias civitatum suarum legibus civilibus; & genus humanum universum legibus naturalibus. Manifestum ergo est Christum & Apostolos ejus nullam novam legem, quæ nos in hoc mundo obligaret, sed novam tantùm doctrinam attulisse, quâ *H.*

ad mundum futurum præpararemur: & proinde Testamentum novum, in quo doctrina illa continetur, quamdiu non essent Principes & Legislatores, qui observationem ejus imperarent, non erat lex, sed ad perducendos homines ad salutem consilium tutum quod unusquisque accipere, vel rejicere suo periculo potuit sine injustitia. p. 247.

T. Regnum Christi non est ex hoc mundo, h. e. non est mundanæ indolis & genii. Versatur enim in eis, quæ ad statum futurum spectant. Perperàm inde colligis, Christum nos non aliis subjecisse legibus quàm civilibus. Cùm hortetur Christi Spiritus, ut eis geratur mos, qui præsunt in domino, legem à civili sive Romana longè diversam palàm indigitat, cui Christianus quilibet cervicem suam submittere tenetur. Cùm asseras, Christum Judæos legibus Mosaicis subjecisse, Gentes autem alias civitatum suarum legibus civilibus; recognoscendum est, quòd legum Mosaicarum triplex est Systema, morale, ceremoniale, judiciale. Si systema morale sc. Decalogus tibi in animo sit, verissimum est, Christum venisse, ut hoc systema stabiliret, utì videre licet in Matthæi capite quinto, quod ad legem hanc unicè collimat. Verùm tamen sciendum est, quòd huic normæ Gentes perinde ac Judæos Christus subjecerit. Non existimandum est Christum pauciores hisce legibus subjecisse, quàm Moses olim subjecerat. Verùm enimvero Moses decem præcepta non solùm Ecclesiæ tradidit Judaicæ; sed etiam populo universo in quocunque seculo per orbem disseminato. Ex hac re Stephanus Protomartyr, qui Judaicæ religioni nuncium remiserat, & se totum addixerat Christianæ, in sua pro se

Act. 7. 38. aliisque Christianis Apologia Mosem viva eloquia (h. e. הדברים, quæ Deus ipse pronunciâsse, & suo ipsius digito descripsisse perhibetur) excepisse asserit, ut nobis traderet. Hinc etiam Sanctus

Jacobus

Jacobus eos alloquens, qui sua Christo nomina dedi- *Jac. 2.*
derant, hortatur, ut legem regalem perficerent se- *v. 8.*
cundùm Scripturam. νόμος βασιλικὸς est Decalogus, *v. 11, 12.*
uti constat ex mandatis sexto & septimo commemoratis. Hoc insignitur titulo, utpote in Testamenti arca repositus, cui corona majestatis regiæ insigne imponebatur. Quinetiam jubentur Christiani, ut hanc legem perficiant secundùm Scripturam, hoc est, secundùm traditionem Mosis in V. T. literis mandatam. Hinc Apostolus, ut Ephesii ad obsequium quinto mandato præstandum alacriores fierent, promissionis ei appensæ fecit memoriam. Si præceptum unà cum promissione quatenus à Mose traditum non ad Ephesios perinde spectaret atque ad Judæos, vires & nervos suos penitùs amitteret hortatio Apostolica. Quid attinet Ephesiorum animos ad obedientiam erigere conari promisso ad eos nullatenus spectante? Facilè enim regeritur, Deum populo Judaico & non vobis Ephesiis fidem suam dedisse.

Hinc etiam Sanctus Paulus de lege loquitur ve- *Rom. 3. 19.*
teri Testamento complexâ, cujus condemnationi
obnoxius est totus mundus. Theophilus Antioche- *L. 3. ad*
nus quoque, etiam commemorans δέκα κεφάλαια de- *Autolycum*
cem præcepta, hæc adjicit verba, τούτου μὲν οὖν τοῦ θείου *p. 123.*
νόμου διάκονος γεγένηται Μωσῆς ὁ καὶ θεράπων τοῦ θεοῦ παν- *Just. M.*
τὶ μὲν τῷ κόσμῳ· Hujus divinæ legis minister fuit *Par.*
Moses, & famulus Dei universo quidem mundo.

Si cùm leges Mosaicas nomines, Systema ceremoniale aut judiciale habeas in animo, absonum quidem
est asserere, Christum Judæos eis subjecisse. Ex *Eph. 2. 14.*
hisce enim legibus conditus erat paries intergerinus, quo populus Judaicus à gentibus divisus fuit. Verùm hanc maceriam carne suâ dissolvisse ipse
Christus dicitur. Ejusmodi ritus ad tempus cor- *Heb. 9. 10.*
rectionis impositi fuêre. Non minima libertatis

pars,

pars, quâ Judæos ad fidem conversos donavit Christus, immunitas est à legum Ceremonialium
C. 12.v.1. jugo. Hinc asserit Methodius mulierem in Apoc. Ecclesiam esse justitiæ sole indutam, & Lunam νομικήν, quam Christus sub ejus pedibus subjecerat.

Si Christus Gentes alias legibus Civitatum suarum quibuscunque morigeros esse voluit: tum ubi Diaboli cultus lege civili stabilitus est, Cives ex præscripto Christi Diabolum divino honore afficere tenentur. Legimus quidem servatorem nostrum eo animo in mundum venisse, ut Diaboli opera pessundaret; verùm antehac inauditum est, apparuisse eum, ut Diaboli stabiliret opera.

H. Servator noster Apostolis & discipulis mandatum dedit, ut prædicarent regnum Dei appropinquare, ut nationes omnes docerent, & credentes baptizarent; ut ubi non reciperentur, pulverem ejus civitatis pedibus suis excuterent; sed non ut ignem ex cœlo ad destructionem eorum postularent, neque ut eos ad fidem Christi gladio cogerent, &c. Non potuerunt ergo Apostoli ipsi facere ut doctrina eorum vim haberet legum, &c. p. 247.

T. Undique tuum diffluit argumentum, & fatescit rimis. Concludis enim Apostolos facere non potuisse, ut sua legis vim haberet doctrina: Cùm asseramus omnes doctrinam Apostolicam legem fuisse factam non ab Apostolis, sed ab ipso Deo. Præcones erant Apostoli ad hanc legem promulgandam constituti. Et ut ubique fidem facerent, Deo placitum fuit illis literas (uti dici solent) credentiales concedere, nimirum potestatem præstandi miracula, quibus se cœlitùs missos fuisse demonstrarent.

Quinetiam, supponis legem nullibi esse posse, nisi ubi gladius est, quo ad pœnas corporales legi appositas persolvendas cogantur transgressores. Verùm notandum 1. Pœnam non pertinere ad legis essentiam.

sentiam. Duo enim sunt ejus munera, scilicet indicare subditis, quid sit agendum, deinde eis obligationem imponere ad agendum juxta datum indicium. Lege vel semel promulgatâ, hæc duo peracta sunt, etiamsi nulla pœnæ facta sit memoria. In Decalogo nulli ex præceptis præterquam secundo & tertio appensa est sanctio; & tamen statim à promulgatione non dubitandum est, quin populus Israeliticus confestim suum intellexerit officium, & ad singula pariter fuerit devinctus. Pœna est munimen, quo plerumque Legislatori placet suam legem circumvallare. Quemadmodum domus vallo munita remaneret domus, etiamsi deturbaretur vallum: ità etiam lex suam non deponeret naturam, etiamsi legislatori visum esset pœnam adimere, quâ eam priùs communiverat. Pœnam ad obligationem legis constituendam non esse absolutè necessariam satis declarant Jurisconsulti. Distinguunt enim inter obligationem naturalem & civilem. Naturalis gladii Civilis auxilio sæpenumerò destituitur. Plerumque enim ità accidit, ut in foro humano, nulla contra delinquentem sit actio. Huc referri solet obligatio, quæ pupillo incumbit; si intelligens quod agit contraxerit sine autoritate Tutoris; & quæ hæredi ex voluntate Testatoris Testamento minùs solenni declaratâ. Obligatio Civilis, etiamsi pœnis corroboratur, iis tamen non constituitur. Emergit enim ex Imperantis qualitate, sc. auctoritate tanquam fonte primario. Hinc auctorari idem est quod obstringi & obligari. Nulla, quod scio, pœna insolubili vinculo legi annectitur præter displicentiam Imperantis. Qui subdito suum imponit placitum, eodem declarat actu se ægrè laturum inobedientem. Ubi pœna nulla est alia, offensam remittere est iram deponere & non diutiùs ægrè ferre. 2. Etiamsi nullibi lex esset nisi ubi pœna & gladius, quo ad eam subeundam cogantur

cogantur transgressores, nihilominùs doctrina Apostolica Legis naturam induere potuisset ante Constantini imperium. Enimverò Deo, cujus est hanc doctrinam in legem formare, nunquam defuit gladius ad sumendum supplicium corporale. Legem de cœna Dominica despiciebant Corinthii, & hujusce contemptûs pœnas cœlo dabant, ægritudine alii, alii verò morte.

Ipsis etiam Apostolis non defuit virga, quâ juxtà atque gladio infligatur supplicium. Hâc enim lucis usuram Ananiæ & Saphiræ ademit Petrus, Elymam
2 Cor.10.6. visu orbavit Paulus. Hinc est, quòd asserat se in promptu habere ἐκδικῆσαι quo ulciscatur omnem inobedientiam: & ἀποτομίαν suam commemorat pro
Hom. 15. jure, quod ei concesserat Dominus. Chrysostomus,
in 1 *Ep.ad* Ambrosius, Hieronymus opinantur Apostolum in-
*Cor. l.*1. *de* cestuosum Satanæ tradidisse, ut ulceribus & ægritudine
*pœn. in c.*5. *ad Gal.* corporis vexaretur.

Resipere videntur hæc omnia non solùm consilium sed imperium. Apostolos emisit Christus non tantùm sicut oves ad lupos: verùm etiam tanquam pastores ad oves; quibus licuit, quamvis non sceptro, tamen pedo uti ad oves in unum cogendas. Regimen Ecclesiæ Apostolicum non tantùm suasorium fuit, verùm etiam declarativum quoad fidei doctrinam, necnon constitutivum quoad ritus & externum ordinem. Etenim suam interposuêre autoritatem, ut hoc pacto litem inter Judæos & Gentiles dirimerent & sopirent in Synodo Hierosolymitana.

H. Id quod Testamentum novum, quo tempore Ecclesia à potestate civili non protegebatur, legem videri fecit, erant decreta in suis ipsorum synodis facta. Legimus enim Act. 15. 28. Concilii titulum: Visum est Sp. Sancto non imponere vobis onus majus quàm necessaria hæc, &c. Quo titulo potestas aliqua videtur significari, in illos, qui fidem amplexi erant,

erant, imponendi onera, id est, ut aliquibus videri potest, obligandi; unde inferunt, illius Concilii acta fuisse leges. Leges tamen non magis sunt, quàm præcepta hæc, pœnitemini, &c. p. 247.

Non est, quod asserere metuamus Synodi Hierosolymitanæ decretum fuisse legem: cùm in eo reperiantur omnia ad legem constituendam requisita, nimirum materia, forma, efficiens, finis. T.

I. *Materia.* Perquam necessarium est, ut justa & æqua sit legis materia. Ejusmodi fuisse hoc decretum liquidò constabit, si res paulò altiùs repetatur. Antiochiæ Quæstio agitata fuit utrùm Gentiles eandem recipientes fidem non tenerentur pro more Proselytorum justitiæ circumcidi, atque etiam toti legi Mosaicæ obtemperare. Apostoli Hierosolymis juxta magni Synedrii consuetudinem coacti, ut hanc litem finirent, statuerunt tandem, nullum illis imponendum esse onus, præterquam quod proselytis domicilii imponi solebat, nimirum, ut septem Noachidarum servarent præcepta; eximium officii humani erga Deum, homines, bruta animalia compendium. Erga Deum. In primo idola non sunt colenda: In secundo benedicendum est sanctum Dei nomen. Erga homines. In tertio à furtis & rapinis abstinendum est: In quarto sanguis humanus non est fundendus: In quinto ab incestis nuptiis est temperandum: In sexto judices sunt creandi, qui juxta hæc mandata jus dicerent. Erga bruta animalia. In septimo membrum vivi animalis non est comedendum. Cùm licentiam ad comedendam carnem concederet Deus, Gen. 9. 3. ità præfinita fuit facultas, אך בשר בנפשו דמו לא תאכלו tantùm carnem in anima ejus sanguine ipsius non comedetis, h. e. Bruto nondum mortuo, dum ipsius in sanguine vita remanet, caro natans in sanguine comedenda non est. Palàm est non interdictum esse hoc in loco sanguinem

guinem seorsim à carne; quippe caro etiam commemoratur. Nec sanguinem in morticinis; indultum enim fuit proselytis domicilii istiusmodi carnem comedere, Deut. 14. 21. Si textus de morticinis, aut bestiis, sanguine earum non prius emisso, sit intelligendus; dictum esset, non comedetis sanguinem in carne, & non carnem in sanguine, sive animâ, quæ est sanguis, h. e. αἷμα ἐν κρέατι & non κρέας ἐν αἵματι uti vertitur locus à Græcis Interpretibus. Ex ea re protinus à diluvio interdicta fuit comestio membri vivi animalis; quippe in veteri mundo, facultate ad carnem comedendam haud dum concessâ, solenne fuerat bruta animalia tam inclementer & atrociter tractare. Præceptorum horum aliquot saltem vestigia in decreto Hierosolymitano reperienda sunt. Primus enim Canon de eis quæ Idolis immolantur, concinit cum primo Noachidarum præcepto de Idolorum cultu. Secundus de sanguine cum quarto de Homicidio. Ità enim Canonem interpretantur Tertullianus & Cyprianus. Tertius de suffocato cum septimo de membro vivi animalis. Quandoquidem in more positum fuit apud eos, qui hujusmodi carni comedendæ erant assueti, primùm bestiam suffocatione eò usque stupidam reddere, ut citra resistentiæ metum pro libitu eâ abuterentur, & hoc pacto inhumano suo satisfacerent appetitui. Quartus de scortatione cum quinto de nuptiis incestis. πορνεία enim est vox generalis, & innuit quicquid redolet impudicitiam. Quintus, qui occurrit manuscriptis aliquot satis vetustis, nimirum, Quæ vobis fieri nolitis, alteri nè facite, concinit cum tertio de furtis & rapinis. Non nominatim habetur secundum præceptum, utpote tale, quod supponit religionis Christianæ professio. Omittitur etiam sextum, quippe Judices Civiles creandi potestas tunc Ethnicis solis competebat.

Tertul. de pudic. c. 12. Cypr. ad Quirinum l. 3.

Ex hisce liquet nihil iniquum legis naturæ repugnans,

nans, quantum ad *materiam* spectat, in decreto Hierosolymitano esse complexum.

2. *Forma.* Authoritatem præ se ferunt singulæ decreti voces. ἔδοξε visum est. Ità enim loqui amant Legislatores. Hinc apud Dem. δεδόχθαι τῇ βουλῇ καὶ τῷ δήμῳ statutum esse à senatu & populo. ἐπιτίθεσθαι imponere. ἐπίθεσις est impositio. βάρος Chrysostomus appellat νόμον· respondet enim voci ζυγὸς in Com. 10. quæ legem propriè sic dictam denotat. Totum decretum δόγμα nuncupatur, quod sæpenumerò tum in veteri tum in novo Testamento pro edicto regio usurpatur. Qui hanc loquendi formulam seriò pensitat, non stabit pendulus, an Synodi decretum Legis mereatur nomen.

3. *Efficiens.* Non defuit eis autoritas, à quibus conditum fuit hoc decretum. Huic Synodo præsidebat Spiritus Sanctus. Ab hoc spiritu suam derivabant autoritatem Apostoli. *Visum est spiritui sancto & nobis.* Et nemo adeò mente captus est, ut de spiritûs sancti potestate dubitare audeat.

4. *Finis.* Legis cujusque finis est communitatis bonum. Nemini non palàm est Apostolos, quod præ manibus habemus, decretum ad hunc scopum direxisse. Cùm enim communitatis Christianæ tranquillitas periclitari & in summo discrimine esse inciperet, præ dissidiis inter Judæos & Gentiles, placuit Apostolis Hierosolymis convenire, & induere arbitros, ne ulteriùs grassaretur simultas, & Ecclesiæ pacem penitùs subrueret.

Ex præmissis abundè constat nihil in hoc desiderari decreto, quod ad legem constituendam requiritur. Decretum hoc non solùm suasorium est, ubi libertas remanet parendi vel non parendi; nec declaratorium tantùm, ubi patefit unicè alterius voluntas: verùm etiam constitutivum. Sicut enim declarat, quæ sit Lex proselytis domicilii olim imposita: ità

ità insuper constituit, ut nihil amplius ethnicis ad fidem conversis imponatur. Nec est Constitutivum tantùm jure consensûs: verùm etiam imperii. De Spiritûs Sancti hujusce Concilii præsidis imperio nemo in ambiguo esse potest. Ex vi enim suæ supereminentiæ intrinsecâ omnes passim ad obsequium obligat, sive præbito, sive denegato consensu: & obligare est naturalis imperii effectus. Quod ultimò adjicitur de Christi regno, quasi non præsens, sed futurum esset, ad calculos suprà revocavimus.

H. Præterea, si Conciliorum tunc temporis acta fuissent leges, obedientiam illis negare peccatum fuisset. Eos autem, qui doctrinam Christi recipere noluerunt, eo nomine peccâsse nunquam legimus; sed hoc tantùm in peccatis suis mortuos fuisse, h. e. peccata eorum contra leges, quibus obedire debuerunt, remissa non fuisse, nimirum peccata eorum contra leges naturæ, & contra leges Civiles suæ cujusque Civitatis retenta fuisse, &c. De infidelibus dicit Joannes, non quòd ira Dei *veniet* super eos, sed quòd ira Dei *manet* super eos. Nec quod *damnabuntur*, sed quod jam *condemnati sunt*. Neque intelligi potest fidei fructum esse peccatorum remissionem, nisi simul intelligatur damnum ab infidelitate esse peccatorum retentionem. p. 248.

T. Perperàm asseris nos nullibi legisse, eos qui Christi doctrinam recipere noluerunt, eo nomine peccâsse. Nonne disertis verbis ipse declarat Christus, Si non venissem & locutus fuissem iis, peccatum non haberent, Jo. 15. 22. Verba palàm indicant, Judæorum peccata cumulatiora evasisse, eò quòd doctrinam Christi aspernati fuissent. Idem occurrit, Mat. 10. 14, 15. Quicunque non audierit sermones vestros, excutite pulverem, &c. Amen dico vobis, tolerabilius erit terræ Sodomorum & Gomorrhæorum in die judicii, quàm illi civitati. Si pœnæ Civitatis graviores

viores sint futuræ, eò quòd sermones Christi & Apostolorum insuper habeantur; tum necesse est, ut concedamus alicubi legi, homines eo nomine peccâsse, quòd Christi & discipulorum doctrinam recipere noluerint. Justitiæ divinæ minimè convenit gravius irrogare supplicium, ubi homines se novo scelere non astrinxerint. Cùm Joannes asserat iram Dei manere super illum, qui non credit, non innuit novam iram non venire super non credentem, cui salutis media oblata sunt. Vetus ira manet ob peccatum præteritum; verùm hæc ira auctior fit & ardentior ob infidelitatem, quâ remedium ad morbum sanandum respuitur. Ira Dei μένει, h. e. non est levis & momentaneæ indolis, quæ citò evanescit; sed permanens, & penitissimè adhærens; eò quòd beneficium illud eximium, quo solo liberandi sumus ab ira futura, modis perquàm pudendis contemnatur. Hac in re tibi perlibenter accedo, quòd infidelitatem sequatur peccatorum retentio: verùm non indè bene infers infidelitatem ipsam in peccatorum numerum non regerendam esse. Fingamus aliquem perduellionis reum, cui Princeps se ignoturum pollicetur, modò beneficium oblatum non respuerit: Si perduellis diploma discerpserit, & sub pedibus conculcaverit, in quo hac lege conceditur supplicii venia, non solùm facit, ut prior culpa impunitate non donetur, verùm etiam se novo scelere devincit.

Quorsum autem (quæret aliquis) Apostoli alíique Ecclesiæ Pastores convenerunt, &c. neque enim eo fine convenerunt ut quid reciperetur, sed ut quid doceretur, deliberarent. p. 248. *H.*

Recipere finis est. Docere medium destinatum ad hunc finem comparandum. Qui conveniunt ad capessendum de mediis consilium, eo conveniunt animo, ut finem tandem assequantur. Nullibi in consilium itur de mediis, nisi ubi in animo instituitur finis. *T.*

H. In quo primùm Concilio Scripturæ Sacræ factæ erant Canonicæ non constat. Nam Canonum Apostolicorum collectio, quæ Clementi tribuitur Episcopo Romano post Sanctum Petrum primo, etiam nunc disputatur. Et quanquam libri Canonici ibi numerantur, verba tamen hæc, Sint vobis omnibus Clericis & Laicis libri venerandi, &c. distinctionem habent Clericorum & Laicorum, quæ tam prope ad tempora Apostolorum usurpata non videtur. Itaque Concilium quod scripturas Canonicas primùm fecit, Laodicense erat, quod Can. 59. librorum aliorum lectionem in Ecclesiis prohibet. Atque hæc de Canone scripturarum dicta sufficiant. c. 42. p. 249.

T. Multùm admodum hallucinaris, si scripturas arbitreris in aliquo post seculum Apostolicum concilio primùm Canonicas fuisse factas. Tres enim sunt Canonis sacri characteres, quorum nullus ab autoritate pendet Synodi Ecclesiasticæ. Materiæ divinitas. Dei ordinatio. Ecclesiæ primæ testificatio.

Materiæ divinitas ex internis patet criteriis, quæ sapientiam redolent plusquam humanam aut Angelicam.

Dei ordinatio ex operibus externis, quibus, qui Spiritui Sancto à manu fuêre, tanquam literis fidem facientibus notum fecerunt se à Deo missos fuisse ad tradendum hunc Canonem: necnon ex primæ Ecclesiæ testificatione.

Ecclesiæ primæ testificatio ex testimoniis & usu sequentis Ecclesiæ, quæ memoriam ejus suis monimentis diligenter custodivit, transmisítque ad posteritatem. Nulli itaque post tempora Apostolica Concilio competebat potestas constituendi Canonem: verùm enarrandi tantùm prædictorum characterum subsidio, qui libri fuissent à Deo ipso priùs cooptati in

in album Canonicorum: Hora tunc demum fuit præterita, scilicet quamprimum è vivis excesserat Apostolorum novissimus.

Quamvis de collectione Canonum Apostolicorum, in qua libri Canonici numerantur, etiam nunc disputatum sit: tamen nullius est hoc momenti ad demonstrandum, illum ipsum Canonem, in quo hæc fit enumeratio, ex omni parte esse sublestæ fidei.

1. Constat enim Apostolos Canones constituisse; horum aliquot in sacra pagina conspiciendi sunt, Act. 15. 1 Cor. 7. v. 12. 17. c. 11. v. 2. 4, 5. 7. 14.

2. Liquet insuper Apostolos promisisse se itidem alios fore composituros, 1 Cor. 11. 34. verùm hi in Bibliis nostris αὐτολεξεὶ non reperiuntur.

3. In Canonibus hisce condendis collimabant ad conservationem ordinis in Ecclesia. Vox διατάξομαι hoc palàm indicat.

4. Ad ordinem conservandum nihil magis confert, quàm palàm declarare, qui libri à Deo Ecclesiæ traditi sint in amussim. Hâc enim normâ non cognitâ, nunquam desinet Tentator eo nomine regulis suo ipsius ingenio excogitatis perpetuam molestiam Ecclesiæ facessere, & perturbare omnia.

5. Neutiquam verisimile est Apostolos in re adeò utili Ecclesiæ defuisse: præsertim cùm fidem priùs dedissent, se omnia hujusce indolis facturos fore.

6. Apostolos hoc ipsum præstitisse sequens per omnia secula testatur Ecclesia. Sicubi fuit dubitatum de libro Canonico, in more positum fuit protinus ad Apostolorum testificationem recurrere. Hoc enim commune habebatur criterium, quo post tempora Apostolica scripta veri nominis Canonica à nothis & suppositiis dignoscebantur. Hinc est, quod provocet Tertullianus ad authenticas Apostolorum *De præscr.* literas,

literas, quas suo adhuc tempore in Apostolicis Ecclesiis conservatas fuisse affirmat. Et ex Tertulliano refert Hieronymus, Deum Joanni post mortem reliquorum Apostolorum longiorem vitam concessisse, ut Apostolicâ vigilantiâ Ecclesiæ ad omnem posteritatem prospiceretur; ne adulterina scripta sub Apostolorum nomine Ecclesiis obtruderentur. Narrabant etiam veteres Joannem Asiaticarum Ecclesiarum rogatu germanum Scripturæ Canonem constituisse.

Exam. Con. Trid. p.48.

Eusebius. vid. Hist. schol. Can. scrip. p.48.

Hisce prælibatis libentissimè concedo collectioni Canonum nobis obtrusæ sub Apostolorum nomine diem adeò antiquum non esse ascribendum, uti constat ex plurimis indiciis, quæ à viris, qui hac in re se exercuerint, jampridem fuerunt notata: tamen nullus dubito, quin qui hanc collectionem primus composuit, plurima inseruerit verè Apostolicas in quorum numero Canonem 84, quantum ad libros spectat Canonicos, computare non reformido. Qui Canonem hac induebat formâ, quâ jam extat conspiciendus, commemorat Clericos & Laicos: quæ distinctio recentioris esse commatis videtur: atque etiam inter veteris Testamenti βιβλία, Μακκαβαϊκῶν τρία, inter novi duas Clementis Epistolas, & ordinationes per eundem Clementem octo libris editas. Quandoquidem, ut merces suas vitiatas faciliùs divenderet, eas commiscuit cum sinceris. Satìs enim intellexit toti innotuisse Ecclesiæ, quòd reliqui libri jam olim autoritate Apostolicâ consignati fuissent. Itaque in eorum societatem immersit Apocryphos; ut hoc pacto eos ab omni averteret suspicione. Nemo equidem nebulonem habet suspectum, quamdiu integræ & probatæ vitæ hominibus consuescit.

Ex hisce intelligamus quantum autoritatis Canoni, quem præ manibus habemus, attribuendum sit: fortassis non minus quàm aliquot è quinquaginta primis.

Quod

Quod insuper annectis de Concilio Laodiceni, (quasi scripturas primùm fecisset Canonicas) ab omni prorsus abhorret ratione, uti facile videre est ex Concilii scopo. Tunc enim temporis in usu erat ψαλμοὺς ἰδιωτικοὺς Psalmos & hymnos privatos componere, & in Ecclesia decantare; necnon βιβλία ἀκανόνιστα libros in sacro Canone non habitos legere. Ne hoc pacto scripta ab Hæreticis depravata aut conficta in Ecclesiam irreperent, placuit Concilio statuere, ut nulli in Ecclesia legantur libri præterquam Canonici. Ὅυ δεῖ ἰδιωτικοὺς ψαλμοὺς λέγεσθαι ἐν ἐκκλησίᾳ, οὐδὲ ἀκανόνιστα βιβλία, ἀλλὰ μόνα τὰ κανονικὰ τῆς παλαιᾶς καὶ καινῆς διαθήκης. Hisce verbis innuit Concilium, scripturas esse priùs Canonicas, & non facit. Quandoquidem statuit, ut libri soli Canonici legerentur. Ne γοῦν quidem de canone constituendo, sed de Canonis priùs noti lectione. Scripturas facere Canonicas est actus moralis; nullus est actus moralis sine intellectu: verùm liquidissimè patet Concilium non intellexisse se hoc decreto scripturas Canonicas fecisse.

Dogma XXXIV.

Licitum esse regibus Christianis administrare Sacramenta, & totum munus sacerdotale exercere, c. 42. p. 257.

H. OMnes fere ministri Ecclesiæ Anglicanæ anno primo Reginæ Elizabethæ idem senserunt. Simul enim ac Regina suprematum Ecclesiæ sibi vindicâsset, emisit mandata quædam per omnes diœceses, quæ mandata appellavit injunctiones, quarum una erat, ut Clerici omnes cum juramento recognoscerent Ecclesiæ suprematum jure pertinere ad reginam, & successores suos. Multi erant, qui jurare noluerunt hanc, ut ipsi dicebant, ob causam; quod eo concesso, unà conceditur, Reginam, si velit, posse administrare sacramenta. Manifestum hinc est Clerum illum credidisse, in quocunque resideret Ecclesiæ suprematus, eidem quoque licere, quoties vult, ea omnia administrare, quæ à sacerdotibus administrari solent. App. c. 3. p. 364.

T. Nihil regibus Christianis licitum est, præterquàm quod in mandatis à Deo acceperunt. Quamvis potestas, quâ imbuti sunt, quantùm ad homines, sit suprema: tamen ratione Dei vicaria est. Eatenus suo funguntur munere, quatenus ad mandatum numinis cœlestis actiones suas componunt. In delegatione autem regibus à Deo data nè hylum occurrit de administrandis sacramentis. In alium enim creantur finem, sc. ut singulos in officio contineant, & transgressoribus sint terrori, Rom. 13. 3. Munus hoc pastorale in alias personas devolutum est, quæ à Spiritu Sancto dispensatores mysteriorum nuncupantur,

1 Cor.

1 Cor. 4. 1. Sicut Regibus terrenis familiare est officialem constituere, cujus curæ sigillum magnum committitur: ità placuit Regi cœlesti administrationem sigillorum novi fœderis quibusdam à regibus longè diversis concredere. Ex hac re reges illi, qui munus sacerdotale invaserunt, gravissimas pœnas tulêre. Saul regno fuit exutus, & Uzzias evasit protinus leprâ correptus. Memoriâ repetendum est Ecclesiam esse domum Dei: ut domus hæc exstruatur, Deus duos ordines, sc. magistratum, & ministerium, creavit; quorum ille ea peragit, quæ sunt extra domum, hic quæ intra; ut scitè olim Constantinus Imperator, Vos Episcopi estis in Ecclesia, ego extra Ecclesiam. Interiora domûs ad ministrum solum spectant, exteriora ad magistratum supremum. Partes ministri intra domum sunt Dei verbum solenniter prædicare, administrare sacramenta; magistratûs extra domum gladio temporali ministros defendere, jubere, ut munus suum diligenter obeant. Hæc à magistratu circa ministri officium peragenda sunt. Verùm in nullo casu propter ordinationis defectum se in ipsum officium debet ingerere. Ex hac re ira Dei in Saulem & Uzziam excanduit. Minimè numini summo arridet, ut repagula, quibus singulos sive reges, sive subditos circumvallavit, perfringantur; ut publicus ordo sapientiâ divinâ stabilitus temeritate humanâ obruatur. Quantùm ad Argumentum tuum, regero; 1. Omnes ferè ministri non recusabant juramento obstringi ad agnoscendum Reginæ suprematum. Per totum enim regnum, in quo sunt novem mille septingentæ Parochiæ, octoginta tantùm ministri obfirmatè refragati sunt. E reliquo clero quinquaginta Præbendarii, quindecim Collegiorum præfecti, quatuordecim Episcopi, duodecim Decani, duodecim Archidiaconi, sex Abbates, ut constat ex Annalium nostrorum monimentis. 2. Non liquet

tibi hosce omnes, qui jurare noluerunt, ob eam causam id fecisse, quippe persuasum habuêre se jurando concessuros reginam sacramenta administrare posse. Nullus dubito, quin quamplurimi eorum potiùs metu Papæ id egerint, cujus suprematum juramentum hoc altis vulneribus confodit. 3. Si hæc ratio illis in animo fuerit, non sequitur nos, qui suprematum regis perlibenter agnoscimus, in eandem opinionem ire debere. Non diffiteberis, opinor, illos in non agnoscendo suprematu erràsse; quapropter æquum est, ut sentias eosdem in deducenda consequentia caspitare potuisse. 4. Regina ipsa palàm profitebatur in juramenti explicatione se nunquam in animo habuisse potestatem ejusmodi sibi vendicare. 5. Si tibi in animo fuisset sententiam ministrorum Ecclesiæ Anglicanæ cógnitam habere, longè meliùs eam edoctus fuisses ex Articulo 37. Religionis, quàm ex ambigua paucorum hominum praxi; Ibi hæc verba occurrunt. " Cùm Regiæ majestati summam gubernationem tribuimus, (quibus titulis intelligimus animos quorundam calumniatorum offendi) non damus regibus nostris, aut verbi dei, aut sacramentorum administrationem, quod etiam injunctiones, ab Elizabetha regina nostra nuper editæ, apertissimè testantur. Magistratûs suprematus integer & illibatus manebit, quamvis potestas Sacramenta administrandi illi denegetur. Dispensatio sacramentroum non est actus imperii, sed ministerii. Appropriatio ministerii ad personas illi muneri solenni vocatione devotas, non lædit summum in magistratu imperium. Licèt nemo ad munus pastorale non ordinatus hæc dispenset mysteria; tamen qui rerum potitur, suo suprematu fruitur, in quantum potestatem sibi habet concessam præcipiendi, ut hæc sacra ab ordinatis rectè tractentur, & etiam pœnas exigendi, ubi iis, qui censuris Ecclesiasticis non cedunt,

Injunct. p. 77.

Vid. Artic. 37. Relig. & Injunction. R. Eliz. p. 77.

dunt, contemptui sunt; denique cognoscendi quascunque lites super hac re natas, quas Ecclesia sopire non potest, externis potestatibus prorsus eliminatis.

Imprimis meminisse oportet demonstratum suprà esse jus judicandi, quæ doctrinæ conservandæ paci utiles sint, & docendæ publicè, inseparabiliter summæ potestati civili annexum esse, &c. Itaque in civitatibus etiam Ethnicis pastores passim vocati sunt, qui summam in illis habuêre potestatem, &c. Quod jus hoc regum Ethnicorum, simul ac converterentur reges illi ad fidem Christi, ut sublatum esset, non potest credi, &c. Sunt ergo Reges Christiani subditorum suorum pastores supremi, &c. c. 42. p. 255. *H.*

Si à regibus exerceri possit totum munus sacerdotale, quippe eis de doctrina jus competit judicandi: pariter concludas, privatum quemque se in sacerdotis officium posse ingerere; propterea quòd ei etiam in rebus ad religionem spectantibus judicium discretionis competat. Nemini enim incumbit doctrinam amplecti sibi oblatam citra intellectûs scrutinium. Eo nomine in sacris literis elogiis ornantur Beræenses. *T.*

Ex jure judicandi utplurimum inferri potest idonietas ad exercendum munus sacerdotale, non jus actuale. Etenim hoc jus ex divina emergit ordinatione. Nemo sibi hunc honorem sumit, nisi qui vocatus est, ut Aaron, Heb. 5. 4. Hoc judicandi jus, quæ religio docenda sit, utpote omni coronæ inseparabiliter annexum, haud dubiè Uzziæ competebat, quippe summâ potestate prædito: tamen illum non citra laudem ad hunc modum intrepidè allocutus est Azarias: Non est tui officii, ut adoleas incensum domino; hoc est filiorum Aaron, qui consecrati sunt ad hujusmodi ministerium, 2 Chron. 26. 19.

26. 19. In civitatibus Ethnicis, qui summam habuêre potestatem, ποιμένες λαῶν pastores populi perhibentur; verùm non ex ea re, quòd munere functi fuerint sacerdotali. Notissimum est apud antiquos in magno fuisse honore artem pastoriciam. Nobiliores enim ei operam dabant citra servorum ministerium. Immo maximè idoneum populo regendo illum existimârunt, qui priùs in regendis pecoribus solicitudinis suæ specimen exhibuerat. Hinc hujusmodi viri, cùm ad imperandum eligerentur; quemadmodum priùs pastores pecorum dicebantur, ità nunc populi pastores appellati sunt. Jurum, quibus reges ante conversionem fruebantur, duo erant genera. Vel quæ imperio quà tali erant inseparabiliter annexa, vel quæ superstitione excogitata, & humano addita consilio fuerant. Hujusmodi est Pontificatus à Numa institutus.

Prioris classis jura imperatoribus minimè ademit Christus, postquam ad fidem converterentur Christianam. Verùm in hoc numero non computandum est jus fungendi munere sacerdotali. Coronæ imperatoriæ inseparabiliter appensum est circa sacram functionem imperium; verùm non ipsa functio. Ministerium evangelicum non est imperii politici actus, sed objectum. Imperantis est, jubere, ut quilibet ordinatus suo fungatur munere: verùm non ipsum invadere officium citra sacros ordines, quibus Rex Regum initiatos voluit singulos huic ministerio devotos.

H. Quoniam igitur in omni civitate is, qui summè imperat, pastor summus est, cæterique pastores illius autoritate fiunt: sequitur pastores cæteros illius ministros tantùm esse, non aliter quàm qui urbibus, provinciis, vel oppidis præficiuntur, &c. c. 42. p. 256.

T. In superiori paragrapho nihil invenio prolatum, quo

quo demonstretur summam potestatem esse summum pastorem, præterquam hoc, scilicet quòd potestatem habeat eligendi pastorem. Parili equidem ratione concludas regem quemlibet summum esse intra regni sui pomœria medicum: quippe penès illum est potestas suum eligendi medicum. Inter illos, qui munus obeunt sacerdotale, & qui provinciis præsunt, magnum quidem est discrimen. Hi sunt regis vicarii, illi Christi. Hi munere funguntur, quod à summa emanat potestate; illi, quod à Christo ipso. Summo imperio subduntur utrique: tamen utraque officia non immediatè ab eodem scaturiunt fonte. "Rectè æquantur (inquit Grotius) "pastores præsidibus ordine, non emanatione mu-"neris. Præsides & subditi sunt & vicarii; pasto-"res quà tales, subditi, non vicarii. *De imp. sum. pot. circa sacra. p. 27.*

H. Si unusquisque rex Christianus subditorum suorum summus quoque pastor sit, etiam non solùm prædicandi (quod fortè non negabitur) sed etiam baptizandi, sacramentum cœnæ dominicæ administrandi, & templa, sacerdotésque consecrandi jus habere videri potest, quod non facilè concedetur. Neque enim id facere solent, neque sine impositione manuum Episcopi vel Presbyteri fieri consuevit. Ut probemus ergo reges Christianos ministeriis illis uti posse, ratio reddenda est, tum quare id non faciant, & quomodo sine illa ceremonia impositionis manuum, si id voluerint facere, jure possint, &c. Quoniam autem totius civitatis in regem incumbit cura, ut ipse in res illas momenti minoris tempus suum contereret, incommodum publicum esset. c. 42. p. 257.

T. Incommodum quidem esset, si in hoc ministerium totum suum tempus impenderet, verùm ex tua opinione multùm admodum utile; si aliquot intervalla huic operi destinare non gravaretur, quippe

pe coronæ inseparabiliter annexo, & ad pacem publicam plurimùm conferenti, quam conservare magistratûs maximè interest. Si ad reges quà tales spectaret hæc functio, oporteret illos quandoque eam exercere; ne tempore procedente ex hominum animis hujusce juris memoriam deleret desuetudo. Te ostensurum fore pollicitus es, quare reges nunquam soleant ministeriis uti Ecclesiasticis; verùm unicè ostendit hæc ratio; quare id aliquando non faciunt. Mihi videris tibimet ipsi valde diversus, cùm in album rerum *minoris momenti* regerendum pronuncies munus sacerdotale. Vel te arbitro, ab hoc munere publica pendet doctrina, ab hac doctrina hominum opiniones, ab opinionibus nascuntur actiones, ab actionibus salus publica, & salus publica est res maximi momenti.

H. De manuum impositione, quatenus ea regibus, ut baptizent consecréntque, necessaria sit, sic considerabimus, &c. p. 257. Finis impositionis manuum semper idem fuit, personæ ad munus pastorale electæ designatio exacta & religiosa, &c. p. 258. Illi verò, qui antequam Christiani fierent, summam habuêre potestatem in civitatibus suis, potestatem novam ab impositione manuum nullam acceperunt. Etiam sub veteri Testamento, & si dum potestas summa in sacerdote erat, jus consecrandi ille solus haberet; aliter tamen erat, postquam populus sub regibus esse cœpisset. Nam (1. Reg. 8.) populo benedixit, & publicas preces pronunciavit Solomon. Constat ergo habuisse illum non solùm regendi Ecclesiam, sed etiam functiones omnes Ecclesiasticas exercendi potestatem plenam. p. 259.

T. Libenter concedo reges, antequam essent ad fidem Christi conversi, summam habuisse potestatem; tamen per hanc stetisse non opinandum est, quò minùs

minùs potestatem novam acciperent quoad Christum ministerialem per manuum impositionem. Illis priùs concedebatur jus imperii in functionem sacram; sed non jus ad functionem. Hanc enim adeò circumvallavit Rex Regum, ut nemini, sive principi, sive subdito, licitum sit eam invadere citra solennem ordinationem.

In exemplum trahenda non est Solomonis praxis, Etenim Davidi specialis cœlitùs indulta fuerat revelatio de omnibus ad templum Hierosolymitanum spectantibus. Itaque Solomone à patre suo instituto, actus ejus speciali innitebantur revelationi. Citra tale privilegium nulla est ratio, quare munus sacerdotale impunè exerceret: & tamen Saul & Uzzias regiâ potestate pariter induti ex ea re gravissimas pœnas luerent.

Quemadmodum Mosi, qui primus tabernaculum erexerit, indultum fuit id offici præstare, quod postea ad sacerdotes unicè spectabat: ità etiam Solomoni, qui primus templum extruxerit. Ut compendifaciam; Si jus ad sacramenta administranda, & totum munus sacerdotale exercendum cum potestate regia necessariò conglutinetur, tum aliquando, cùm hæc potestas sit penès fœminam, fœminæ liceat totum hoc obire munus.

Scio fœminis in Ecclesia prohibitum esse loqui, id verò non impedit, quin fœmina, quæ summâ potestate prædita est, constituere viros possit, qui in Ecclesiis & loqui & cætera administrare omnia autoritate civitatis, id est, suâ, possint, &c. Manifestum, &c. autoritatem quidem functiones pastorales exercendi cum suprematu Ecclesiæ conjunctam semper esse, exercitium autem solis viris competere. c. 42. p. 259. *H.*

Si fœminæ non competat potestas exercendi functionem pastoralem per se, viros nequit constituere *T.*
sive

sive ordinare; qui possint. Nemo sive magistratus, sive subditus id aliis largitur, quod non habet. Mirum esset si potestas exercendi functionem pastorum foeminæ competeret, exercitium ipsum viris solis. Actus quà licitus in legitima ad agendum potestate fundatur. Quapropter exercitium illicitum esse nequit, ubicunque potestas ad exercendum sedem suam habet.

Dogma

Dogma XXXV.

Pastor supremus solus est, in quo ultimò fides subditorum suorum determinari debet, c. 43. p. 282.

IS, cui credimus, aliquis est, quem loquentem audivimus ;. quia credere impossibile est illi, qui quid dixerit ignoramus. Abrahamus, Isaacus, Jacobus, Moses & prophetæ Deo crediderunt, qui ipsos allocutus est supernaturaliter. Similiter Christus erat is, cui crediderunt Apostoli & Discipuli, & quem loquentem audiverunt. Sed de illis, quibus neque Deus, neque Christus unquam locutus est, dici non potest, quòd Deo crediderint ; sed tantùm, quòd Apostolis, & post eos pastoribus & doctoribus Ecclesiæ fidem habuerint, qui historiam veteris & novi Testamenti illis commendaverant. Fides itaque Christianorum (ex quo Christus assumptus est) pro fundamento habuit pastorum primò suorum existimationem : deinde autoritatem eorum, qui fecerunt, ut scripturæ sacræ fidei essent regulæ ; id quod soli facere potuerunt reges Christiani, alíique qui summam habuêre potestatem. Illi ergo pastores supremi sunt solíque, per quos hodie loquentem Deum audiunt Christiani ; nisi fortè excipere velimus eos, ad quos (si qui sint) Deus hodie loquitur supernaturaliter. Sed hi, quia multi pseudoprophetæ in mundum venerunt, examinandi sunt ab omni Christiano, an à Deo sint necne. Quoniam ergo doctrinarum examen ad pastorem supremum imprimis pertinet, pastor supremus solus est, in quo ultimo fides subditorum determinari debet. c. 43. p. 281, 282.

Si

T. Si ſubditorum fides in principis teſtimonium reſolvenda ſit, in ea deſiderentur neceſſe eſt omnes genuinæ proprietates fidei Chriſtianæ. 1. Non eſt divina, utpote humano teſtimonio ſolo tanquam ultimâ baſi ſuffulta. 2. Non eſt infallibiliter certa. Nihil illum certitudinis gradum poterit attingere, quod tam labili nititur fundamento. Magiſtratus civilis extra erroris aleam poſitus non eſt. 3. Non eſt uſque ſancta. Evenire poteſt, ut ii, apud quos ſumma imperii eſt, id fide accipiendum proponant, quod numinis ſummi puritati adverſatur. Cùm aſſeras Chriſtianos nunc dierum non audire Deum, aut Chriſtum, niſi per civilem magiſtratum loquentem,
Heb. 12. 25. veritati apertè contradicis. Audimus jam omnes vocem Dei in Oraculis Sacris; vocem Chriſti ex ore legatorum. Si per principes ſolos Deus hodie Chriſtianos alloquatur, per quos, obſecro, alloquitur
*Lev.p.*167. principes ipſos? Ex ſententia tua mens divina innoteſcit vel per revelationem, vel rationem, vel vocem alicujus hominis, cui fidem apud cæteros fecit Deus per operationem miraculorum. Mediorum horum primum extraordinarium eſt; duo reliqua communia & ordinaria. An arbitraris Deum ſingulos per totum orbem ad clavum ſedentes, extraordinario Spiritûs ſui afflatu impertire? Num ſupernaturalis revelatio, quali prophetæ olim fruebantur, omnibus indulta eſt? Opinor te hoc mihi non conceſſurum. Verùm ſi illis Dei vox mediis innoteſcat ordinariis, oſtende mihi, quare ſubditi, ſi ad mediorum eorundem uſum ſe ex animo contulerint, eo pacto mentis divinæ notitiam aſſequi nequeant. Præter autoritatem nihil intereſt inter ſubditum & principem. Reges in percipienda Dei voce autoritate ſuâ & imperio non nituntur. Non ideo creditum eſt, quia ipſi ſic volunt; verùm proptereà quòd ſcrutinio accuratiſſimo habito, fidei dogmata infallibili Scripturæ

normæ

normæ consentanea reperiunt. Si media, quorum subsidio Christi vox dignoscitur, communia sint subdito æquè atque Magistratui, gratis à te dicitur Christianos per Magistratus supremos solos Deum hodie loquentem audire. Perlibenter agnoscimus Dei vocem in Magistratu, quoties aliquid nobis edicit. Si bona sint, quæ præcipit, Deus alloquitur nos ut protinus pareamus. Munus quod nobis incumbit principis injussu, nostrâ interesse non desinit, postquam id muneris diserto mandato imposuerit. Si adiaphora sint, idem suggerit vox divina. Res mediæ cum nulla lege confligunt. Quod nulli legi opponitur licitum est: quod licitum est non est contra fas edicere. Ubi aliquid justè imperatur, nefas est imperium detrectare.

Si utrinque pariter dubia sint, vox Dei hortatur jussa ad amussim accuratissimam pro virili expendere: si autem examine peracto, mens adhuc pendula & inter assensum & dissensum æquè suspensa maneat, in partem propendere magistratûs, quippe positi in juris possessione, tum maximè in editiore loco, ubi longiùs queat prospicere.

Si mala sint, vox Dei nos ad passivam invitat obedientiam. Hîc est tolerantia sanctorum, Apoc. 14. Oportet singulos Dei placitum hominis voluntati anteponere, & patienter subire quicquid pœnarum magistratus nostram erga Deum fidelitatem mereri arbitrabitur. In sensu prædicto, toties quoties magistratus jubet, audimus Deum per illum nos alloquentem. Verùm asserere, Deum nullum aliud medium nobis prospexisse, cujus auxilio ad vocis suæ notitiam perveniamus, tum rationi tum experientiæ adversatur. Deus non solùm in Magistratûs, verùm etiam populi usum volumen sacrum composuit. Populo Israelitico eximia legis suæ scripto dedisse perhibetur, Hos. 8. 12. Paulus se epistolas suas ad om-

nes misisse profitetur, 1 Cor. 1. 10. ut ab omnibus consulerentur, 1 Thes. 5. 27. Si literæ sacræ eo fine concessæ sint, ut ab omnibus sive regibus, sive subditis versentur, tum etiam ut ab omnibus capiantur intellectu. Lectio citra intellectionem prorsus inutilis est. Minimè Deo placitum est, ut scripta sua absque fructu revolvamus. Si autem Deo visum fuerit voluntatem suam ex ea re scriptis mandare, ut subditi pariter atque reges fontes illos sacros adeant, & indè notitiam hauriant suæ voluntatis ; à veritate prorsus abludit asserere, Deum hodie per summas potestates solas loqui. In sacris enim his oraculis nos omnes immediatè & clarâ voce alloquitur : quæ oracula esse verbum Dei percipimus subsidio eorundem mediorum, quibus reges ad hanc veritatem amplectendam adducuntur : sc. 1. Ope externi Ecclesiæ Catholicæ suffragii, 2. Interni Spiritûs Sancti testimonii, 3. Æternorum divinitatis characterum, qui in libris spiritu humano compositis non reperiendi sunt. In his characteribus fides tum regum tum subditorum ultimò determinari debet.

Dogma

Dogma XXXVI.

Unicus articulus, quem ad salutem æternam necessarium faciunt Scripturæ Sacræ, hic est, quòd Jesus est Christus, c. 43. p. 283.

AD probandum, quòd tota fides ad salutem necessaria continetur in uno hoc articulo [Jesus est Christus] argumentum primum sumatur ab evangelistarum scopo. Scopus autem eorum is erat, ut in servatoris nostri vita describenda illum unum articulum stabilirent, &c. Argumentum secundum est à subjecto concionum Apostolicarum tum ante, tum post ascensionem Christi. Ante ascensionem, &c. Luc. 9. 2. & Mat. 10. 7. &c. Item post ascensionem Christi idem prædicaverunt, ut patet ex Act. 17. 6. & v. 23. capitis ejusdem. Argumentum tertium sumitur ab iis locis scripturæ, quæ fidem omnem ad salutem necessariam dicunt esse facilem. Si enim assensus animi internus ad omnes doctrinas fidei, quæ nunc docentur, (quarum magna pars hodie disputatur) ut necessarius requireretur, nihil difficilius esse posset, quàm esse Christianum. Latro in cruce propter verba hæc, *Domine, memento mei cùm veneris in regnum tuum*, quibus alium articulum confessus non est præter hunc, Jesus esse Christum, salvari potuerat. Nec potuerat dixisse Christus, Mat. 11. 30. Jugum meum facile est, & onus meum leve est, neque Mat. 18. 6. parvos pueros in illum credere, &c. Argumentum quartum sumitur è locis quibusdam, de quorum interpretatione nunquam extitit controversia, &c. Jo. 20. 31. Hæc scripta sunt ut credatis Jesum esse Christum, & ut credentes

credentes vitam habeatis, &c. 1 Jo. 5. 1. Quicunque credidit Jeſum eſſe Chriſtum ex deo natus eſt, &c. Argumentum ultimum ſumitur à locis illis Scripturæ, ubi articulus hic dicitur eſſe fundamentum fidei: ſalvabitur enim qui tenet fundamentuum. Locus primus eſt Mat. 24. 23, &c. locus ſecundus eſt Gal. 1. 8. & tertius locus eſt 1 Jo. 4. 1, &c. locus quartus eſt Mat. 16. 18, &c. locus quintus eſt 1 Cor. 3. 11, 12, &c.

T. Ut judicium rectum feramus de articulis ad ſalu-
Tit. c. 1. tem neceſſariis, cautè diſtinguendum. Doctrina fi-
v. 4. dei duplex eſt, vel πίςις κοινὴ, vel πίςις ἐκλεκτῶν. πίςις
c. 1. v. 1. κοινὴ fides communis eſt, quæ communiter ſpectat ad omnes homines, in quocunque ſtatu verſantur, & ex voluntate divina ſcitu & creditu adeò neceſſaria eſt, ut nemo mortalium citra ejus notitiam beatitudinem æternam aſſequi poſſit.

Πίςις ἐκλεκτῶν fides electorum eſt doctrina ab iis accipienda, quos Deus elegit, & majoribus auxiliis donavit ad exploranda omnia quæ in ſacris oraculis patefacta ſunt. Præter fidem communem, citra cujus notitiam nemo introitum in regnum cœlorum habiturus eſt, alii inſuper articuli ad horum ſalutem neceſſarii ſunt. Obligatio ad credendum plurimùm pendet à mediis & auxiliis: cùm autem majora ſubſidia hiſce indulta ſint, ad plures articulos diſtinctâ & explicitâ fide accipiendos obſtringantur neceſſe eſt. Cùm aſſeras unicum eſſe articulum ad ſalutem neceſſarium, ſcil. quòd Jeſus eſt Chriſtus, vel intelligis ſalutem tantùm eorum, quos Deus è cætero mundo ſelegit, quibúſque majora conceſſit ſubſidia; vel omnium quorumcunque ſive iiſdem, ſive non iiſdem auxiliis donentur. Si primæ claſſis homines tibi in animo ſint, rationi prorſus diſſonum eſt aſſerere unicum articulum eſſe ad eorum ſalutem ſcitu neceſſarium. Propoſitio hæc, Jeſus eſt Chriſtus, totum

totum Dei consilium de salute nostra revelatum, non complectitur. Quicquid istius indolis cœlitus detegitur, eo patefit animo, ut intellectu capiatur. Ubi plura talenta ad hanc notitiam lucrandam concredita sunt, ibi uberior expectatur cognitio, priusquam salus æterna obtineri possit. Si collimes ad secundæ classis homines, perinde mihi videris à veritate deflectere. Plures articuli in literis sacris commemorantur, quorum momentum ad salutem quorumcunque non obscurè innuitur. Ut, exempli gratiâ, Deus est unicus. Hæc est vita æterna, ut te cognoscant esse illum solum Deum, Jo. 17. 3. Deus revelatus est in carne. Ubi Spiritus Sanctus singulas mysterii pietatis partes commemorat, hic articulus in prima acie stat, 1 Tim. 3. 16. Mortui resurrecturi sunt. Qui resurrectionem esse futuram negabant, 2 Tim. 2. 18. fidem subvertisse dicuntur, citra quam impossibile est deo placere. Deus est eorum, qui ipsum quærunt, remunerator. Qui accedit ad Deum, πιστεῦσαι δεῖ oportet illum credere Deum præmia largiri iis, qui ipsum quærunt, Heb. 11. 6. Hisce adjicere non gravabor, quemadmodum pœnitentia & sanctitas sunt in albo eorum, quæ ad salutem æternam necessaria sunt; ità hæ propositiones, Pœnitentia est agenda, Vita sancta ducenda, creditu perinde necessariæ sunt. Opus non naturale, sed morale & rationale perficimus, cùm pigeat nos peccati, & vitam piam degamus; opus rationale citra intellectum nequit præstari. Si opus sit intellectûs concursu; tum ad salutem æternam necessariò spectat, ut intellectus sciat & credat pœnitentiam esse agendam, & vitam sanctam ducendam.

Argumentis tuis nullo negotio occurritur. Ad primum, non ingratiis agnosco evangelistas ad stabiliendam hanc veritatem [Jesus est Christus] studia sua plurimùm inflexisse: verùm non indè sequi-

 tur

tur eos putâsse nihil ampliùs ad salutem scitu necessarium esse. Hunc articulum tantoperè inculcant; quippe supponunt neminem reliquis fidei articulis promptum assensum non præbiturum, qui hunc amplecteretur. Illis non verisimile videbatur illum, qui ex animo credebat Jesum esse Messiam, doctrinæ vel minimum apiculum ab illo prædicatæ respuere voluisse.

Ad secundum, libenter concedo, conciones Apostolicas ad hunc scopum plurimùm collimâsse. Verùm textus à te laudati hanc confessionem nequaquam mihi extorquent. Nihil Mat. 10. 7. commemoratur præter hæc verba, Dicite, quòd appropinquavit regnum cœlorum; h. e. status in quo Messias regnaturus est. Ex his verbis solis non sequitur Jesum Nazarenum esse Messiam. Sanctus Paulus Act. 17. 3. non solùm annunciat Jesum esse Christum; verùm etiam Christum oportuisse pati, & è mortuis resurgere. Hi articuli à se invicem divulsi sunt: discipuli, qui Jesum esse Christum credebant, pendula stabant, quantùm ad mortem & resurrectionem ejus.

Ad tertium, non dubitandum est quin latro, qui in articulo mortis Christum agnovit, totam ejus doctrinam, quam auditione non potuit non accepisse, cupidis ulnis amplecteretur. Christus dicere potuit, Jugum meum facile est, quamvis alii articuli præter hunc à te commemoratum sint creditu necessarii. Totum opus tum fidei, tum obedientiæ Christianæ in sacra pagina facile dicitur, propterea quòd cum natura humana rectè instituta apprimè convenit, & auxilio spiritûs divini expeditè, & non sine summa delectatione perficitur. Christus non asserit, Mat. 18. 6. parvos pueros in illum credere: verùm parentes puerorum: verba enim ità legenda sunt, Quisquis autem offenderit unum ex parvis istis τῶν

πιςευόντων,

πιστευόντων, &c. h. e. parentum in me credentium. Talibus enim pusillis, quippe fœderatis, si quis offendiculo sit, Deum irâ plurimùm incendit.

Ad quartum, loca illa Jo. 20.31. 1 Johan 5.1. &c. hoc unicè innuunt, sc. Apostolum habuisse persuasum, neminem, qui hunc articulum [Jesus est Christus] amplectitur, cæteros omnes fidei articulos perlibenter non agniturum, quippe eo viventem seculo in quo unius hujusce articuli agnitio ultimi supplicii periculo homines exponeret.

Ad quintum, fundamentum fidei Christianæ duplex est, vel incomplexum, vel complexum. Jesus Christus est fundamentum incomplexum, cui soli fides salvifica innititur. Hoc solum textus à te prolati probatum dederunt. Verùm hæc propositio, [Jesus est Christus] non est fundamentum complexum exclusivè: sicut enim fundamentum ædificii non ex uno tantùm lapide, sed pluribus consistit: ità fundamentum fidei complexum ex pluribus articulis conficitur; quales sunt, qui sequuntur, Deus est omnipotens, Deus est creator mundi, Jesus Christus resurrexit, Homines in die ultimo resurrecturi sunt. Hi omnes perinde ad fundamentum fidei spectant, atque hic articulus, Jesus est Christus.

Respondeo, hos omnes multósque alios articulos necessarios quidem æquè esse, sed ideo, quia in illo uno continentur. Quis enim est, qui non vidit credentes Jesum esse filium Dei omnipotentis, necessariò simul credere Deum esse rerum omnium creatorem omnipotentem? Aut quomodo credi potest Jesum regem esse in æternum regnaturum, ab eo, qui illum non credit resurrexisse à mortuis? Mortuus enim regnare non potest. Quicunque autem fundamentum tenet, Jesum esse Christum, omnia tenet, quæ indè inferri possunt, sive illationis

H.

 onis

onis vim ipse intelligit, sive non intelligit. c. 43. p. 286.

T. Si plures articuli pariter necessarii sint, quare tantum molestiæ tibi facessis in proferendis tot operosis ratiociniis, ut evincas unum solum esse necessarium? Sive reliqui necessarii sint quia in eo continentur, sive quia seorsim revelantur, perinde est. Quoquo modo se res habeat, nihilo seciùs articuli manent diversi, qui distinctâ fide accipiendi sunt. Cùm adjicias, qui tenet, Jesum esse Christum, omnia tenere, quæ inde deducenda sunt, sive illationis vim ipse intelligit sive non, à veritate plurimùm aberras. Tenere articulum fidei est credere. Nemo credit citra cognitionem; nemo cognoscit articulum nisi vim illationis intellectu capiat. Petrus credidit Jesum esse Christum, Mat. 16. & tamen vim illationis, sc. quòd Christus moriturus, & è mortuis resurrecturus esset, protinus non percepit, v. 21, 22. An dicendum est Petrum fide tenuisse hos articulos, quippe quòd tenuit fundamentum, sc. Jesum esse Christum? Si ità est, quare tum graviter ob infidelitatem à Christo increpitus est? Abi post me, Satana. Hymenæus Jesum esse Christum agnovit. Sanctus Paulus dicitur eum extra Ecclesiam projecisse, & tradidisse Satanæ, quod innuit illum priùs fuisse intra Ecclesiam. In albo membrorum Ecclesiæ nomen conscriptum habere non potuit, nisi huic articulo [Jesus est Christus] fidem adhibuisset; & tamen resurrectionem futuram esse negabat. 2 Tim. 2. 18. Si ille, qui tenet hoc fundamentum [Jesus est Christus] simul tenet quicquid indè possit deduci, & resurrectio mortuorum sit unus articulorum, qui indè inferri possint; tum Hymenæus resurrectionem mortuorum simul tenuit, & non tenuit; non tenebat, quippe palàm ibat inficias; tenebat, quippe Jesum esse Christum profitebatur.

1 Tim. 1. 20.

Dogma

Dogma XXXVII.

Anima non est suâ naturâ immortalis, c. 44. p. 294, 295, 299.

ERror generalis alius est à non intellectis vocabulis illis, vita æterna, mors æterna, & mors secunda. Quamquam enim perspicuè dicatur in Scriptura Sacrâ Deum Adamum in eo statu posuisse, ut vivere potuisset in æternum, nempe si mandatum Dei observâsset; quæ immortalitas humanæ naturæ essentialis non erat, sed ab esu arboris vitæ dependebat: doctrina tamen hodie alia est, & jam diu fuit, nimirum unumquemque hominem vitam æternam habere suâ naturâ, ex eo quòd animâ præditus sit immortali; adeò ut gladius ille in aditu paradisi quamquam impediit Adamum, nè ex fructu arboris vitæ comederet, impedire illum nè esset immortalis, non potuit, neque facere, ut redemptione per Christum indigeret. Et proinde non modò fideles, sed etiam reprobi & Ethnici vitâ æternâ fruituri sunt. Verùm ut hoc incommodum excusent, per mortem æternam intelligendam esse dicunt vitam æternam, sed in cruciatibus; quæ est figurata locutio, præterquam in hac occasione, nunquam usurpata. c. 44. p. 294, 295. *H.*

Immortale naturâ duplicem subit significatum. Vel sumitur pro eo, quod usque eo necessarium est, ut nullâ vi sive creatâ, sive increatâ extingui, & in nihilum exulare possit. Hoc sensu immortalitas Deo soli competit. Ex ea re dicitur ὁ μόνος ἔχων ἀθανασίαν 1 Tim. 6. 16. Vel pro eo, quod quamvis à Deo, cujus potentiâ è nihilo fuit productum, in nihilum *T.*

denuò

denuò relabi cogatur, tamen est naturæ adeò simplicis, ut neque suis internis principiis, neque ullâ vi externâ finitâque destrui & labefactari queat. Hoc novissimo significatu animæ humanæ immortalitatem attribuimus. Cujus vindicias ut faustè absolvamus, gradatim procedendum est.

Anima humana est incorporea; ex operationibus ejus hoc dilucidum est. Objecta, circa quæ versantur actus ejus, duorum sunt generum. Vel generalia, ut ens, affectiones, propositiones; vel particularia, ut quævis res organa sensoria afficiens. Hæc mens humana percipit, definit, dividit, in syllogismos componit, in methodum digerit, sentit se sentire, memoriâ recondit. Qui actus à nuda materia perfici nequeunt.

1. Materia hæc percipere nequit. Nihil à materia sentitur, præterquam id, quod usque adeò in materiam agit, ut in ea reactionem producat. (Sensionis enim naturam in reactione sitam esse opinaris.) Verùm ens, affectiones, propositiones, quamvìs clarè ab anima humana teneantur, tamen materiam, & organa corporea nè tantillum quidem afficiunt. Ab ente initium ducamus. Quicquid impellit materiam, est singulare & determinatum. *Actiones enim sunt suppositorum.* Verùm ens, quà tale, est universale, & nullis omnino limitibus inclusum & circumvallatum. Incassùm asseris hoc nomen *Ens*, utpote cuique rei sigillatim sumptæ commune, ansam dedisse philosophis opinandi, ac si in animo esset rei universalis idea. Quandoquidem nomen hoc rebus commune est, non quatenus sigillatim sumuntur, sed quatenus communi aliquâ conveniunt naturâ. In natura enim speculanda aliquid notat mens humana, in quo concinunt omnia. Exploratâ hâc congruentiâ, ejus intra se efformat imaginem. Imaginem hanc ut aliis patefaciat, organorum corporis subsidio sonum

sonum hunc, nimirum *Ens*, edit. Qui sonus, ut conceptûs index sit communis inter omnia congruentiæ, nullibi non convenit. Itaque conceptus in animo, qui huic respondet voci *Ens*, non est singularium imago; quandoquidem ea multiplicia sunt, conceptus verò est unicus. Nec imago nominis communis. Varia sunt etiam nomina communia, ut ens apud Latinos est ὂν apud Græcos, tamen idem remanet conceptus. Sed est imago universalis illius inter omnia convenientiæ, in quantum à nihilo diversa sunt. Ab ente proximæ sunt affectiones, cujusmodi sunt habitudines, ut similitudo & dissimilitudo. Quicquid in materiam impingit, physicâ essentiâ oportet indui. Verùm hæ affectiones nihil hujusmodi complectuntur, quod ex modo, quo natæ sunt, compertum habemus. Fingamus duos nigros parietes; si quis alterum eorum dealbaret, verùm alterum relinqueret intactum; is, qui priùs similis erat, protinus dissimilis evadet citra omnem motum physicum. Hæc dissimilitudo, utpote absque actu physico producta, essentiâ physicâ non potest non carere. Elucet idem pariter in propositionibus. Ex. gr. numerus est par vel impar: totum est majus suâ parte. Quamvis organa corporea percellat harum propositionum materia, sc. literæ, syllabæ, voces: tamen veritas, utpote formæ affectio, in materiam nullam vim imprimit. Quicquid materiam impellit, est materia mota; verùm formæ affectio non est materia. Si sit, intende digitum ad corporeas ejus dimensiones, ad locum, quo sita est, ubi ante mundum conditum extitit. Utraque enim propositio est æternæ veritatis. Denique materiâ solâ nullum objectum particulare sentitur. Ex opinione tuâ causa sensionis est externum objectum, quod premit uniuscujusque organum proprium, premendo continuum facit motum introrsum ad cerebrum, & indè

C. 1. Lev. p. 3.

ad

ad cor, unde naſcitur cordis reſiſtentia, vel conatus cordis liberantis ſe à preſſione per motum tendentem extrorſum: qui motus propterea apparet tanquam aliquid externum. Atque hæc apparitio ſive phantaſma, eſt id quod ſenſionem appellas.

Ex hac deſcriptione patet te ſenſionem collocâſſe in conatu ſive reſiſtentia cordis liberantis ſe ab objecti preſſione: quem motum quippe extrorſum tendentem apparere aſſeris tanquam externum aliquid. Verùm ſi appareat ut externum quid, libenter ſcirem, cui ità apparet, an cerebri & cordis materiæ, vel animæ immortali inibi habitanti? Tuâ non intereſt poſterius dicere. Si prius, tum ſenſio non eſt apparitio ipſa; verùm apparitionis perceptio. Id enim ſolum, quodcunque eſt, cui apparet phantaſma, propriè ſentit aut percipit: quâ autem ratione hoc effectum daret nuda cerebri aut cordis materia, intelligi nequit. Huic materiæ nihil imprimit objectum præter motum. A motu nil niſi motus generatur. Verùm liquidò conſtat, præter motum directum ab ipſo objecto, reflexum à corde, in homine inſuper eſſe perceptionem ab ipſo motu perinde diverſam, atque eſt actus quivis ab objecto, circa quod verſatur.

2. Materia definire nequit. Species, quæ eſt palmarium, ſi non unicum definitionis objectum, ſenſus non percellit. Individua ſola noſtra afficiunt organa. Quinetiam, quicquid definitur, explicatur per genus & formam, partes ad cujuſque rei eſſentiam maximè ſpectantes: verùm harum neutra vel tantillum nervos percutit corporeos.

3. Non dividit. Ubi materia dividit, opus eſt contactu inter dividendum & diviſorem: verùm inter aliquot intellectu diviſibilia & corporis materiam nullus poteſt fieri contactus. Sæpenumero diſtribuitur genus in ſpecies, ſpecies in genus & formam: verùm in hiſce omnibus deſiderantur ſuperficies, quibus

bus tangant corporis materiam: citra enim ullam resistentiam pervadunt omnia.

4. Syllogismos non componit. Ex sententia tua oratio, quæ constat tribus propositionibus, ex quarum duabus sequitur tertia, vocatur syllogismus. In nexu inter præmissas & conclusionem sita est syllogismi forma: verùm materiam nequaquam afficit hic nexus. Propositiones tres, quatenus literis constant & syllabis, sensu percipi possunt. Verùm sequela est pura puta intellectualis, & cum sensu nullam omnino habet consuetudinem. *Comput. p. 25.*

5. In methodum non digerit. Qui axiomata confusè posita componit methodo, clariora præponit obscurioribus, homogenea unà collocat. Mens, quæ hunc concinnat ordinem, discurrit per singula, eorum instituit comparationem, uniuscujusque cum cæteris congruentiam & discrepantiam notat. Si rerum corporearum similitudo & dissimilitudo corporis organa nequaquam afficiant, uti priùs demonstratum dedimus: multo minùs axiomatum.

6. Materia sentire nequit se scire. Cùm intellectus suum ipsius actum intueatur, id facit actu reflexo versùs ipsam animam. Verùm talis actus reflexus materiæ nequit competere. Etenim totus ejus actus est reactio sive reflexio versùs objectum. Conatus objecti ad intrà repellitur conatu organi sensorii ad extrà: at verò actus, quo sentimus nos sentire, est reflexio versùs ipam animam, non objectum. Ostende, si placet, quo pacto talis actus à nuda materia peragatur. Si confugias ad fabricam organi, quod ità temperatum est, ut ad motum retinendum repercutiendúmque aptum sit; tibi insuper demonstrandum incumbit, quare duo parietes in quorum alterum pila eâ vi illiditur, ut repellatur in alterum, & deinde ab eo adeò repercutitur, ut redeat denuò ad idem punctum, ubi primùm fuit repulsa, non

possint

possint non tantùm sentire pilam, verùm etiam sentire quòd sentiant.

Phys.par.4. c. 25. 7. Materia sola rerum memoriam nequit conservare. Etenim sentire se sensisse juxta tuam sententiam meminisse est. Verùm modò enim ostensum est, materiam solam huic operationi præstandæ nequaquam sufficere. Tum deinde memoriâ repetere quæ situ vetustatis penè obruta sunt, innuit imagines earum rerum jam dudum in anima latuisse. Si anima nihil est præter materiam sive cerebri, sive cordis, dic quo pacto phantasmata illa eò loci tantisper reponi potuerint. Corporis compages ad instar maris fluxu & refluxu nunquam non laborat. Per usum repertum est, eam subitò concidere citra alimentum; quod est indicio, veterem materiam quotidie absumi, & novam indies succedere ad damnum resarciendum. Si materia corporis quotidie tantundem immutata sit, eadem phantasmata, quæ juxta tuam sententiam sunt modi materiæ, non possunt tot annos ibidem recondi. Subjecto enim extincto, necesse est, ut modus subjecti protinus evanescat. Literæ aquæ currenti æque bene queant insculpi, atque tot vividæ rerum imagines materiæ infigi adeò fluidæ. Hucusque demonstratum dedimus animam humanam non esse corpoream.

2. Si sit incorporea, tum nullæ sunt ei partes corporeæ. Totum & partes sunt congeneris naturæ. 3. Si sit citra partes corporeas, divisionis physicæ incapax est. Talis enim divisio nihil sonat præter totum in ejusmodi partes diductum. 4. Si in partes nequeat diduci, corrumpi & mori non potest. Mori physicè non est in nihilum relabi, verùm partes à se invicem solutas & divulsas habere.

Si hæc omnia, quæ protulimus, suis pensitentur momentis, constabit animam humanam esse suâ naturâ immortalem. Hanc veritatem clarè adeò elucentem

centem dehonestare non reformidas opprobrio generalis erroris, quem opinaris à vocabulis illis in sacra pagina, vita æterna, mors æterna, mors secunda, malè intellectis originem sumpsisse. Verùm haud facile intellectu est, quonam modo opinio hæc, cui nomen erroris à te inustum est, à vocibus illis in sacra pagina ortum suum derivaret; cùm usque passim ab iis fuerit recepta, qui sacra biblia nec unquam contrectaverant. Satis nota est eorum super hac re sententia, qui se philosophiæ colendos dederant, scil. Pythagoræ, Platonis, Aristotelis, Ciceronis, Senecæ; inter hosce omnes, quos sacra revolvisse volumina nondum exploratum est, super animæ immortalitate summa est concordia.

Quinetiam non tantùm inter philosophos convenit, verùm etiam inter barbaros, sive antiquos, sive recentes. De Ægyptiis testimonium occurrit non contemnendum apud Herodotum. De populo, cui nomen *Dughiim* apud Benjam. Tudelensem. Omnes etiam gentes noviter repertæ unà consentiunt in hac re. Imò, qui ab omni religione maximè alieni videntur, ut *Tavoupinambouštii*, *Mexicani*. De his testatur Josephus Acosta, de illis Johannes Lerius. Mihi nondum liquet, quo pacto hæc sententia de naturali animæ immortalitate ab aliquot vocabulis in sacra pagina malè intellectis oriretur: cùm apertissimum sit, eam passim ab iis defensam fuisse, qui nihil de divinis oraculis vel auditione acceperant.

Lib. 2. p. 137.
Itin. p. 108.

Perlibenter tibi indulgeo, Deum Adamum in eo statu posuisse, ut vivere potuisset in æternum, nempe si mandatum Dei observâsset. Quæ immortalitas in sensu strictissimo naturæ humanæ essentialis non erat: verùm non indè sequitur immortalitatem animæ humanæ non fuisse essentialem. Multum interest inter humanam naturam & animam humanam. Essentia

hominis

hominis five humanæ naturæ posita est in unione inter animam & corpus: verùm essentia animæ manet salva & integra, hâc unione solutâ.

Si concedatur immortalitatem hominis ex esu arboris vitæ pependisse; tamen non idem bene infert de animæ immortalitate. Si steterit per gladium in aditu paradisi, quò minùs Adamus immortalis esset; tamen non fuit animæ impedimento, quò minùs sua immortalitate frueretur. Primus parens redemptione Christi non indiguit, ut immortalitatem, quantùm ad animam, recuperaret: verùm ut erueretur ab ira futura, cui in æternum perpetiendæ suam immortalem animam delinquendo reddiderat obnoxiam.

Vid. Esai. 26. 19. Ezek. 37. 11, 12, 13. Cùm adjicias mortem pro vita in cruciatibus præterquam in hac occasione nunquam usurpatam esse, multùm admodum hallucinaris. Plaga Pharaoni inflicta, dum erat in vivis, mors nuncupatur, Exod. 10. 17. Sanctus Paulus præ miseriis, quibus undique premebatur, in mortibus sæpe fuisse dicitur, 2 Cor. 11. 23. Vita deploratissima in hoc præsenti statu est mors prima; in statu futuro est mors secunda: uti suprà demonstravimus.

H. Anima in Scripturis sacris semper significat aut vitam, aut creaturam viventem. Corpus autem & anima conjunctim idem significat, quod corpus vivens. Creationis die quinto dixit Deus, Producant aquæ reptile animæ viventis, & creavit deus cetos maximos, & omnem animam viventem. Item de homine, Creavit enim eum Deus de pulvere terræ, sufflavítque in nares ipsius spiraculum vitæ, sic factus est homo anima vivens. Et postquam Noah exiisset ex Arca, promisit Deus non ampliùs percutere omnem animam viventem. Et Deut. 12. v. 23. Sanguis cujusque est ejus anima. Etiam immundus habebatur lege Mosaicâ, qui tetigerat animam, mortuam,

id

id est cadaver mortuum. Nihil hic, neque in aliis locis scripturarum aliud significat anima præter ipsum animal, & vitam ejus. Anima immortalis nusquam legitur, neque substantia incorporea à corpore separata. Spiritus autem & vita æterna passim leguntur, &c. Ubi autem legitur in Testamento novo, esse, qui conjicientur corpus & anima in Gehennam ignis: corpus & anima idem significat, quod corpus animatum.

Anima aliquid præter vitam, aut creaturam viventem significat, Mat. 10. 28. Nam ejusmodi est anima, quam Christus eò loci memorat, qualem vires humanæ nequeunt occidere. Verùm nemini non competit potentia perimendi creaturam viventem, & exturbandi hominem ex numero vivorum. Ergo necesse est ut per animam non intelligamus vitam, quam quilibet queat extinguere, verùm nobiliorem illam substantiam, cui lucis usuram nemo mortalium potest eripere. Quinetiam, nec in omnibus locis à te prolatis significat vel animal, vel vitam ejus. Vox in Hebraica veritate est נפש & in Gen. 2. 7. eâ significatur anima rationalis, Factus est homo in animam vivam. In paraph. Caldaica, in spiritum loquentem, h. e. rationalem. Hebræis מדבר loquens est rationale. Vocabulum נפש hunc sensum habere in hoc textu abunde probatum dat vox נשמה in eodem commate, quæ usurpatur de homine tantùm, & animam ratione præditam denotat, uti Fagius notat ex Abenesræ commentariis. Formavit Deus hominem ex limo terræ, & inspiravit in faciem ejus נשמת חיים h. e. substantiam spiritualem, cœlestem, immortalem. *Spiritualem*, ex ea re eo modo homini fuit communicata, quo Spiritus Sanctus Christi discipulis, nimirum per insufflationem. *Cœlestem*, נשמה enim derivatur à שמים cœlum. Ad initium commatis observant Hebræi in voce וייצר inseri duplex י, T.

quod juxta Grammaticæ analogiam deberet esse unum, ad innuendam geminam hominis creationem, terrenam corporis, cœlestem animæ.

Immortalem. Hinc conjungitur cum vocabulo dualis numeri חיים quo subinnuitur eam duplicem vitam acturam, alteram in præsenti, alteram in futuro seculo. Insuper Deus dicitur hanc substantiam immortalem באפיו in faciem ejus, sc. hominis inspirâsse: Quippe quòd anima rationalis in nulla corporis parte se magis detegit quàm in facie. Tum deinde libenter tenerem, unde fit, quòd anima semper in sacris literis significaret animal & vitam ejus, cùm, te fatente, aliquando pro cadavere ponatur. Num mors & vita, cadaver & animal idem sunt? Tu ipse notas lege Mosaicâ immundum haberi, qui tetigerat animam, i. e. cadaver. Eo videris acumine pollere, quo ille, qui textum hunc, Sic erat cadaver ejus abjectum in via, & adstabat asinus juxta ipsum, in duo diducebat membra, quorum alterum fuit animal rationale, nimirum cadaver abjectum, irrationale alterum, scilicet asinus adstans. Menti tuæ apprime convenit hæc divisio adeò equidem concinna, ac si ab ipso asino excogitata fuisset. Porrò adjicis animam immortalem nunquam legi, neque substantiam incorpoream à corpore distinctam. Sed oportet te meminisse Mat. 10. 28. ubi asseritur animam occidi non posse. Quod occidi nequit, mori non potest; quod mori nequit, est immortale. Insuper consulendus est Ecclesiastes in c. 12. v. 7. ubi occurrit substantia incorporea à corpore separata, substantia incorporea, nimirum spiritus. Hic spiritus est à corpore distinctus, uti verba palàm indicant. Quod à corpore distinguitur non est corpus ipsum; quod non est corpus, est incorporeum. Hæc substantia incorporea à corpore separata est; quandoquidem corpore terræ manda o, ad Deum revertitur. Novissimo loco falsò asseris

1 Regum. 13. 25.

asseris animam & corpus Mat. 10. idem significare, quod corpus animatum; nam anima ejusmodi est, quæ occidi non potest; verùm corpus, quà animatum, nullo negotio occiditur.

Ad probandum quòd animæ à corporibus separatæ vivunt in æternum, non solùm animæ electorum gratiá speciali, sed etiam reproborum proprietate essentiæ humanæ adhærente, sunt textus quidam, qui primo intuitu sufficere videri possunt. Ut primò verba Solomonis, Eccles. 12.7. Spiritus redit ad Deum, qui dedit illum. Quæ verba interpretationem hanc pati possunt, nempe scire neminem, sed Deum solum, quò spiritus hominis defertur. Neque credendum est animas reproborum redire ad Deum, qui illas dedit. Etiam idem Solomon eodem libro c.3.v.20,21. Idcirco unus interitus est hominis & bestiæ, & æqua utriusque conditio, sicut moritur homo, & illæ moriuntur. Quis novit, si spiritus filiorum Adam ascendant sursum, & si spiritus jumentorum descendant deorsum? c.44.p.299. *H.*

1. Si spiritus ad Deum redire dicatur, quippe nemini compertum est quò defertur statim à morte; tum nemo Solomonis ævo sententiæ tuæ accedebat, qui citra hæsitationem statuis eam unà cum corpore perire, & abire in pulverem. 2. Nè occurrit vel unus apiculus in sacris oraculis, ubi redire ad Deum significat neminem præter Deum scire. Nimiam redolet audaciam hunc insolentem loquendi modum ex tuo ipsius animo citra ullam autoritatem Spiritui Sancto impingere. 3. Si redire ad Deum significat neminem scire præter Deum, quò defertur anima: tum ad commatis initium redire ad terram significat neminem scire præter terram, quò corpus defertur. Hæc illatio oppositionis regulis innititur. Cùm adjicis, animas reproborum ad Deum non redire, multùm admodum à veritate deflectis. Protinus à morte quæque anima ad Deum redit, tanquam ad judicem, qui pro *T.*

gestis in corpore ei vel vitam, vel mortem æternam adjudicat. Statutum est hominibus, ut semel moriantur, & post mortem eorum judicium, Heb. 9. 27. Duplex est tribunal, ubi singuli in judicium sistentur, alterum universale in die resurrectionis, particulare alterum extemplò post mortem. Ad hoc omnium animæ commigraturæ sunt, quamprimùm via lethi calcata sit. Hinc in Commate nono capitis superioris Ecclesiastes, ut juvenem ad bonam frugem revocet, monet illum judicii, quod protinus ab obitu subeundum est: & in v. 16. hujus capitis asserit, Deum omne opus adducturum in judicium, cum omni occulta re, sive bonum, sive malum. Interpretationi tuæ minimè favetur in c. 3. v. 20, 21. Unus est interitus hominis & bestiæ, & æqua utriusque conditio quoad mortem, verùm non quoad statum post mortem. Quicquid utriusque animalis usurpamus oculis, iturum est ad eundem locum: verùm quod attinet ad animam, quæ visum nostrum effugit, discrimen non obscurè indigitatur, v. 21. מי יודע Quis animadvertit spiritum humanum, qui ascenderit sursum, & spiritum bestiæ, qui descenderit deorsum? h. e. Etiamsi anima humana sit spiritualis indolis, & illico à morte suprà ad Deum judicem ascendat, anima verò bruti terrenæ, & ad pulverem unà cum corpore descendat: tamen homines ex majore parte adeò stupidi & infruniti sunt, ut vix millesimus hoc seriò expendat, & animo metiatur.

H. Locus alius est Gen. 5. 24. ubi de Enocho dicitur, Ambulavit cum Deo, & non apparuit, quia tulit eum Deus; & Heb. 11. 5. Fide Enochus translatus est, ne videret mortem, & non inveniebatur, quia transtulit illum Deus. Qui locus immortalitatem corporis non minùs probat, quàm animæ: & probat quoque translationem talem peculiarem esse placentibus Deo, & dependentem non à natura, sed à gratia. Sed contrà quid respondebimus verbis Solomonis Eccles. 3.

19. Dixi

19. Dixi in corde meo de filiis hominum, ut probaret eos Deus, & ostenderet similes esse bestiis. Idcircò unus interitus est hominis & jumentorum, &c. Quibus verbis immortalitas animæ per naturam negatur, per gratiam non negatur. Laudavi magìs mortuos, quàm viventes, & feliciorem utroque judicavi, qui necdum natus est, nec vidit mala, quæ sub sole fiunt. Sermo hic, si fœlicior sit, qui non est natus, quàm qui æternâ felicitate fruitur, durus esset. Rursus c. 9. v. 5. Viventes sciunt se esse morituros, mortui verò nihil noverunt ampliùs, nec habent ultrà mercedem. Id quod de hominibus mortuis, ante resurrectionem corporum suorum, manifestum est. Verùm si intelligatur de immortalitate electorum post diem judicii, verum non est.

Non diffiteor Enochi translationem argumento esse, statum immortalem tam corpori, quàm animæ piorum paratum esse. Ex ea enim re vivus in cœlum fuit evectus, ut notum fieret, quale præmium vera pietas in statu futuro latura sit. Verùm ludis operam, cùm te conferas ad hunc textum discutiendum, ut constaret naturalem animæ immortalitatem indè evinci non posse: cùm nemini in more positum sit eum illo allegare animo. Hæc veritas aliis Scripturæ locis satìs elucet. Verbis Solomonis nullo negotio occurritur, si contextus cauto revolvatur animo. Ecclesiastes in v. 16. capitis tertii animadvertit in ipso judicii solio improbitatem & injustitiam grassari: hinc in v. 17. concludit, tempus fore, quo Deus omnia denuò in judicium adducturus est. Porrò in v. 18. rationem hujus judicii futuri reddit, nimirum לברם האלהים ut filii hominum purgent Deum, h. e. crimen injustitiæ providentiæ non impingant. ולראות שהם הבהמה, ut sciatur illos injustos judices humanitatem omnem deposuisse, & revera se gessisse instar jumentorum. Hinc occasi- T.

 onem

onem arripit in v. 19. indigitandi congruentiam inter hominem & bestiam quoad statum externum. Sive hosce spectemus, qui ferociunt, sive illos, qui ad lanienam ducuntur, idem fatum, quod brutis contingit, omnibus impendet. Unus est interitus, nulla præstantia hominis præ bestia; utrique enim mors contingit, & in pulverem abitus. His verbis asseritur mortalitas hominis, sed neutiquam negatur immortalitas animæ per naturam. Ecclesiastes hominem confert cum bestia quoad mortem, non quoad statum post mortem. Immò enimverò subinnuit v.2. ingens discrimen tunc temporis esse futurum, utì suprà notavimus. Minimè rationi consentaneum est ex quadam convenientia inter hominem & bestiam in hoc præsenti statu, de convenientia per omnia tam in præsenti quàm futuro statuere. Sophistam resipit, ab eo quod est secundum quid, illud quod est simpliciter, concludere. Eodem ratiocinio evincas pariter totum Æthiopem albo colore præditum esse, quippe
C. 4. 3. ei sunt albi dentes. Cùm Solomon necdum natos tam mortuis, quàm vivis anteponàt; non absolutam, verùm limitatam præstantiam in animo habet. Ità enim loquitur ratione miseriarum hujusce vitæ, quas pertulerunt mortui, vivi perferunt, verùm necdum
C. 9. 5. nati nullatenus experti sunt. Cùm asserat mortuos nescire quicquam, nec esse ampliùs eis mercedem, vult quicquam harum rerum terrenarum, & mercedem in hac vita, utì palàm est verbis sequentibus. Quum oblivioni tradita fuerit memoria eorum: h. e. tantum abest, ut ferant secum, cùm ad sepulchrum descendant, mercedem hujusce vitæ, quæ in hoc unicè sita est, ut inter vivos bene audiant, & sermonis celebritatem consequantur; ut eorum nomen brevi exoleverit, & in sempiternam venerit oblivionem. Plurimum lucis attulerit dictis Solomonis in hoc libro, in memoriam revocare scopum, ad quem potissimùm

simum collimat, qui est, ut hujusce vitæ statum graphicè exornet, & nobis ante oculos constituat. Loquitur identidem de statu futuro, verùm parciùs, utpote ad alium exitum properans; sc. ut vanitatem omnium sub sole vividis coloribus depingat. Itaque quæ de homine dicta sunt, non absolutè interpretemur oportet: verùm utplurimùm restringenda sunt ad præsentem rerum scenam, quæ nobis in conspectum datur.

Locus alius, qui videtur facere pro immortalitate animæ naturali, ille est, ubi servator noster Abrahamum, Isaacum & Jacobum vivere affirmat. Ad quod respondeo, vivere quidem, non tamen actu, sed quatenus promissione Dei vitæ æternæ, & resurgendi certi sunt, i. e. scripti sunt libro vitæ, vivúntque eo sensu, quo Adamus eo die mortuus erat, quo de fructu vetito gustavit. A quibusdam etiam pro immortalitate adducitur id, quod in novo Testamento narratur de Divite & Lazaro. Sed narratio illa, quia parabola est, nihil probat. Præterea addo quòd neque in Scriptura sacra, neque in Liturgia nostra vox illa *anima immortalis* omnino invenitur. p. 299, 300. *H.*

1. Exorandus es ostendere vel unum apiculum in sacris literis, ubi illi qui actu non vivunt, vivere dicuntur, quippe promissione certi sunt vitæ æternæ. 2. Libenter scirem quo pacto Abrahamus, Isaacus & Jacob certi esse possint vitæ æternæ, si quoad animam non vivant. Hæc certitudo, quam commemoras, est subjectiva, utì verba palàm indicant. Certitudo subjectiva nullibi est præterquam in intellectu. Verùm nullus est intellectus ubi vita in universum desideratur. 3. Non solummodo dicuntur vivere, verùm etiam Deo vivere, quod amplius est quàm vitam habere promissam. Idem de Christo ipso dicitur postquam resurrexit, & in sedem beatorum fuerit receptus, Rom. 6. 10. Itaque quemadmodum Christus *T.* *Luc.* 20. 38.

stus Deo vivere dicitur, non quia promissione vitæ æternæ certus est; verùm propterea quòd vitam agit in patria cœlesti à mundo absconditam, Deo notam: ità æquum est, ut putemus verba eundem sensum fundere, cùm ab ipso Christo ad sanctos Patriarchas applicata sint. 4. Si vivant eo sensu, quo Adamus eo die mortuus erat, quo de fructu vetito gustavit: tum revera, & non figuratè tantùm vivunt. Namque Adamus eo ipso die mortem spiritualem perpessus est: Ergo Abrahamus, Isaacus & Jacob jam nunc ante resurrectionem vitam agunt spiritualem. Verùm vita spiritualis nullibi est, ubi naturalis desideratur. Quod de Divite & Lazaro narratur, sive sit historia, sive parabola, sive narratio historico-parabolica, luculenter indicat animas tam malorum quàm bonorum non protinus à morte extingui, utì suprà ostensum est. Immortalitas animæ disertè asseritur, Mat. 10. Item in Liturgia Anglicana, utì palàm faciunt hæc verba, Omnipotens Deus, quocum vivunt spiritus eorum, qui hinc decesserunt in domino. Indè constat animas cum domino vivere quamprimùm ab hoc terreno carcere solutæ sunt. Hanc vitam Liturgia sæpenumerò æternam appellat. Anima, quæ vitam agit æternam, nunquam letho interit; & quæ nec unquam interit, immortalis est. De voce soliciti non sumus, dummodò res inveniatur.

H. Sunt autem Testamenti novi loca quædam alia, quæ videntur immortalitatem attribuere etiam reprobis. Manifestè enim dicitur, quòd resurgent ad judicium ultimum, atque indè ibunt in ignem æternum, cruciatus æternos, pœnas æternas, quódque in illis vermis conscientiæ nunquam morietur. Quæ omnia intelligi volunt plurimi per æternam mortem. Mihi verò nimis durum videtur de Deo dicere, &c. quòd peccata hominum cruciatibus extremis, majoribus quàm quisquam imaginari potest, & sine fine temporis punire

nire velit. Videamus ergo per ignem æternum quid aliud significari possit, &c. Itaque æternum in illis locis idem videtur significare, quod usque ad finem seculi. Seculum autem Latinis idem non est quod Græcis αἰών neque seculum putabant Judæi spatium, ut Romani, centum annorum, quod est hominis ævum, in quo nemo sit qui vixerat in seculo antecedente: sed ævum æstimabant ætatem mundi, nimirum ut esset unum à creatione ad diluvium; alterum à diluvio usque ad conflagrationem mundi in adventu Messiæ; tertium ab adventu Messiæ in æternum; ità ut tertium hoc ævum sit ævum ævorum αἰὼν αἰώνων. Et sic reprobi usque ad finem hujus ævi i. e. hujus mundi puniri possunt usque ad mortem secundam, quæ pœna propter eam causam αἰώνιος dici potest. Nam Sanctus Paulus de resurrectione loquens, 1 Cor. 15. intelligit solùm resurrectionem ad vitam æternam, non ad pœnam æternam. Corpus, inquit, seminatur in corruptione, surget in incorruptione, &c. nihil horum de reprobis dici potest. Simpliciter cùm de resurrectione loquitur Christus, solam intelligit resurrectionem ad vitam æternam. Luc. 20. v. 34, 35, 36, &c.

In examine Dogmatis de punitione reproborum probatum dedimus, quòd nè ex minimâ quidem parte naturæ divinæ adversatur, ut punitio eorum in æternum maneat; idcircò nulla necessitas indè in nos devoluta est, ad cudendam vocis [αἰώνιος] novam interpretationem, cùm de pœnis apud inferos usurpetur. Tibi visum est asserere æternum in illis locis idem significare quod usque ad finem seculi; & pro consuetudine Judæorum tria mundi secula commemoras; primum à creatione ad diluvium; secundum à diluvio usque ad conflagrationem mundi in adventu Messiæ; tertium ab adventu Messiæ in æternum: T.

ità

ità ut ævum hoc tertium dicendum sit ævum ævorum αἰὼν αἰώνων. Si pœna reproborum αἰώνιος appelletur, quippe quòd duratura sit usque ad finem seculi, quodnam, obsecro, horum trium seculorum intelligis? Non primum, utpote jamdudum præteritum; non tertium, utpote nullum habiturum finem: Ergo necesse est ut seculum secundum tibi in animo sit. 1. Si pœna reproborum sit αἰώνιος, quippe mansura est usque ad periodum hujus secundi seculi, h. e. hujus mundi, tum reprobi pœnas æternas luituri sunt ante diem resurrectionis. Nam resurrectio non est futura antequam hoc præsens seculum desiverit. Tunc enim inceptura est, cùm Messias cœlesti gloriâ collustratus advenerit; cujus adventus ex tua ipsius sententia est tertii seculi initium. Itaque necesse est, ut vel reprobi resurgant ante resurrectionem, vel mortem secundam patiantur, priusquam ad vitam secundam resuscitati sunt. 2. Si ignis dicatur æternus, quippe quòd ad finem hujus seculi conflagraturus est, palàm fac, quo pacto Christus, hoc ævo ad periodum producto, poterit sententiam illam decretoriam denunciare, Discedite à me maledicti in ignem æternum. Hæc verba proferenda sunt, finito seculo secundo, postquam Christus advenerit, & citra dubium aliquid jam dehinc futurum respiciunt. Quinetiam κόλασις dicitur αἰώνιος v. 46. Ibunt injusti in supplicium æternum, pii verò in vitam æternam. Supplicium est pariter æternum atque vita, uti oppositio indicat: verùm vita non dicitur æterna, quia duratura est ad finem seculi; ergo neque supplicium. 3. Si concedamus tibi Scriptores sacros in voce αἰώνιος Hebræorum morem in dividendis mundi seculis respexisse, nihilo secius æternitatem absolutam & non limitatam denotabit, cùm de supplicio infernali prædicetur. Nam olim in usum venerat apud Judæos durationem æternam propriè sic dictam hac

phrasi

phrasi describere מן העולם ועד העולם. Ante Sadducæorum ortum usurpabant solum לעולם: verùm postea, ut familiari loquendi modo testimonium perhiberent de errore eorum, qui tibi similiter futuri statûs æternitatem inficiabantur, לעולם mutârunt in מן העולם ועד העולם. His ipsissimis verbis, quibus æternitatem absolutam denotare consueverant Hebræi, utitur novum Testamentum, ubi commemorat cruciatus infernales. Dicitur enim Apo. 20. 10. diabolum, bestiam & pseudoprophetam in stagno ignis tortum iri die & nocte *εἰς τοὺς αἰῶνας τῶν αἰώνων*, h.e. מן העולם עד העולם. Quæ phrasis ex Hebræorum sententia æternitatem non limitatam, sed absolutam denotat. Hinc alibi in novo instrumento eodem occurrit significatu, Gal. 1. 5. Eph. 3. 21. Si Apostolus 1 Cor. 15. & Christus Luc. 20. de resurrectione sola ad vitam æternam loquantur: tamen alibi Spiritus Sanctus de resurrectione ad poenas æternas plenum perhibet testimonium. Sanctus Paulus asserit se in spem venire resurrectionis mortuorum tum justorum tum injustorum, Act. 24. 15. Resurrectio justorum est ad vitam, injustorum ad damnationem, Jo. 5. 29. Justi expergiscentur ad vitam æternam, injusti ad opprobria & contemptum æternum, Dan. 12. 2.

Dogma XXXVIII.

Blasphemare in Spiritum sanctum non impropriè dici potest blasphemare in Ecclesiam, c. 44. p. 302.

H. MAnifestum est Spiritum Sanctum tertiam personam Trinitatis missum esse paracletum eo fine,ut Ecclesiæ usque ad finem seculi assisteret,& proinde blasphemare in Spiritum Sanctum non impropriè dici posse blasphemare in Ecclesiam. Videtur ergo (Mat. 12. v. 32.) servator noster suam ipsius in peccatis condonandis lenitatem & facilitatem comparare cum severitate pastorum Ecclesiæ erga illos, qui autoritatem eorum spiritualem parvi facerent: tanquam dixisset, vos, qui potestatem meam aspernamini: vos, qui me cruci fixistis, quoties vos pœnitebit, & ad me per resipiscentiam convertemini, misericordiam meam sentietis: quòd si potestatem eorum, qui vos postea docebunt in virtute Spiritûs Sancti, negabitis, erunt inexorabiles, neque in hoc mundo vobis ignoscent, sed sine absolutione puniendos relinquent (quantum in illis est) in seculo futuro. Atque ità verba illa servatoris nostri pro prædictione sive prophetia sumi possunt severitatis hominum Ecclesiasticorum in regno Ponificis Romani.

T. 1. Intende digitum vel ad unum apicem sacræ paginæ ubi Ecclesia ponitur pro Spiritu Sancto. 2. Cùm Christus hæc verba esset locutus, Pharisæi erant non infima pars Ecclesiæ, quæ solvendi & ligandi potestatem sibi arrogabant. Itaque si blasphemare in Spiritum Sanctum sit Ecclesiæ convitium impingere; perinde est ac si diceres, blasphemare in Spiritum est Pharisæos probro afficere. Et sic peccare in Spiritum

tum Sanctum est idem atque in Pharisæos peccare. 3. Si per Ecclesiam non intelligas præsentem, dum Christus in terris commorabatur, verùm futuram in regno Pontificis Romani, tum in Spiritum Sanctum blasphemare aliud nihil sonat præterquam famam lædere Pontificis Romani: & sic tu ipse à peccato in Spiritum Sanctum non immunis es, qui eidem Pontifici in regno tenebrarum principatum tribuere non reformidas. 4. Interpretatio tua à scopo, ad quem Christus collimat in oratione sua, multùm admodum aberrat. Nequaquam, ut tua fert opinio, in animo habuit facilitatem suam in condonandis peccatis cum severitate pastorum Ecclesiæ in retinendis conferre. Ab hac meta haud parùm aliena est Christi oratio. Pharisæi opera, quæ Christus præstiterat miraculosa, principi dæmoniorum non erubuerunt ascribere, quasi virtutem ab eo fonte derivatam habuisset. Christus cogitationibus eorum perceptis, se protinus accingit ad Apologiam concinnandam, & ad postremum illis ante oculos ponit periculum, cui se obnoxios reddiderant, impingendo tam grave convitium. Quicunque, inquit, dixerit verbum adversùs filium hominis, h. e. si quis contumeliosè tractaverit Jesum Christum humili nostrâ naturâ indutum, verùm nondum majestatem divinam per opera miraculosa patefacientem, quamvìs grave perpetret peccatum, tamen omnis spes de venia non despondetur: at verò quicunque verbum dixerit adversùs Spiritum Sanctum, h. e. qui opera divini spiritûs miraculosa, quibus demonstratum est filium hominis esse filium Dei, & etiam evangelium ab eo prædicatum esse coelitus demissum, invido & maligno animo, renuente conscientiâ, inferorum principi attribuerit, sciant Pharisæi, Deum decretoriâ sententiâ statuisse, nè tali homini hæc blasphemia remittatur. Apex & fastigium peccati ad mortem est hoc convitium. Initium

ducit

ducit à veritatis evangelicæ rejectione post convictionem plenam. Progreditur ad impugnationem malitiosam. Desinit tandem in blasphemiam in Spiritum ipsum, qui veritati annulum cœli signatorium impressit. Textus hunc in modum expositus Christi scopo apprimè convenit: verùm sensus à te impositus longè alienus est. Cui (obsecro) usui inservit vaticinium fundere de severitate hominum Ecclesiasticorum in regno Pontificio, cùm Christus totus versetur in diluendis convitiis, quibus Pharisæi illum insectati fuerant? Fac ut mente capiamus, quid hæc prophetia ad tale propositum collatura sit.

Dogma XXXIX.

Dæmones non sunt res incorporeæ per se existentes, sed idola cerebri, c. 45. p. 308.

INvenimus in Scripturis Angelos quidem esse, & spiritus tum bonos tum malos, sed non incorporeos; & esse apparitiones, somnia, spectra, idola, sed non esse ea substantias. p. 308. *H.*

Ut Demus demonstratum, Dæmonas esse ὑφεστῶτα incorporea, & non phantasmata sive idola cerebri, progrediamur oportet gradatim. 1. Deus est spiritus infinitus, omnis expers corporietatis. Etenim cum attributis præcellentissimis, quæ pro peculio sibi asseruit, corporietas nequit consistere. Uti videre est in examine Dogmatis tertii. *T.*

2. Nequaquam à ratione alienum est, ut Deus qui spiritus est incorporeus, spiritum produceret immaterialem. Nulla ex Dei aut rei parte assignari poterit repugnantia. Nihil convenientius est, quàm ut spiritui infinitâ potentiâ prædito tantum virium attribuamus, quantum spiritui finito ex Abysso nihili eliciendo sufficiat. Non magis repugnant esse & esse incorporeum, quàm esse & esse corporeum. Res corporea est impenetrabilis & divisibilis. Incorporea verò penetrabilis & indivisibilis. Perinde immediata est utraque propositio. Non magis entitati adversæ sunt hæ, quàm illæ proprietates. Immo etiam eò minùs quodlibet in finitorum genere ab entitate abhorret, quò propiùs accedit ad naturam entis necessariò existentis. Verùm hoc summum ens, utpote spiritum purissimum, affinitate magis attingit res incorporeas, quàm corporeas.

3. In

3. In sacra pagina, ubi revelatum est, quousque Deo complacitum fuerit potentiam suam exerere, commemorantur spiritus tum boni tum mali. In utraque pagina cuique legenti occursura est hæc doctrina.

4. Spiritibus hisce tribuitur intellectus solertissimus, multis parasangis animæ humanæ modulum excedens. Nulla est acutissimi ingenii operatio, quæ facilitate multum admodum majori ab Angelis non præstetur.

5. Si spiritibus his intellectus competat adeò præcellens, incorporei sint & immateriales necesse est. Nuda materia incapax est facultatis intellectivæ, nedum ingenii tam excellentis. νοήματα, quæ spiritibus tributa legimus in sacris Oraculis, excogitari nequeunt citra discursum mentalem. Discursus mentalis peragi non potest absque intuitu consequentiarum & connexionum, quæ inter res perceptas interveniunt. Connexiones nequeunt percipi citra notitiam relationum & habitudinum, quibus res connectuntur. Id genus relationibus non est natura à materia composita. Quicquid hujusmodi est, non absque motu producitur. Verùm citra ullum motum hujusmodi nascuntur & emergunt passim relationes. Supponamus duo poma arte confecta, in Gallia fabricatum alterum centum abhinc annis, alterum noviter in Anglia, utrumque sibi simillimum. Pomum in Gallia huic in Anglia simile esse non incepit, antequam hoc esset productum. Dic sodes, per quem motum facta sit relatio similitudinis in ovo Gallico; non per motum, quo confectum fuerit ovum ipsum; is enim centum abhinc annis desiit. Neque quo factum ovum Anglicum; quò minus hoc fiat impedit nimia loci longinquitas.

Si autem relationes & habitudines rerum è materia non compositæ sint, materiam nequeunt afficere. Et quod

quod materiam non afficit, nequaquam à materia intelligitur.

6. Si spiritibus in scriptura commemoratis intellectus & immaterialitas competant, ὑφιστάμενα sint oportet, sive substantiæ. Res dicuntur substantiæ, quatenus accidentibus & modis subjiciuntur. Verùm τὸ intelligere, existere sine materia,& quamplurima alia spiritibus tributa in sacris Bibliis, ut stare ante thronum, ascendere & descendere, adorare, &c. in modorum sive accidentium catalogum conscribenda sunt.

7. Fide constat horum spirituum aliquot à Deo descivisse, & degenerâsse in Dæmonas. Angeli enim suam dicuntur originem non servâsse, h. e. primam illam, in qua conditi fuerant, naturam, necnon suum reliquisse domicilium, h. e. cœlo deserto, descendisse ad inferiora, ubi detinentur ad diem judicii. *Jud. Ep. v.* 7. Hisce omnibus rationis trutinâ pensatis, quid amplius, obsecro, desideretur ad demonstrandum dæmonas esse res incorporeas per se subsistentes, & non cerebri Idola?

De horum spirituum existentia testimonium ultrà perhibent sortilegium, apparitiones, obsessiones, Dæmonologia ubique ferè Gentium recepta. A Sortilegio ducam exordium. Num opinaris Sagas & Sortilegos cum idolis solis cerebri sui commercium habere, & inire pacta?

H. Ab ignoratione distinctionis somniorum, aliorúmque phantasmatum vividorum à visione & sensione orta est opinio, quam habent populi rudes de potentia Sortilegorum. Nam etsi Sortilegium potentiam aliquam realem esse non putem, puto tamen Sortilegos puniri jure posse, cùm mala facinora & facere posse credant, & conentur, quantum possunt. Sed ipsum Sortilegium ego non tam potentiam veram esse credo, aut artem, aut sci-

 entiam,

entiam, quàm religionem ipsis peculiarem. Lev. c. 2. p. 8.

T. Non unicè opinatur populus imperitus sortilegium esse realem potentiam, verùm etiam Legislatores multùm admodum perspicaces. Secùs unde evenit, quòd viros & fœminas huic arti deditos morti adjudicent? Num existimas hosce etiam instar rudis vulgi hallucinari, & somnium à visione internoscere non posse?

Quinetiam non solummodo homines acutissimi idem cum vulgo sentiunt, verùm etiam ipse Deus. Non patieris (inquit) מכשפה vivere, Exod. 22. 19. Ne מכשף inter vos reperiatur, Deut. 18. 16. מכשף propriè est ille, qui actus magicos exercet ope diaboli. Harum legum scopus est cavere, ne Israelitæ moribus imbuerentur Amorræorum, & Sabiorum, quibus erat solenne eo consilio cum dæmonibus commercium habere, ut subsidio eorum mirabilia præstarent. Consueverunt dæmones hircinam formam induere, hinc שעירים appellantur, locísque desertis se cultoribus suis patefacere. Hinc commemorantur sacrificia Dæmoniis & Satyris oblata, Lev. 17. 7. Deut. 32. 18. Horum spirituum auxilio, quorum benevolentiam cultu idololatrico sibi conciliaverant, multa Sabii præstiterunt opera, quæ Maimonides ad tres species revocat. Prima est illorum, quæ versantur circa plantas, animalia, metalla. Secunda consistit in circumscriptione & determinatione temporis, quo opera illa facienda sunt. Tertia consistit in gestibus & actionibus humanis, ut saltatione, &c. Cùm Deus in mandatis dat usuram lucis Magis eripere, sine dubio tales in animo habet, quales inter Sabios & Amorræos fuêre valde frequentes. Ut enim obviàm eatur Sabiorum moribus, palmarius est legis Judicialis scopus. Utì Maimonides luculenter demonstravit. At verò, (ut ex præmissis liquet)

More Nevochim. c. 37. p. 444.

quet) Sabii non erant somniis & phantasmatibus decepti, verùm reipsâ familiari cum dæmonibus commercio fruebantur, & quarundam ceremoniarum usu illos evocare solebant, ad facinus aliquod patrandum: quemadmodum latro comitem suum in sylvis latitantem sibilo excitat, ut viatorem incautum ex improviso opprimat, & involet in prædam.

Si vel voces ipsas מכשפה & מכשף unicè pensitemus, constabit tales præstigiatrices & præstigiatores hisce intelligi nominibus, quales communiter Sortilegii crimine solent damnari. כשף unde מכשף derivatur, non est propriè veneno lædere, verùm mutare aliquid ad aspectum oculi, & mirabile facere cum alterius detrimento. Hinc Pharaonis Magi appellantur מכשפים Ex. 7. 11. & כשפים Jesabeli tribuuntur, 2 Reg. 9. 22. Non constat Pharaonis Magos aut Jesabelem fuisse venenarios, verùm artem exercuisse Magicam, hanc philtris hominum dementâsse animos, illos præstigias eorum oculis offudisse. Samaria urbs Jesabelis præ familiari incolarum cum Dæmone commercio adeò erat famosa, ut dictum sit Jo. 8. 48. Samaritanus es, & Dæmonium habes.

Si Sortilegium non sit realis potentia, dic mihi, cur ità sentias. Crimen fatentur ipsi rei, non solùm unus vel alter atrâ bile laborans, verùm etiam Gentes aliquot. Americani statis diebus Dæmonem visibili formâ indutum supplices adeunt, de suis consulunt negotiis, honoréque religioso prosequuntur. Hoc notissimum est nostratibus in nova Anglia, qui in veterum incolarum consuetudinem se immerserunt.

Non absonum tibi videbitur, ut talis sit potentia, si in memoriam revoces, 1. Dæmonem esse, ut suprà liquet. 2. In regno tenebrarum magnâ indui potentiâ. Appellatur enim hujusce mundi Deus. 3. Strenuè conatum esse, ut cum ipso Christo fœdus

iniret, Mat. 4. 4. Eandem citra dubium aliis oblaturum tentationem. Qui tam audaciter adoritur ducem salutis, non opinandum est illum militibus parsurum. 5. Quamplurimos devictum & triumphatum iri. Quotquot enim passim sunt, qui ad nutum Dæmonis ducuntur, & ad voluntatem ejus se totos componunt? Quamprimùm talis fit conventio, fœderatus novâ præditus est potentiâ. Dæmon ipse stat in procinctu, signo juxta pacti conditionem dato, vires suas exerere, mirabiliáque, quæ captum superant humanum, præstare.

Cùm adjicias Sortilegos puniri posse, eò quòd mala facinora se facere posse credant, & quantum possent, conentur; regero eos jure mali conatûs pœnas luere, quantùm ad Deum, verùm iniquè tractari, quantùm ad homines, qui non de iis supplicium sumunt ob conatum facinorosum, verùm sceleris causâ, quod nunquam patrârunt.

A Sortilegio progrediar ad Apparitiones, quæ, Dæmonas existere, pariter evincunt.

H. Quod autem ad Lemures & Spiritus ambulantes attinet, opinio quæ de illis hactenus valuit, de industria, puto, tradita fuit, vel non confutata ad usum exorcismorum & signationum signo crucis, & aquæ benedictæ, aliarúmque similium inventionum hominum spiritualium sustinendum. Dubium tamen non est, quin phantasmata supernaturalia fieri possint à Deo. c. 2. p. 8.

T. Neutiquam fas est putare, opinionem hanc ex re prædicta ubique Gentium primùm fuisse traditam; cùm locis aliquot invaluerit, antequam ullæ hujusmodi introductæ fuerint hominum spiritualium inventiones. In Insulis Fortunatis (inquit Vives) quas Canarias vocant, priusquam in ditionem Christianorum venirent, Dæmones in Idolis apertè loquebantur populo, & jubebant se adorari & coli.

De ver. fidei l. 2. p. 75.

Nostrâ

Noſtrâ hâc memoriâ (inquit idem Author) in insulis Occidentalibus & novo hoc orbe Hiſpanis navigationibus reperto, Dæmones per vias omnes & compita frequentiſſimè homines illos alloquebantur, & quæ fieri vellent, admonebant; ubi verò Christianæ doctrinæ Magiſtri eò venerunt, magnum illicò ſilentium omnium, magna fuga. *De ver. fidei l. 2. p. 320.*

2. Si confutata non fuerit hæc opinio, utpote inſerviens ſuſtinendis prædictis inventionibus, non indè concludendum eſt eam eſſe veritati diſſonam. Quamplurimi ſunt, qui ex ea re ſola à refutanda religionis doctrina ſe abſtinent, quòd probè intelligant deſenſionem ejus ſuæ ſæculari utilitati multùm admodum inſervituram: & tamen non indè ſequitur religionem eſſe fabulam anilem.

3. Concedimus tibi, Deum poſſe phantaſmata facere pro ſuo arbitrio: verùm de talibus apparitionibus præſens non inſtituitur diſquiſitio. Phantaſmatum ſive apparitionum inſolitarum quatuor ſunt genera, artificialia, naturalia, divina, diabolica. Tota lis eſt de his noviſſimis, quæ ſcilicet homines ad talia alliciunt facinora, quæ promovere à natura divina prorſus abhorret. Ineptum eſt opinari, omnia hujuſmodi Spectra inter cerebri Idola, & deliria melancholica numeranda eſſe. Quandoquidem non ſolummodo hominibus ſe conſpicienda exhibuêre melancholicis, verùm etiam viris temperamenti lucidiſſimi ab hoc morbo maximè alieni. "In India occidentali "legimus Diabolum variis formis ſe incolis quibuſ"cunque in compitis pateſeciſſe, non nocte ſolâ, ve"rùm medio die. Num veriſimile eſt totam Gentem atrâ bile ſuiſſe affectam? Si incolarum uni vel alteri viſæ fuiſſent hæ apparitiones, non immeritò in ſuſpicionem veniſſet earum veritas. At ubi Gens univerſa ſæpenumerò iis occurrerit, allocuta fuerit, religioſo impertiverit obſequio, abſonum eſſet opi- *De ver. fid. 176.*

 nari

niri eas nihil fuiſſe omnino præter cerebri tumultus intemperie corporis productos.

Viris hiſce in rebus aliis ſenſus ſunt acutiſſimi. Etenim venandi & piſcandi artem apprimè callent, quod ſit indicio, læſa non fuiſſe eorum organa. Cum veracitate primi conditoris vix in pacem adduci poterit homines ità formare, ut fallantur ſenſus eorum, medio die, citra ullam organi intemperiem.

Teſtimonia non deſiderantur longè antiquiora, quæ apertè demonſtrant apparitiones omnes non fuiſſe cerebri idola. Compertiſſimum eſt, quod Herodotus refert de ſpectro, quod Xerxi bis in ſomno apparuerit, perſuaſeritque, minis additis, ut Græcis bellum inferret. Quod cùm Artabanus inſuper habuit, & inſomniis tribueret, ei etiam regali ſolio recubanti ſpectrum illud in ſomnis apparuit, & minitabatur, ſi bello eſſet impedimento, candentibus ferramentis oculos ipſius eruere.

Polyhm. L. 7. p. 92.

Dion Syracuſanus, (inquit Plutarchus) ſedebat fortè diei ſero ἐν παστάδι τῆς οἰκίας domi in porticu cogitabundus, ibi ſtrepitu repentè facto, reſpiciens clarà adhuc luce, ad alteram porticûs partem conſpexit grandem mulierem, vultu & facie nihil à tragica abhorrentem furia, quæ verrebat ſcopis domum. Ille vehementer perculſus & trepidans accivit amicos, viſúmque iis narravit, atque oravit, apud ſe ut manerent, & pernoctarent, timens, ne, ſi ſolum reliquiſſent, iterum ſibi obverſaretur.

Plutar. Dion. vit.

Scribit Ammianus Marcellinus Juliano Apoſtatæ ad æmulationem Julii Cæſaris ſcribenti, paulò ante prælium contra Perſas, ſpectrum apparuiſſe per aulæa triſtiùs diſcedens.

Alarichum, (uti innuit Socrates) cùm Romam eſſet iturus, familiariter ſuus alloquebatur Genius hiſce verbis, πόρθησον πόλιν.

Socr. Hiſt. p. 73.

Notiſſimum eſt, quod ferunt Hiſtorici de Marci

Bruti

Bruti spectro, cùm contra Augustum ex Asia in Europam exercitum esset ducturus.

Marcum Brutum legimus (qui cùm amicus fuisset Julii Cæsaris, & ab eo vitam condonatam acceperat, illum tamen ingratè occiderat) nocte illâ, quæ præcessit diem, in quo pugnatum est contra Augustum Cæsarem apud Philippos, phantasma habuisse horribile. Sed ab Historicis narratur, ut visio vera. Sed ab eo qui consideraverit singulas ejus circumstantias, non visionem sed somnium fuisse brevì judicabit. Sedenti enim in tentorio, & (propter horrorem facti sui temerarii) tristi & cogitabundo, nec bene sopito, sed dormitanti tantùm, propter aerem non satis calidum, somniare facillimum erat de ea re, quâ maximè terrebatur, & propter eundem terrorem paulatim rursus evigilare & simul existimare spectrum illud, quod apparuerat, paulatim evanescere, & quia dormiisse se nesciebat, nescire etiam fuisse somnium, aut aliud quicquam præter rem visam. c. 2. p. 7. *H.*

Qui omnes pensitaverit circumstantias facilè percepturus est Marcum Brutum non somniâsse, sed verum spectrum vidisse. 1. Notandum est, spectrum non unicè ei apparuisse nocte ante prælium; verùm etiam cùm exercitum transportaturus esset ex Asia. Et propalam est eum tunc temporis non dormitâsse, ὁ δὲ συλλογιζόμενός τι καὶ σκοπῶν πρὸς ἑαυτὸν, &c. ratiocinans & reputans secum, visus est aliquem ingredientem sentire, inquit Plutarchus. συλλογίζεσθαι Syllogismos componere animum experrectum innuit, non dormitantem; & ubi somnus non est, nulla sunt insomnia. 2. Spectrum distinctè Brutus allocutus est, τίς ποτ᾽ ὢν (εἶπεν) ἀνθρώπων ἢ θεῶν, &c. Quisnam enim hominum aut deorum es, aut qua de causa ad nos venisti? Perinde distinctè regerit φάσμα, Tuus sum, Brute, malus genius, in Philippis me videbis. Colloquium hoc clarum adeò & perspicuum *T.*

vigilias resipit, non somnum, in quo magis confusa & perturbata solent esse omnia.

3. Spectrum hoc juxta promissum ei apud Philippos apparuit nocte ante prælium. ἐν ἐκείνῃ γὰρ τῇ νυκτὶ πάλιν φασὶν εἰς ὄψιν ἐλθεῖν τὸ φάσμα τῷ Βρούτῳ· eâ nocte
Brut. vit. spectrum illud referant iterum Bruto in conspectum
p. 1006. venisse, inquit Plutarchus. Si visio prima somnium fuisset, non adeò facile est divinare, quo pacto accideret, ut loco à spectro nominato, idem somniaret Brutus. Quandoquidem non erat meticulosus, superstitiosus, aut vanis obnoxius imaginibus. Adversùs eas Epicuri doctrina, à Cassio diligenter inculcata, illum satìs muniverat. Qui visionem hanc duplicem (pro more enim tuo, primam retices, quæ maximè facit ad nostrum institutum) unà cum circumstantiis suis omnibus ponderaverit, citra negotium intellecturus est Marco Bruto verum apparuisse spectrum.

Ab apparitionibus progrediar ad obsessiones, quæ de spirituum existentia testimonium nobis suppeditant pariter luculentum.

Dæmoniacos sive arreptitios esse patet tum ab effectis, tum à testimoniis. 1 Ab effectis. Nonnulla ab iis, qui pro Dæmoniacis habiti sunt, quandoque perpetrantur, quæ nulli causæ præterquam Dæmoni possunt attribui. Ut ex. gr. abditissima revelare, linguis ignotis loqui. In Westphalia (inquit Sleidanus) cùm Anabaptistæ rerum potirentur, lege de communitate bonorum promulgatâ, necessitatem singulis fuisse impositam, ut conferrentur in commune bona: cúm-
Bodin. que nummos suos dissimularent & celarent multi,
Mag. Dæm. puellas duas extitisse quæ revelabant omnia. Scribit
L. 3. c. 6. Melanthon se vidisse obsessam nescientem legere,
Baldw. cas. quæ tamen Græcè & Latinè loquebatur. Hæc ar-
L. 3. c. 3. tem superant humanam. Blasphemiæ autem, religionis contemptus, cæteráque scelera, quæ communiter hujus-

hujusmodi concomitantur opera, palàm indicant ea à spiritu nullo præterquam malo perfici posse.

Magnus erat quondam in urbe Abderensium confluxus populi ad Theatrum, cùm ageretur fabula Andromedæ æstivo & fervente die; unde spectatorum magna multitudo partim à calore, partim ab ipsa Tragœdia in febrem incidentes, aliud nihil dicere potuerunt præter Iambos, quos ab Actoribus in Tragœdia audierant recitatos; ab hac autem insania, superveniente hyeme liberati sunt; & proinde visa est processisse ab illa passione quam animis spectatorum impresserat Tragœdia. Etiam in civitate alia Græca insaniæ species alia quædam orta est, quæ in adolescentulas incidens fecit, ut earum multæ se suspenderint. Hoc autem à plurimis à diabolo profectum esse existimabatur; unus autem erat, qui ipsarum contemptum hunc vitæ oriri ab animi aliqua passione suspicatus est; putánsque illas non ut vitam, sic honorem etiam contempsisse, Magistratibus consilium dedit, ut quæ se suspenderint nudæ penderent, quod cùm factum esset, insania illa desiit. Lev. c. 8. p. 39. *H.*

Eò spectant hæc exempla, ut ostendas mirandos effectus sæpenumerò à viris pro energumenis habitis præstitos à nulla proficisci causa præter insaniam: verùm ne tantillum quidem ad propositum conferunt. Quandoquidem in historiis commemoratis circumstantiæ evidenter ad insaniam & enormem passionem, tanquam ad indubitatum horum operum fontem digitum intendunt. Scribit Plinius apud Abderam pascua esse, in quibus equi pasti in rabiem vertuntur. Testatur Cicero Abderitanos stupori mentis obnoxios esse. Verisimile est agri solum tempore æstivo tales emisisse vapores, qui hanc intemperiem plurimùm promoverent. Nihil hîc commemoratur, cujus insania causa esse non potest. Possibile enim est, ut mentis impos totus versetur in repeten- *T.* *L. 25. 8.* *L. de nat. Deorum.*

dis

dis carminibus, quæ audiverit non ità pridem recitata, & ut violentas manus sibi inferat. Verùm ostende mihi homines præ insania eò usque evectos, ut secretissima patefacerent nemini mortalium præterquam reis ipsis nota, ignotísque linguis loquerentur.

Photii nomocan. tit. 1. c. 15. tit. 3. c. 13. Quemadmodum ab effectis constat Dæmoniacos esse, ità etiam à Testimoniis tum humanis, tum divinis. Humana conspicienda sunt in Canonibus Ecclesiasticis, divina in sacris Oraculis, ubi Dæmoniacorum frequens est mentio.

H. Non sunt scripturæ sensu verborum rigido semper accipiendæ. Neque ex illis necessariò evinci potest Dæmoniacos alios fuisse, quàm insanos & furiosos, vel modo aliquo mente læsos. c. 8. p. 41.

T. Si res ità sit, tibi ostendere incumbit quare Christus istiusmodi homines non ut insanos, non ut è
Mat. 8, 16. mente emotos, aut cerebro læsos sanaverit: verùm ut malo spiritu possessos. Num verisimile est Christum in Pharisæorum animis errorem alere voluisse? Cautè distinguitur inter δαιμονιζομένους & τοὺς κακῶς ἔχοντας, Mat. 8. 16.

H. Respondeo, quæ à formula dictionis sumuntur firma non esse. Quoties enim loquitur Scriptura Sacra de terra ut immobili, quam tamen Philosophi hodie ferè omnes moveri censent signis evidentissimis? Scriptura scripta est à Prophetis & Apostolis ad docendam non philosophiam, (quam ad exercitium rationis naturalis contemplationibus disputationibúsque hominum reliquit Deus) sed pietatem & salutis æternæ viam. Sive enim terræ, sive solis motus diem & noctem faciat; sive humanarum actionum exorbitatio à passionibus, sive à diabolo oriatur, ad pietatem & salutem nihil refert. Lev. c. 8. p. 41.

T. Si tibi concederemus scripturam in re philosophica populariter loqui, scilicet prout vulgo apparent omnia,

omnia, quippe eo animo literis mandatam, non ut philosophiam, sed pietatem doceat: tamen non indè bene infertur ac si idem in re, quam præ manibus habemus, factum fuisset. Plurimùm enim ad pietatem & salutem confert compertum habere, an exorbitatio actionum nostrarum sit à Diabolo. Inter omnes convenit, quòd ad hunc finem multùm admodum conducat, ut inordinatos animi motus supprimamus. Hi nequeunt supprimi nisi sublata sit eorum causa. Adimi non potest hæc causa, nisi nobis perspecta sit. Itaque si à Diabolo actionum nostrarum exorbitatio oriatur, quantùm ad salutem æternam plurimùm nostrâ interest hoc intellectu tenere; ut scilicet mediis à Deo præfinitis utamur ad fugandum hunc hostem. Quilibet Christianus miles est. Militis autem interest hostis indolem & stratagemata explorare, ut meliùs percipiat, quo pacto sibi prospiciat, & suæ securitati consulat.

Quinetiam cùm Christus & Apostoli Dæmonem de possessione dimoveant, vel dictionis formulâ docemur Dæmonem esse aliquid præter insaniam, aut aliquam corporis intemperiem. Alloquitur enim eum ut personam intelligentem, necnon objurgat.

Nonne Christus Mat. 8. 26. objurgavit ventos, & Luc. 4. 39. objurgavit febrem? non tamen argui hinc potest, febrem esse Diabolum. p. 41. *H.*

Non objurgatione solâ nititur vis argumenti: verùm etiam colloquiis inter Christum & Dæmonas. Dæmones petebant, ut abirent in gregem porcorum, Christus ait iis, Abite, Mat. 8. 31, 32. Confitebantur etiam Dæmonia Jesum esse filium Dei. Increpabat Jesus ea, & non permittebat, ut loquerentur, Luc. 4. 41. Legimus etiam malum spiritum respondisse filiis Scevæ, Jesum novi, Paulum novi, vos autem qui estis? Act. 19. 15. Ostende mihi aliquid similiter dictum de ventis, aut febri, ubi scilicet se colloquiis immiscuerint. *T.*

Nunc

Nunc jam accedo ad Dæmonologiam. Spirituum existentia tam clarè veteribus philosophis innotuit, ut doctrinam sive scientiam de Dæmoniis formaverint. Dæmonologia hæc in Epistolis Paulinis nuncupatur διδασκαλία τῶν δαιμονίων. Specimen ejus videre est in Porphyrio apud Eusebium. Notissima sunt, quæ passim decantantur de Socratis & Plotini geniis. Non opus est, ut, quæ ubique ferè conspicienda sunt, cumularem testimonia.

L. 4. præp. Evang. c. 22.

H. Quomodo ab objectis visibilibus tum linea directa tum reflexa & refracta producantur in hominibus phantasmata, sive ipsorum objectorum imagines, dictum suprà est c. 1 & 2. Quod cùm ignorarent philosophi veteres & multò magis illorum temporum homines alii, qui neglectis scientiis studebant tantùm divitiis vel acquirendis vel fruendis, sententias eorum qui vocabantur philosophi, necessariò sequebantur, non pensitantes rationes, sed verba tantùm accipientes & ipsi. Philosophorum autem alii phantasmata illa, quia non permanebant, &c. immaterialia, &c. existimabant. Alii autem corpora ea esse & animata sed facta ex aere, &c. In hoc autem consenserunt omnes, quòd essent Dæmones, &c. Item (quod necessariò sequebatur) phantasmata quædam ità metuerunt, quasi quæ juvandi & nocendi potentiam sine limite haberent. Potentia enim incognita pro infinita haberi solet vulgo imperito. Metus autem hic imperitorum hominum Rectoribus civitatum occasionem præbuit constituendi artem quandam Dæmonologiæ, quam dixerunt religionem, ut eâ vice metum civium regerent ad pacem publicam. c. 45. p. 306.

T. Non liquet veteres philosophos ignoràsse prorsus, quo modo phantasmata sive imagines objectorum ab objectis visibilibus producantur. Si institueretur inter tuam & illorum sententaim comparatio, quæ sit rationi maximè consentanea, non adeò facile esset statuere.

Dein

Dein si concedamus tibi eos modum non intellexisse producendi phantasmata: nec eo secius exploratam habere potuerunt naturam Dæmonum, quos repræsentabant phantasmata. Quicquid perceptum est, ope phantasmatis deprehenditur magnitudine, figurâ, motu objecti in cerebro producti. Si nemo nisi cui compertum est, quomodo hæc efformetur imago, certus esse possit, an objectum reale sit & non fictitium, è mundo eliminanda est omnis certitudo, & introducendus scepticismus. Vix enim millesimo innotescit imaginem fingendi ratio. Modi sæpenumero nescii sumus, ubi res pro certo tenetur. In Grammatices rudimentis, quæ puerorum manibus passim teruntur, haud veræ sunt aliquot regiminis regulæ; & tamen nequaquam emendanda est Latinitas ad eas composita. In medicina antequam inventa esset sanguinis circulatio, pro certo habuêre medici, pharmacis pedibus applicatis brevì affici remotissima corporis membra, etiamsi essent ignari, quo vehiculo tam citò veheretur eorum virtus.

Porrò non verisimile est philosophos ex ea re inductos fuisse ad opinandum spectra sive phantasmata esse immaterialia, quia non permanebant. Sive res permaneat, sive evanescat protinus, perinde est. Quicquid vel unico momento in conspectum datur, infallibile perhibet suæ materialitatis testimonium. Longè convenientius est existimare philosophos ideo credidisse Dæmonas esse incorporeos, quippe experientiâ fuissent edocti, quòd rationis usu pollerent. Naturæ enim lumine patet ratiocinandi facultatem nudæ materiæ competere non posse.

Denique gratìs dictum est, vulgi imperiti metum Rectoribus civitatum ansam præbuisse constituendi Dæmonologiæ artem, ut hoc pacto civium animos majori regerent facilitate. Abunde enim constat Rectores ipsos huic metui per omnia secula perinde fuisse obnoxios

atque

Anglic. Hist. L. 25. atque vulgus imperitum. Notissimum est, quod refert Polydorus Virgilius de Richardo tertio; qui nocte ante prælium decretorium imaginabatur se dæmoniis distrahi infernalibus. Non dissimile occurrit apud Sleidanum de Cardinali Crescentio. *Com. L. 23. p. 758.* Postquam literis scribendis ad Pontificem occupatus fuerat, visus est ei canis ater, inusitatâ magnitudine, flammantibus oculis, auribus propè ad terram demissis. Moribundus etiam subinde suis acclamâsse fertur, ut Canem qui lectum conscenderet, arcerent.

Si Dæmonologiam, quam fabulam esse noverint, concinnâssent Rectores in terrorem populi, unde fit, quòd iidem terrores Rectorum solicitarent pectora?

Eò fortiùs premet argumentum hoc à Dæmonologia petitum, si perpendatur doctrinam de Dæmoniis non solummodo Græcis, verùm etiam Judæis fuisse notam.

H. Scripta autem sua simul cum lingua Græca per victorias & Colonias suas communicârunt Græci Asiæ, Ægypti, & Italiæ populis, atque indè Dæmonologiam, sive (ut loquitur Sanctus Paulus) doctrinas de Dæmoniis, Judæorum non pauci, tum qui in ipsa Judæa, tum qui in Alexandria aliísque locis, quò dispersi erant, imbiberunt. p. 306.

T. Multùm erras, cùm asseras Judæos à Græcorum scriptis suam derivâsse Dæmonologiam. Verisimile est hanc doctrinam fuisse notam Genti Hebraicæ, antequam juxta computum vulgare literæ Græcæ innotescerent. Eo enim consilio componebatur non minima pars legis Mosaicæ, ut à Dæmonologia Hebræorum animos averteret, quod indicio sit, eam tunc temporis Hebræos non latuisse. Unum exemplum apponere non gravabor.

More Nevochim. L. 3. c. 46. p. 484. Lege cautum est Lev. 19. v. 26. ne quis comederet ad vel apud sanguinem. Asserit Maimonides eo

spectare

ſpectare hanc interdictionem ut Hebræi ſe abſtineant à conſuetudine Zabiorum, qui mactantes beſtiam aliquam, ſanguinem ejus accipiebant, & in vaſe vel foſſula aliqua colligebant, carnem verò mactatam circa illum ſanguinem in circulo ſedentes comedebant, imaginantes ſibi in hoc opere ipſis carnem comedentibus Dæmonas illum ſanguinem comedere, & hunc ipſorum eſſe cibum, hócque medio amicitiam, fraternitatem & familiaritatem inter ipſos contrahi, quia omnes in una menſa edunt, & uno conſeſſu accumbunt. Hinc liquet ante legem datam Dæmonologiam, ſive doctrinam de contrahenda cum Dæmoniis familiaritate, Hebræis innotuiſſe. Sicut hæc doctrina non latebat Hebræos, Ethnicos, ità nec Chriſtianos. Ejus mentio facta eſt à Sancto Paulo, 1 Tim. 4. 1. Si quantum ad Dæmonum ſpectet exiſtentiam vera non eſt, exorandus es dicere, quare contrarium non docuerit Chriſtus, imò cur ipſe formis loquendi uſus fuerit, quæ doctrinam illam videntur confirmare.

Reſpondeo primò, ubi Chriſtus dicit ſpiritum non habere carnem & oſſa, etſi ſpiritus eſſe affirmet, illos tamen corporeos eſſe non negat. Item ubi Sanctus Paulus dicit de electis quòd reſurgent corpora Spiritualia, naturam Spirituum agnoſcit, ſed corpoream. p. 307. *H.*

Chriſtus hoc in loco non ſolummodo affirmat ſpiritus eſſe, verùm etiam incorporeos. Tales enim eſſe aſſerit, quales eſſe opinabantur Judæi. Loquitur enim juxta receptam Hebræorum opinionem. Verùm Hebræi omnes (Sadducæis exceptis) ſpiritus incorporeos agnoſcebant. Hinc in Evangelio Nazaræorum qui filium Dei quidem confitebantur, verùm omnes cæteros articulos Judaicæ religionis retinebant, pro voce *ſpiritus* δαιμόνιον ἀσώματον uſurpatur. *T.*

Ubi

Ubi Sanctus Paulus dicit, quòd resurget corpus spirituale, nequaquam fatetur Spiritûs naturam esse corpoream. σπείρεται inquit, σῶμα ψυχικὸν h. e. corpus quod ad tempus ψυχικὸν fuit, dum aderat ψυχὴ sive anima. ἐγείρεται σῶμα πνευματικὸν, h. e. corpus indutum spiritu, qui nusquam instar animæ in hac vita, suum relinquet domicilium, verùm usque & usque inibi habitaverit. Corpus igitur spirituale dicitur, non præ sua ipsius natura, verùm æternâ spiritûs inhabitantis morâ. Ubi alibi corpora subtilia hoc nomen sortiuntur, ex ea re fit, quòd in rerum materialium genere ad spiritûs naturam quàm proximè accedant.

His loquendi formis adjiciantur insuper aliæ quamplurimæ. Servator noster Dæmonio imperabat ut ex homine exiret. Dæmonium quandoque cum Christo serit sermonem. Si per Dæmonium intelligatur morbus aliquis, puta, phrenesis, sermo ille valde improprius est.

Porrò dicitur Christus duci à spiritu in desertum, ut tentaretur à Diabolo, & Satanas in Judam Iscariotam intrâsse. Num existimas idolum cerebri Christum tentâsse, & intrâsse in Judam?

H. Respondeo sermonem servatoris nostri phrenesim vel morbum alium alloquentis non magìs improprium fuisse, quàm fuit ejusdem sermo, febrem, ventum, vel mare increpantis, &c.

De servatore nostro dicitur, Mat. 4. 1. quòd ductus est à spiritu in desertum ut tentaretur à Diabolo. Luc. 4. 1. quòd Jesus plenus Spiritu-Sancto ductus est in Spiritu in desertum, ubi Spiritus intelligitur Sanctus. Nulla hìc à spiritu intelligitur obsessio neque possessio. Neque eo quod dicitur Diabolum posuisse illum super montem excelsum & ostendisse ei omnia regna mundi & gloriam eorum, inferri potest diabolum coegisse Christum, & vi circumduxisse,

quo

quò libuit, aut montem quenpiam satis altum fuisse, ut indè conspici omnia mundi regna posserit. Quid ergo significant loca hæc quàm visionem? Rursus quod dicit Sanctus Lucas de Juda Iscariota, quòd intravit in illum Satanas, &c. intelligi potest sic intrâsse in Judam consilium illud hostile, & perfidum de Deo & Domino suo prodendo & vendendo hostibus, &c. p. 307.

Ingens est discrimen inter Christi alloquia ad febrem, ventum, mare; & colloquia cum Dæmoniis. T. Etiamsi Deus res inanimatas alloquatur quandoque, tamen nullibi legitur res illas responsa reddidisse. Gratìs dictum est, loca illa Mat. 4. 1. Luc. 4. 1. visionem significare. Non autumandum est Christum in desertum fuisse ductum, & in montem positum excelsum κτ᾽ φαντασίαν & non reipsa. Pari equidem ratione asseras Christum baptizatum fuisse per visionem sive κτ᾽ φαντασίαν. Ut sciamus utrumque pari modo evenisse, Sanctus Lucas historiam de Christo in derserto continuat cum historia baptismi ὑπέστρεψε ἀπὸ τοῦ Ἰορδάνου καὶ ἤγετο ἐν τῷ πνεύματι εἰς τὴν ἔρημον. Regressus est à Jordane, ubi scilicet baptizatus fuerat; & ductus est in desertum ἐν τῷ πνεύματι, eo scilicet spiritu, qui in illum ad instar columbæ priùs descenderat. Ubi dicitur Diabolum Christo ostendisse omnia mundi regna, & gloriam eorum, vox apud Lucam est οἰκουμένη, quæ imperium denotat Romanum. Montes aliquot adeò excelsi sunt, ut indè conspici possint pleraque hujus imperii regna, necnon ipsa Metropolis sc. Roma ipsa tunc temporis totius imperii splendor & gloria. Verisimile habetur Diabolum imperium hoc unà cum Metropoli, ubi Antichristum regnaturum sciebat, Christo obtulisse, ut illum pelliceret Antichristi munus peragere, sc. Draconem adorare. Per Satanam in Judam intrantem nequaquam intelligendum est consilium de Domino prodendo. Nullibi enim hæc vox in sacris literis

consilium significat. Dein hoc perfidum consilium non propriè dicitur intrâsse in Judam, verùm potiùs emersisse ex avaro illius corde. Denique consilium hoc repræsentatur ab Evangelistis tanquam effectus introitûs Satanæ. Primò dicitur Satanam intrâsse in Judam, & deinde locutum fuisse Judam cum principibus Sacerdotum, & consilium cepisse, quo modo opportunè dominum traderet.

H. Si spiritus aliquis esset incorporeus sive immaterialis, dubitandum non est, quin vox illa *incorporeum* vel *immateriale* alicubi vel in Novo vel in Veteri Testamento inveniretur. Sed non invenitur. Verùm si spiritus immaterialis nullus sit, quæstio alia orietur, cur neque Servator, neque Apostoli ejus id docuerunt verbis manifestis, ne dubitari amplius posset? Respondeo quæstiones hujusmodi Christiano homine indignas esse, nec ad salutem necessarias, &c.

Hunc habuit scopum unicum servator noster, ut viam ad salutem æternam rectam & planam hominibus commonstraret, &c. Ad quem finem disputatio de spirituum corporietate nihil attinebat. c. 45. p. 308.

T. Hic duo notatu digna occurrunt. Primò asseris spiritum immaterialem non esse, quippe vox *immateriale* vel *incorporeum* in Scriptura non occurrit. 2. Christum & Apostolos verbis manifestis non docuisse talem spiritum non esse, quippe ad salutem (ad cujus demonstrationem unicè collineatum est in Scriptura) non necessaria est ejus notitia. Se mutuò evertere & subruere videntur hæc duo. Si scriptura non declaret spiritum non esse incorporeum, quippe ad salutem non spectat, ut hoc sciamus: tum minimè fas est inferre, nullum spiritum esse incorporeum, quippe vox *incorporeum* in scriptura non invenitur. Etiamsi in sacra pagina inveniatur neque vox

neque

neque res: nihilò seciùs vera sit hæc propositio [spiritus est incorporeus] quippe an sit vel non sit, non spectat necessariò ad salutem; & in Sacris Bibliis indubitatò inveniuntur hujusmodi momenti solius tum res tum voces. Quinetiam tametsi vox *incorporeum* in sacris literis non reperiretur, tamen centies id occurrit, ex quo concludamus consequentiis non invitis spiritus esse incorporeos. Hoc liquidò patet, ubicunque spiritibus tribuitur ratio. Lumine enim naturæ patet, nudam materiam peragendis rationis partibus non sufficere. Æquè bene opinemur barbiton gratissimâ harmoniâ aures nostras demulcere posse, ubi nulla est manus, quâ illius pulsentur chordæ; atque materiam optimis organis instructam posse ratiocinari citra spiritûs incorporei subsidium.

Dogma XL.

Scholæ hactenus inutiles fuêre, c. 45. p. 315.

H. PHilosophandi autem origo prima sermoni coæva ferè est, &c. Professores sapientiæ primi erant Gymnosophistæ Indiæ, Magi Persiæ, & Chaldæorum & Ægyptiorum Sacerdotes. Græcis & populis occidentis philosophia nondum orta erat. Postquam enim Respublica Atheniensium, victis Persis, florere cœpit, tunc primùm ii qui neque domi neque foris quicquam haberent aliud quod facerent, convenire in loca publica confabulandi gratiâ inceperunt, neque alii rei (ut dicit Sanctus Lucas Act. 17. 21.) vacabant, nisi ad dicendum aut audiendum aliquid novi. Itaque qui sibi videbantur in philosophia profecisse, docere alios cœperunt, Plato in Academia, Aristoteles in Lycæo, alii in Stoa: quæ loca, Scholæ; & disputationes eorum Diatribæ appellabantur, &c. Etiam in Judæa Scholæ erant publicæ sed in Synagogis, ubi leges Judæorum publicè explicatæ & disputatæ erant; ut Scholæ Libertinorum, Cyrenæorum, Alexandrinorum & Cilicum.

Quid autem humano generi Scholæ Græcorum profuêre? Plato quidem ipse Philosophus & Geometra insignis erat: sed nulli id debuit Scholæ. Commoda quæ à Physica & Geometria habemus hodie, Archimedi debemus, homini nullius Scholæ. Schola Peripatetica, quæ cæteras omnes suâ loquacitate fecit conticescere, Quid habet præter Dialecticæ & Rhetoricæ argutias? p. 315, 316.

T. Priusquam ad demonstrandam Scholarum inutilitatem

tem te accingis, tibi visum est nonnulla de philosophiæ prælibare antiquitate. Non ingratiis tibi concedimus sermoni ferè coævam fuisse philosophandi originem. Cùm genus humanum solidâ illâ, quâ conditum fuerat, excidisset sapientiâ: reliquæ tamen fuêre aliquot notitiæ scintillæ, quæ flagrantissimum in voluntate accendebant votum recuperandi denuò perditam scientiam. Hinc undique diligenter conquisita sunt ad ignorantiam fugandam remedia. Tentaminum hac in re ante diluvium aliquot usque adhuc remanent vestigia. Jubal artem excogitavit musicam, fabrilem Tubal. Pueris decantatæ sunt Sethi Columnæ, quibus insculptæ fuêre artes ab Adamo inventæ. Post diluvium (si fides conjecturæ danda sit) Nimrod גבר ציד perhibetur, quippe in artibus venandis strenuè impendebat operam. Genti Græcæ literis celeberrimæ initium dederunt Javan & Elisha. Save Chariathaim Gen. 14. Collegium dicitur à Melchisedecho fundatum ubi studiis incumbebant literarum Candidati. Save derivatur à שוה utilem progressum facere. Chariathaim à קרא legere, quippe ibi in more positum fuit lectiones audire, & in literis facere profectum.

Bolduc de Eccles. ante Legem, L.1. c. 10. p. 64.

Juxta Berosum Abrahamus fuit τῶν οὐρανίων ἔμπειρος syderalis peritus scientiæ. Verisimile est illum Chaldæis Astronomiam, Ægyptiis Arithmeticam, necnon hasce aliásque artes Gymnosophistis tradidisse. Cùm enim filios suos ex Concubinis natos in Orientem ablegaret, dona eis perhibetur dedisse. Inter dona hæc enumerantur artes, quas qui profitebantur apud Persas dicti fuêre Magi, apud Indos Brachmannes; & quippe nudi incedebant, solo arboris cortice amicti, aut lineo è mollibus filis indumento, Gymnosophistæ. Ex hisce liquet, quòd pro indubitato non habendum sit, Chaldæorum & Ægyptiorum Sacerdotes & Persiæ Magos primos fuisse philosophiæ professores.

Joseph. L.1. c. 7, 8.

Heurni Indicus, c. 2. p. 14.

 sores.

ſores. Abrahamum in Chaldæa publici Doctoris munus præſtitiſſe non obſcurè innuit Joſephus. Quæ deinceps ſunt, non diſpari laborant incertitudine. Non enim conſtat Græcis & populis occidentis necdum ortam fuiſſe philoſophiam. Etenim veriſimile eſt Japheti poſteros ſuas in Græciam aliáſque occidentis partes deduxiſſe Colonias ante Linguarum confuſionem. Ab his enim diviſæ ſunt Inſulæ Gentium, Gen. 10. 5. antequam ad turrim Babylonicam extruendam commemoretur tentamen. Gen. 11. Non neceſſe eſt, ut prolepticè dicta hæc omnia opinaremur. Veriſimile enim eſt Noam (cùm vita ejus eò uſque eſſet protracta, ut prolem conſpiceret multùm admodum numeroſam) liberis ſuis (uti ferunt Hebræi) pro curâ paternâ certas orbis partes deſtinâſſe, cùm nulla lingua præterquam Hebraica innoteſceret. Hoc plurimùm patrem & Dominum decuit, qui in votis non potuerit non habere, ut poſtquam fatis ceſſiſſet, lites & diſſidia emergerent quàm pauciſſima. Memoratur hæc terræ diviſio capite Geneſeos decimo, cujus memoriam Phalegi nomine conſervatam legimus.

L. 1. c. 8.

Illa capite proximè ſequente diſperſio ab hac videtur longè diverſa. Hæc facta fuit voluntate humanâ; illa vindictâ divinâ. Hæc inter omnes poſteros; illa inter eos ſolos, qui ad extruendam turrim Babylonicam contulerant. Hæc eſt terræ diviſio; illa populi diſperſio per totam terram, qui facinus audaciſſimum tentaverat. Et ſi Inſulæ occidentis Japheti poſteris eſſent diviſæ, necnon occupatæ ante linguarum confuſionem, vel ex nominibus patriæ, perſonis, locis, inditis compertum habeamus, eos ibidem artes docuiſſe, quas ex Noæ Schola didicerant. Patria ipſa perhibetur Ionia à Javan Japheti filio. Æolis ab Eliſha filio Javan. Qui Literarum Candidatos docebant artes, Muſæ. Loca, ubi ſtudiis

incum-

incumbebant, Musæa, à מוסר doctrina. Scholæ, ubi publicæ habebantur prælectiones, Academiæ à קדם oriens, ut nunquam è memoria excidat, artes ibidem excultas ab oriente provenisse. Montium Musis sacrorum alter nuncupatur Parnassus à פרנס pascere, ad indigitandum earum officium, quod est discipulos literis pascere, & instituere. Alter ei vicinus Helicon ab הלך ambulare, quippe earum Alumni, cùm irent deambulatum, illò solebant se conferre, & meditatione lectiones suas concoquere.

Quomodocunque sit; si ascribere non liceat diem adeò vetustam Græcorum philosophiæ: tamen neutiquam opinari fas est, eam talem habuisse ortum, qualis à te depingitur. Huc tua redit oratio: sc. Athenienses, triumphatâ classe Persicâ, cùm nihil haberent, quod domi aut foris agerent, ad otiandum & confabulandum convenisse, eorum autem aliquos, qui sibi videbantur in philosophia profecisse, ex ea re sumpsisse occasionem alios docendi, Platonem in Academia, Aristotelem in Lycæo, aliósque in Stoa. Enimverò admodum antiquitatis ignarus est, cui non innotescit ante hæc tempora philosophiam Athenis necnon aliis occidentis locis floruisse. Priusquam enim cuiquam audita essent Platonis Academia, & Aristotelis Lycæum, philosophia in tres celeberrimas sectas fuit divisa, sc. Eleaticam, Italicam, Ionicam.

Eleatica condita fuit à Zenophane Colophonio. Suum mutuata est nomen à discipulis ejus, sc. Parmenide & Zenone Eleatis.

Italica à Pythagora. Scholam enim in ea aperuit Italiæ regione, quæ nomine perhibetur Magnæ Græciæ. Unus ex ejus discipulis fuit Ocellus, in Lucania natus, qui librum περὶ παντὸς composuit hodie conspiciendum, ex quo convenit inter omnes Aristotelem quamplurima compilâsse.

Ionica à Thalete Milesio. Miletus est primaria Ioniæ civitas. Thaletis in locum successit Anaximander, in Anaximandri Anaximanes, in Anaximanis Anaxagoras Clazomenius, qui Scholam Athenas transtulisse perhibetur: ubi ei Archelaus successit Atheniensis, cujus auditor fuit Socrates Platonis Magister. Hinc palàm est Græcis & populis Occidentis philosophiam ortam fuisse, ante conditam Platonis Academiam, aut Aristotelis Lycæum: & otium confabulandíque pruritum, Persis triumphatis, primam philosophandi ansam Atheniensibus non subministrâsse.

Vid. Gerar. Voss. de Philos. Sectis p.27.

Juxta hæc accedis ad Judæorum scholas, quas in Synagogis prorsus fuisse, & cœpisse cum eis, innuere videris. Cùm revera luculentum discrimen inter Synagogam & Scholam agnoscant Judæi. Hæc appellatur בית המדרש, illa בית הכנסת: hanc disciplinæ, illam precum gratiâ institutam asserunt. Huic majorem sanctitatis gradum, illi minorem attribuunt. In Palæstina quatuor memorantur celebres Scholæ, Jasnensis, Sephoriana, Cæsariana, Tiberiensis. Extra Palæstinam itidem tres in Babylonia, Nahardeensis, Sorana, Pompedithana. Verùm harum nullæ in Synagogis fuère. Quinetiam liquet ex sacris literis extitisse Scholas inter Judæos multùm admodum ante diem; quem tu ipse Synagogarum origini ascribere videris.

Prælibatis hisce de Scholarum antiquitate, secundùm ea accedis ad pensandam earum utilitatem. A Græcorum Scholis auspicaris, & hâc molestâ quæstione tuum adoriris lectorem. Quid autem humano generi profuerunt? Opinor te non inficias iturum, quin Schola Alexandrina ab Euclide inchoata, Ptolomæo Lagi ad clavum sedente, inter Scholas Græcas nomen mereatur. Nulli sermoni fuit assueta præterquam Græco. Verùm in hoc docuerunt Gymnasio

Proclus Diadochus. Vossius de sectis philos. c.11. p.62.

nasio viri celeberrimi, & ex eo tanquam ex equo Trojano prodierunt, qui in Mathesi (quam bene cultam à veteribus fateris) excolenda operam navârunt. Compertissima sunt eorum nomina. Eratosthenes, Apollonius, Theon, Diophantus, aliique quamplurimi. Adeò ferax & frugifera fuit hæc Schola, ut non solummodo viros, verùm etiam foeminam nimirum Hypatiam doctam adeò pepererit, ut seculi sui oraculum haberetur. Clarissimus Savilius asserere non reformidavit, nullum olim extitisse egregium Mathematicum, qui Alexandriæ natus non fuerit, aut ibidem incubuisset studiis. Si quid excogitaverint neoterici, quod latebat veteres, non est, quòd se magìs efferant, quàm nanus Gigantis humeris impositus, si Gigante longiùs prospexerit.

Socrat. Hist. c. 15. p. 742.

Vindic. Academ. p. 57.

Platonem fateris philosophum fuisse, necnon Geometram insignem: verùm id debuisse pronuncias nulli scholæ. Itáne quidem? Aut tu ipse hallucinaris, aut Laertius, cujus hæc sunt verba. γεγονὼς εἴκοσι ἔτη διήκουσε Σωκράτους· ἐκείνου δ' ἀπελθόντος, προσεῖχε Κρατύλῳ τῷ Ἡρακλειτείῳ, &c. h. e. "Annum "vicesimum ætatis agens Socratem audivit; illo de-"cedente, Cratylo Heracliti discipulo & Hermo-"geni Parmenidis philosophiam tuenti operam de-"dit. Deinde cùm esset annorum duodetriginta (ut "ait Hermodorus) Megara se ad Euclidem cum aliis "aliquot Socraticis contulit. Hinc Cyrenem pro-"fectus, Theodorum Mathematicum audivit, atque "indè in Italiam ad Phythagoricos Philolaum & Eu-"rytum concessit: ab his se in Ægyptum ad pro-"phetas sacerdotésque recepit. Num opinaris Platonem tot insignes viros Scholásque adiisse, sc. Socraticam, Megarensem, Cyreniacam, Italicam, Ægyptiacam, & tamen nihil profecisse? Si Hesychio Illustrio fidem habeamus, suam Heraclito, Socrati, Phythagoræ in solidum debuit philosophiam. ἔτος (inquit)

Plato L. 3. p. 189.

(inquit) μίξιν ἐποιήσατο τῶν τε Ἡρακλειτείων λόγων, Πυθαγορικῶν καὶ Σωκρατικῶν, &c. h. e. "Hic Heracliti, "Pythagoræ, & Socratis rationes commiscuit. Nam "quæ sensibus obvia sunt ex Heracliti sententia "tractavit; quæ mente comprehenduntur, secundùm "Pythagoram explicuit: in Politicis & Civilibus "rebus à Socrate non discessit, &c.

Non desiderantur etiam Viri doctissimi, qui asseruêre Archimedem (quem hominem nullius Scholæ appellas) suam in Geometria peritiam ab Academia Alexandrina hausisse.

Perperam inustum is Scholæ Peripateticæ hanc infamiæ notam, quasi scilicet nihil omnino peperisset præter argutias. Nemo hodie de genuina hujusce scholæ sobole habendus sit arbiter idoneus, nisi Aristotelis Scripta hujus Scholæ principis ad manus nostras integriora pervenissent. Illum volumina ferè Quadringenta literis mandâsse asserit Laertius. Verùm exploratissimum est deperdita esse eorum quamplurima, & quæ supersunt, discrimina & fata satis tristia subiisse. Hoc meliùs depingi nequit quàm verbis Clarissimi Gerardi Vossii. "Aristoteles Bibliothecam suam reliquit Theophrasto, "is Neleo, qui Aristotelis fuerat discipulus, Theophrasti condiscipulus, ut ex Laertio liquet. A Neleo, teste Athenæo, L. 1. eos mercatus est Ptolomæus Philadelphus, inque Alexandrinam transtulit Bibliothecam. Quod capiendum de libris, qui "alium quàm Aristotelem haberent interpretem. "Nam eos, quos Aristoteles scripserat, retinuit "Neleus, ac posteris remisit hominibus indoctis, "qui eos sub clavibus sine ullo usu habuêre. Hinc "apud Strabonem dicuntur κατάκλειστα βιβλία: de "quibus videndus Salmasius ad Tert. de pallio, "p. 128. Imò metuentes ne eos Pergameni Reges "vendicarent, diu sub terra occultârunt, ubi squa-

"lore

Aristoteles, L. p.323.

De Sectis philos. p.86.

"lore & situ obducti, à blattis etiam ac tineis corrosi. Atque hoc primum malum librorum eorum fatum fuit.

"Ecce alterum. Hosce libros emit Apellico Tejus, homo φιλόβιβλος magis quàm φιλόσοφος, ut cognoscimus ex Quinto Athenæi. Hic erosos lacerosque describi ac vulgari curavit, sed philosophiæ non admodum gnarus (ut dixi) nec judicio, nec fide semper bona. Eo defuncto Sylla Athenarum potitus, annis circiter ducentis quinquaginta post Aristotelis excessum illos (ut Plutarchus in Sylla narrat) Romam misit; ubi usum eorum à Bibliothecæ præfecto impetravit Tyrannio Grammaticus, qui Aristotelis erat studiosus. Bibliopolæ autem eos describi curârunt, sed ab ineptis Librariis, & qui nè quidem cum exemplari conferrent, quæ descripsissent. Ità tertiò malè habiti sunt Aristotelis Libri. Ab hoc Tyrannione nactus est eos libros Andronicus Rhodius, ut est apud eundem Plutarchum. Is primus Aristotelis libros in multa exemplaria transfundi & publicari curavit. Hæc ille.

En Aristotelis libros sub terra sepultos, situ obductos, tineis corrosos, ignorantiâ corruptos, incuriâ depravatos. De Aristotelis vultu æquè bene tulissent judicium Athenienses ex ejus reliquiis, postquam centum annos tumulo sepultus jacuisset vermibus corrosus: atque nos de nitore & pulchritudine Scholæ Peripateticæ ex libris, qui fata non disparia pertulerunt.

Sed esto. Causâ indictâ, damnanda est hæc Schola. Asserere enim te non puduit eam nihil habere præter Dialecticæ & Rhetoricæ argutias. Verùm tamen an nullius sunt pretii Ethica, Politica, Animalium Historia? Non tecum sentiebat olim Alexander Magnus, qui Aristotelem propter animalium Historiam

ſtoriam donâſſe perhibetur Octingentis talentis. Libris tuis (ſi placet) unicè exceptis, non extant ſcripta argumentum idem tractantia, ex quorum lectione majorem fructum ſperemus. Nihil (ut tibi viſum eſt) nobis ſuppeditavit hæc ſchola præter Dialecticam & Rhetoricam, quas artes argutiarum opprobrio dedecoras. Harum argutiarum non gravabor tibi ante oculos ſpecimen ponere, ut exploratum ſit omnibus, quàm immeritò damnentur hæ celebres artes.

Dialectica eſt ars dirigendi rationem, ut omni habilis ſit negotio. Cùm ad nullum ſtudium nos accingere poſſimus, quin nobis ratione utendum ſit, univerſali aliquâ opus eſt arte ad aptandum ingenium ſive λόγον, quæ non immeritò *Logices* nomine inſignitur. Ut in re quacunque dirigatur ratio, via maximè compendioſa eſt hæc tria perficere. Primò objecta rationis maximè univerſalia dilucidè proponere. Dein rationis enumerare operationes, quæ circa hæc verſantur objecta. Denique Legibus & regulis cavere, ut ratio non aberret, cùm haſce operationes exercuerit. Hæc tria egregiè abſolvit Schola Peripatetica.

1. Proponit objecta rationis maximè univerſalia, quæ duo ſunt, res & modi. Quicquid enim intellectui cognoſcendum proponi poteſt, ad hæc duo revocetur Capita. Propoſitio enim eſt oratio ex rebus aut modis compoſita.

2. Enumerat rationis operationes circa hæc objecta, quæ ſeptem ſunt. Simpliciter apprehendere, conceptus in propoſitionem componere, definire, dividere, ratiocinari, in methodum digerere interpretari. Nullus eſt intellectûs actus, qui ad harum operationum unam vel alteram reduci nequeat.

3. Abunde cautum eſt ab hac Schola, ne ratio in exercendis his operationibus labatur & hallucinetur.

1. Opera-

1. Operationi primæ affatim prospectum est, in quantum rei explicat naturam, nec non modorum varias species expandit.

Rem tractat quoad essentiam vel existentiam. Quoad essentiam tres in ea notat modos, unitatem, quatenus ab aliis divisa est; veritatem, quatenus revera id est, quod esse videtur; bonitatem, quatenus alicui fini destinatur.

Quoad existentiam modos itidem in ea observat, qui sunt primarii vel secundarii.

Primarii sunt, quorum representamina emergunt in intellectu, quamprimùm res existens nobis in conspectum datur: súntque existentia per se, vel existentia in alio. Rem sub primo modo substantiam, sub secundo accidens nuncupat Schola Peripatetica. Et quippe novem sunt existendi in alio modi, novem habentur accidentia.

Modi secundarii sunt, quorum notiones, re penitiùs pensatâ, in animo emergunt. Hujusmodi est modus rei generalis, quo cum omnibus similibus convenit: vel minùs generalis, quo ab iisdem discrepat: vel is, quo discrepantia constituitur. Vel modus, qui ad rei naturam non tam intimè spectat, & tamen ei peculiaris est. Vel denique qui communis est, & citra rei interitum abesse vel adesse potest. Horum primum Schola Peripatetica genus, secundum speciem, tertium differentiam, quartum proprium, quintum accidens appellat.

Hunc numerum modorum secundariorum adauget adjiciendo totum, partes, causam, causatum, subjectum, adjunctum. Totum modum innuit, quo res constituitur ex pluribus unitis: Pars, quo plura ista inter se distincta sunt. Causa, quo aliquid efficit: Causatum, quo efficitur. Subjectum, quo aliquid sibi habet adjunctum: Adjunctum, quo aliud ei appensum est.

Quinetiam, convenientiam, diversitatem, oppositionem

fitionem & ordinem inter modos numerat relativos, quatenus res una cum alia comparatur.

Hisce omnibus etiam annectit potentiam & actum, perfectionem & imperfectionem, necessitatem & contingentiam, &c.

Hæc sunt rationis objecta adeò equidem universalia, ut in re quacunque versemur, simplicium unumquodque, conjunctorum alterum ad eam accommodari queat.

Hæc omnia apud Aristotelem reperienda sunt, etiamsi non eodem ordine, quod fatis imputare liceat perquam infaustis, quibus luxata sunt scripta illius, & quæ in Dialectica unicè locum vendicant, ad Metaphysica transferuntur.

2. Perinde solicita est hæc Schola, ut ratio in concinnandis propositionibus non cæspitat. Idcirco orationem definit, in species dispescit, affectiones aperit, nimirum quantitatem, quatenus est universalis, singularis, particularis, indefinita; qualitatem, quatenus est affirmans vel negans, vera vel falsa, necessaria vel contingens; relationem, quatenus in aliam est convertibilis, alii æquipollet, subalternatur, opponitur.

3. Ut ratio in definiendo non aberret, eam munivit hac aureâ regulâ, scilicet, primò notandam esse generalem rei sive modi naturam, dein exquirendam formam sive differentiam, quæ eam ad certam speciem contraxerit.

4. Ut bene dividat, omnia totius genera nec non singulas partium commissuras ad vivum depinxit.

5. Ut in differendo non fallatur, quamplurimas sancivit leges, ad quas componenda est omnis ratiocinatio. Necnon amandat nos ad objecta universalia priùs commemorata, tanquam ad tot locos, unde petamus argumenta ipsa ratiocinationis fundamenta: regulásque etiam cuique loco annectit, ut earum

ductu

ductu inveniat ratio, quicquid ad suum institutum contulerit.

6. Ut ratio in methodum digerat, docet nos homogenea simul collocare, generaliora ante minus universalia disponere, & quicquid ad genesin aut analysin spectet, debito ordine perficere.

7. Non dispar adhibetur cura à Schola Peripatetica, ut ratio non aberret in interpretando quos formaverit conceptus circa hæc omnia. Ex ea re diligenter se confert ad explicandam vocum naturam, quæ sunt articulati indices sive imagines conceptuum. Clam neminem est Aristotelem librum περὶ ἑρμηνείας composuisse.

Hæ sunt (si placet) Dialecticæ Peripateticæ argutiæ, citra quarum subsidium ausim dicere neminem solidè ratiocinari posse. Tuam consulenti computationem occursuræ sunt longè plures argutiæ. Quo numero (obsecro) habenda est hæc sententia? *Veritas in dicto, & non in re consistit.* Hoc est, in nominibus, & non in rebus nominibus significatis. Si ità sit, hæ duæ propositiones, *homo est animal*, ἄνθρωπός ἐστι ζῶον, eandem non complectuntur veritatem, quippe diversa sunt dicta, sive nomina, ex quibus componuntur. Non diffiteris veritates aliquas esse æternas, nec non lubente animo concedis nomina omnia, utpote ab humano adhibita arbitrio, in tempore oriri. Ostende pro insigni, quo polles, acumine, quo pacto veritas æterna nominibus solis in tempore natis queat consistere. *Comput. 20. p.* *Comput. p. 21.*

Scholæ Peripateticæ Rhetorica longè extra jactum teli maximâ invidiâ acuminati posita est. Sive enim primam partem spectemus de fide, ubi docetur, quid & ex quibus dicamus, sive secundam de elocutione, quomodo, sive tertiam de dispositione, quo ordine, nihil occurrit, quod tuam mereatur censuram, aut meo indigeat patrocinio.

Si

Si Scholam Peripateticam uſque adhuc inutilem eſſe eviciſſes, non inferre licuerat reliquis omnibus Theta mortiferum figendum eſſe. An opinaris inutilem olim fuiſſe Druidum Scholám, quorum diſciplina ante Cæſaris tempora in Britannia noſtra fuit reperta, atque indè in Galliam tranſlata? "Ad hos "(inquit Cæſar) magnus adoleſcentum numerus "diſciplinæ causâ concurrit, &c. In primis hoc per-"ſuadere volunt, non interire animas; multa præ-"terea de ſideribus, atque eorum motu, de mundi "ac terrarum magnitudine, de rerum natura, de "deorum immortalium vi ac poteſtate diſputant, & "juvenibus tranſdunt. En diſciplinam! Uſus ſequi-"tur. Certo anni tempore (inquit) in finibus Car-"nutum, quæ regio totius Galliæ media habetur, "conſidunt in loco conſecrato. Huc omnes undique, "qui controverſias habent, conveniunt, eorúmque "judiciis decretíſque parent. De omnibus contro-"verſiis publicis privatíſque conſtituunt, & ſi quod "eſt commiſſum facinus, ſi cædes facta, ſi de hære-"ditate de finibus controverſia eſt, iidem decernunt "præmia pœnáſque conſtituere.

Comment. de Bello Gallico, p. 131.

Num arbitraris inutilem prorſus fuiſſe hanc Druidum Scholam, de qua totius Communitatis pendebat proſperitas?

Quinetiam quid tibi videtur de Scholis Gymnoſophiſtarum, "quorum philoſophia finem & terminum illum unicum habebat, ut bonam vitam pia "mors terminaret?

Othonis Heurni Indicus, p. 142.

Refert Plutarchus Alexandrum decem quæſtionibus eorum tentâſſe perſpicaciam, & reſponſa ſummâ admiratione accepiſſe. Calanus eorum unus τὸ παράδειγμα τῆς ἀρχῆς imperii formam Alexandro ob oculos poſuiſſe perhibetur.

In vita Alex. p. 701.

Quid inſuper cenſes de florentiſſimis Arabum Academiis? "Morocum, Feſſa, Septa, Hubedda,

"Orania,

"Orania, Bugia, Constantina, Tunetum, Triopolis, Sigilmessa, Alexandria, Alcaheira, aliaque Africæ plurimæque Asiæ & in Europa quoque Hispaniæ urbes Academiis claruerunt, & virorum omnium doctrinâ politissimorum tanta copia quantam fortasse ne ipsæ quidem unquam viderunt Athenæ. Academiarum harum Alumni libros (vel te judice) magni momenti ab interitu vendicârunt transferendo eos in linguam suam. "Pappi Alexandrini libri (inquit Erpenius) ad scientiam resolutivam pertinentes thesaurus inæstimabilis Arabicè etiam in his partibus reperiuntur."

Hotting. Analu.diss. 6.p. 242.

Erpen. de Ling.Arab. p. 3.

De Ling. Arab.p.35.

In catalogo librorum Bibliothecæ Leidensis, quos ex oriente secum attulit Jacobus Golius N. 12. "habentur Apollonii Pergæi Conicarum Sectionum L. 5, 6, & 7. hactenus desiderati, & num. 68. Heronis Barulcus, seu de movendis gravibus libri tres maximè desiderati." *Hotting. Anal. 252, 253.*

Non solummodo libros conservârunt traducendo eos in sermonem Arabicum; verùm etiam quamplurimos composuisse perhibentur, qui commodum insigne reipublicæ literariæ attulerint. Quid (obsecro) Theologiâ & Medicinâ utilius? quarum illa animæ, hæc corpori medetur. Utrique verò non mediocriter prosunt & famulantur libri Arabici.

Hinc lucem mutuantur textus in Sacra Pagina quamplurimi. Sanctus Hieronymus fatetur se plurimum in adornanda translatione sua Arabico sermoni debere, & librum Jobi cum Arabica lingua plurimam habere societatem. Compertissimum est, in Bibliis voces extare haud paucas, quarum originem & significatum exquirunt viri linguarum Orientalium callentissimi ex Arabum Scriptis; Huc pertinent שדים. כיון. מני. גד.

Præf. in Job. *Præf. in Dan.* *Es. 65. 11. Am. 5. 26.*

Quod Medicinam attinet, res notior est, quàm ut in ea enarranda tempus contererem. Non desunt

ex Æsculapii filiis, qui liberè fatentur Arabibus deberi restitutionem Medicinæ in Europa.

Porrò in Academiarum honorem commemorarem Scholam Ægyptiacam, ubi institutus erat Moses; Chaldæam, ubi Daniel; Judaicam, ubi Sanctus Paulus ad pedes sedebat Gamalielis; nec non Academiam Tarsi celebrem, ubi natus erat. Verisimile est Apostolum, priusquam juvenis Hierosolymam missus esset, ut disciplinâ Hebraicâ institueretur, Academiâ Tarsensi Græcam didicisse, cujus erat scientissimus. Scribit enim Strabo, excoli solitum Tarsi studium rerum Philosophicarum, & disciplinarum Encyclicarum majori diligentiâ, quàm vel ipsis Athenis fieret vel Alexandriæ.

H. Neque Judæis profuêre Scholæ suæ; in quibus etsi lex & prophetæ assiduè exponerentur, Messiam tamen, quem exspectabant, agnoscere præsentem non didicerunt. c. 46. p. 316.

T. Judæis suas profuisse Scholas, necnon Christianis profuturas usque ad mundi periodum abundè constabit, si hæc tria pensitemus.

1. Harum Scholarum alumni Sacra Oracula scriptis mandârunt. 2. Scripta in unum collegerunt volumen, & consignârunt Canonem. 3. Masoram fidissimum Scripturæ munimentum excogitârunt.

1. Sacra Oracula scriptis mandârunt; quod ut apertum fiat, notandum est Hebræos Scholas habuisse longè ante Canonem Scripturæ consignatum. Hujusmodi fuit collis Dei, ubi Sauli obviàm ibat cuneus prophetarum, 1 Sam. 10. Tali gymnasio præerat Samuel in urbe Naioth, 1 Sam. 19. Non dissimile fuit Collegium Bethele, 2 Reg. 2.3. Jerichunte, v. 15. Guilgale, c. 4. 38. Hierosolymis, c. 22. 14. במשנה vertitur à Paraphraste Chaldæo בית אולפנא domus doctrinæ. R. Sol. Jarchi scribit quadringenta

octoginta

octoginta gymnasia Hierosolymis fuisse Esaiæ seculo. Quinetiam legimus Deum ipsum incremento Scholæ manum applicuisse miraculosam, 2 Reg. 6. 6. Ferrum quo cædebatur lignum ad ampliandum Collegium, emergebat è fundo Jordanis, & aquæ summitati innatabat.

In Scholis hisce instituti fuere juvenes. Collegio præsidebat propheta ætate provectus, qui appellabatur Pater. Reliqui discendi causâ coacti filii. Inde fit, cùm Saul in horum Alumnorum societatem se immersisset, quod interrogetur, quis sit eorum pater? 1 Sam. 10. v. 12. Juvenes in Collegiis hisce docebantur legem Moralem, significationem Ceremonialis, sensum vaticiniorum præcedentium, & quâ ratione tale animi temperamentum adipiscerentur, quale ordinariè postulabat Deus in eis, quibus donum impertiebat prophetandi. Asserunt Hebræi requisitas fuisse dispositiones aliquot præparatorias, quibus prophetarum filii redderentur habiles & idonei ad Spiritum Prophetiæ recipiendum. Inter eas eminent pietas & alacritas. Pietas inducit Spiritum Sanctum, inquit Abarbanel. Conservando alacri animo Musicam, cujus in sacris literis frequens est memoria, inservivisse arbitrantur. *Præfat. in 12. proph.*

Fundamentum hujus rei & præcipuum quod nos requirimus, inquit Maimonides, est dispositio vel dexteritas naturalis, & perfectio tam in moribus & qualitatibus externis, quàm in rationabilibus & intellectualibus. *More Nev. par. 2. c. 32. p. 289.*

Cùm alumni Scholarum studio & precibus sibi comparassent omnia, quibus idonei redderentur ad suscipiendum gradum Prophetæ, Deo erat solenne, eos Prophetiæ dono dignari. Hujusmodi fuit vir ille, quem Achabum increpuisse legimus, 1 Reg. 20. 35. necnon qui missus ab Elisha ad ungendum Jehu in regem Israelis, 2 Reg. 9. 1. Uterque nuncupa-

tur filius prophetæ, h. e. vir in Scholis institutus, quibus præerant seniores prophetæ, tandémque ad prophetæ dignitatem promotus. Operâ Alumnorum horum divinitus inspiratorum usus est Deus in conscribendis sacris literis. Etenim hujusmodi alumnus fuit Samuel, qui ætate tenellâ Eli disciplinæ committebatur, qui Scholam aperuerat ad instituendos primogenitos solenniter à parentibus suis consecratos ad ministrandum Deo. Non solummodo in Gymnasio institutus fuit, verùm etiam tandem præfectus evasit. In Naioth prophetarum coetum legimus ad ejus pedes sedentem more discipulorum, & illum stantem pro Magistri consuetudine, quippe illis præerat. 1 Sam. 19. 20. Vir hic sanctissimus in albo virorum, qui Spiritui Sancto à manu fuêre, nomen habet conscriptum. Non solùm sacram sui temporis historiam composuisse existimatur, verùm etiam librum sub nomine Josuæ. Exploratissimum est Hebræos vetus Testamentum in tres partes divisisse, Legem, Prophetas & Hagiographa. Prophetarum primus est Josua. Samuel, utpote hujusce author libri, ex ea re inter prophetas agmen ducit. Omnes Prophetæ à Samuele, inquit Sanctus Petrus, Act. 3. 24. Amos in vaticinio, quod tradidit literis, inquit, Non sum Propheta, nec filius Prophetæ. Quæ verba hæc duo palàm innuunt, nimirum illum in Prophetarum Scholis non fuisse institutum, & insuper pensum hoc fundendi oracula & chartis mandandi in Ecclesiæ usum istiusmodi viris, & non pecuario, imponi solere. Sanctus Petrus in Epistola priore prophetarum in Gymnasiis industriam verbis depingit valde emphaticis, ἐξεζήτησαν, ἐξηρεύνησαν, c. 1. v. 10. Voces diligentissimum studium & operam significant. Verùm in altera Epistola hisce sanctis viris Spiritu divino motis Scripturæ attribuit Originem, c. 1. 21.

2. Scripta

2. Scripta Sacra in unum collegerunt volumen, & consignârunt Canonem Scholarum Alumni. Unanimiter convenit inter Hebræos præstitum fuisse hoc opus ab Ezra unà cum viris Magnæ Synagogæ. Hi omnes in Collegium convenerant, cui præerat Ezra, tribus novissimis prophetis suum conferentibus subsidium. Disertè dicitur Ezram suum disposuisse animum ללמד ad docendum, Ezr. c. 7. quod apertè innuit illum תלמרים h. e. discipulos instituisse. In Scholæ rectura ei successit Jaddus, qui Alexandrum Judæam invadentem animum hostilem deponere inducebat, amplissimísque favoribus donare. Ex hac Schola, tempore procedente, verisimile habetur, Septuaginta emersisse viros, quos in Ægyptum Ptolomæi rogatu mittebat Eleazarus ad versionem Græcam adornandam.

3. Masoram fidissimum Scripturæ munimentum excogitârunt. "Per Masoram volo doctrinam Criticam circa textum Hebræum Sacræ Scripturæ, quâ versus, voces & literæ ejus numeratæ, omnísque ipsarum varietas notata, & suis locis cum singulorum versuum recitatione indicata est. Quantùm ad hujus doctrinæ inventores inter Hebræos itum est in duas sententias. Quarum altera statuit Tiberienses ejus fuisse autores: Altera Collegium sive Concilium Magnum, cui præerat Ezra. Sive huic, sive illi accedamus sententiæ, perinde est quantùm ad nostrum institutum. Collegio sive Scholæ suam debebit originem hæc doctrina. Suprà enim ostensum est Ezram aperuisse Scholam. Et clam neminem est Tiberiade olim floruisse Academiam. De utilitate hujus doctrinæ nullibi ambigitur. Magnopere enim tum ab Hebræis tum à Christianis decantantur ejus laudes. מסרה סיג לתורה Masora est sepes Legis, inquiunt Rabbini. Hinc etiam Patres Judæorum industriam in literis sacris conservandis providentiæ divinæ

Tiber. c. 2. p. 6.
Clavis Masora c. 1. p. 213.
Justin. Martyr.

divinæ ascribant. Sanctus Augustinus loquens de gente Judaica, ait, "Quid est enim aliud hodieque "gens ipsa, nisi quædam scriniaria Christianorum, "bajulans legem & prophetas ad testimonium asser-"tionis Ecclesiæ, &c. Quæ methodus, obsecro, magis confert ad muniendam Sacram Scripturam adversùs minimam labem, quàm singulos versus, literas, voces in numerato habere? Si vel tantillum subiret mutationis præ indoctis aut oscitantibus librariis, error protinus deprehenderetur.

Tom. 6. contra Faustum Manich. L. 12. p. 266.

Omnibus hisce æquâ lance pensatis, liquebit illum Hebræis summopere injuriosum esse, qui Scholas eorum hactenus inutiles fuisse pronunciaverit.

Ratio, quâ munitam dedisti assertionem tuam, inutilitatem solummodo κατά τι eis attribuit. Non indè sequitur eas absolutè & simpliciter inutilitatis agendas & insimulendas esse, uti ex præmissis liquet.

In Scholis suis, inquis, Messiam agnoscere præsentem non didicerunt. Hujusce argumenti ad omnes Scholas damnandas prolati nervos incidit providentia divina, quá prospectum est, ut ille qui cupidis ulnis Jesum primus amplectebatur, & pro Messia agnoscebat, Academiæ esset Alumnus; nempe Simeon, cujus apud Sanctum Lucam extat memoria. Quod ut apertius fiat, recolendum est, paulò ante Christi adventum Hierosolymis floruisse celeberrimam Academiam, cujus palmarii Doctores fuêre Hillel & Shammai. Hilleli octoginta discipuli magni nominis ascribuntur, quorum numero habetur Simeon filius illius, & Gamalielis pater, ad cujus pedes Sanctum Paulum sedisse legimus. Simeonem hunc Christi infantis fuisse præconem non temerè conjiciunt viri doctissimi. Primò ex antiquitatis fide compertum est eum tunc temporis vixisse. 2. Satis notum est Historiam Judaicam ejus prætermisisse laudes, quas alioqui in Hillelis majoribus & tota posteritate diligen-

tissimè

tissimè persecuta est. "In Mischna nulla est ejus "mentio. In Gemara obiter tantùm, non alio fine, "quàm ut Hillelis posteritas integrè contexatur. In "Pirke Avoth inter Patres traditionum non recen"setur : sed Hillelis celebribus dictis statim subji"citur nepos ejus Rabban Gamaliel. *Buxt. Abbrev. p. 175.*

Verisimile est Judæos postquam Messiam barbarè tractâssent, & sanguinem illius fudissent, nomen ejus, qui avidis ulnis eum acceperat, delere & sempiternâ oblivione sepelire voluisse : ne testimonium extaret tam insigne ad damnandam eorum barbariem & inhumanitatem. 3. Traditum est hunc Simeonem suo exutum fuisse officio, propterea quòd communi Judæorum opinioni de corporali Messiæ regno non annueret. *Scult. in Luc. c. 2.*

Ex his citra negotium colligamus Simeonem primum Messiæ præconem Academiæ Hierosolymitanæ fuisse alumnum, filium & discipulum Hillelis, & patrem præceptorémque Gamalielis.

Quod objiciunt nonnulli, sc. si Simeon Hillelis filius agnovisset Messiam, Gamalielem filium suum in eandem fidem traxisset, nullius est momenti. Non usque patrum & præceptorum vestigia premunt filii & discipuli. Deinde Gamalielis verba, Act. 5. 38. (cùm in jus vocati essent Apostoli) arguere videntur animum ejus à Christi doctrina non prorsus alienum fuisse. Abscedite, inquit, ab hominibus istis, & missos ipsos facite. En mens vel bene affecta erga religionem Christianam, vel saltem non penitùs aversa. In oratione adversùs Hæreticos Gamalieli à Maimonide attributâ, ubi eorum petitur exterminium, non pro indubitato est, illum ad Christianos collimâsse. Non soli enim pro מינים h. e. hæreticis habebantur Christiani, verùm etiam Sadducæi. Scripsit Rambam (piæ memoriæ) כי זה השם אינו נופל רק על צדוקי או בירוסי hoc nomen tantùm convenire *Thesbites in voce* מין

convenire dici de Zadduk eo & Baiethosi. Sunt verba Eliæ Levitæ. In oratione prædicta horum æquè bene atque illorum petat exterminium Gamaliel. Etenim non verisimile est illum ingenium ergà Christianos multùm admodum mite & moderatum prorsus deposuisse, quod fecisse necessum est, si adversùs Christianos orationem prædictam composuerit.

Judæorum Scholis vitio vertis, quòd etsi in iis lex & prophetæ exponerentur, tamen Messiam, quem expectaverant, agnoscere præsentem non didicerunt. Verùm hoc Scholis unicè non impingendum est. Satis enim constat Judæos in iis, quæ ad Messiam spectant, ad doctrinam antiquarum Scholarum fidem suam non composuisse. Jonathan Ben Uzielis in paraphrasi sua loca quamplurima de Messia interpretatur, quæ de eo dici moderni inficiantur Judæi. Hic Jonathan Doctor fuit celeberrimus in Academia Hierosolymitana. Hilleli seni fuêre octoginta discipuli; triginta ipsorum digni, super quos שכינה h. e. divina majestas quiesceret, ut supra Mosem. Alii, quibus subsisteret sol, ut Josuæ filió Nun. Viginti intermedii. Inter hosce octoginta Jonathan primas tenebat, & præripiebat palmam. Leviathanem tuum inter causas incredulitatis Judæorum hodiernorum æquè bene numeremus atque Scholas antiquas. Quandoquidem in eo sua exerunt capità tot monstra genita ab homine, qui se Christianum profitetur, ut Judæo inexpugnabilem tremorem incutere, & ab eadem fide & communione penitus arcere sufficiant. Paginas excipio, ubi Sadducæum induis.

Buxt. Abbr. p. 104.

Proximo loco, ut Academiarum honorem & dignitatem deprimas, & inutilitatem uberiùs ostendas, temet inflectis ad demonstrandum quid damni religioni philosophia inibi nata attulerit in primitiva Ecclesiâ usque ad Concilium Nicenum. Ab eo Concilio usque ad Carolum magnum. A Carolo M. ad

ad seculum Scholasticum. A primitiva Ecclesiâ auspicaris.

In maximo autem honore apud Græcos erat philosophia Græca, præsertim Aristotelica tempore primitivæ Ecclesiæ, quando ad fidem Christianam magno numero quotidie Græci accedebant, etiam inter illos philosophi. Sed hi ità fidem amplexi sunt, ut tamen Magistrorum suorum Dogmata (semicocti Christiani) non deseruerint: sed quæ cum doctrina Christiana quocunque modo conciliare potuerunt, retinuêre. Atque hæc Sectarum (Græcè hæresium) in Ecclesia origo prima fuit, dissentientibus sc. inter se pastoribus illis proselytis de natura Christi, quem Deum esse per miracula ostendunt Apostoli. Attamen, quia ex principiis philosophiæ demonstrari posse non videbatur, non crediderunt esse. Itaque alii Valentinum quendam secuti historiam generationis Christi totam converterunt in Allegoriam, cui se opposuit ex Orthodoxis Irenæus, &c. p. 316. *H.*

Nequaquam veritati congruum est quod primâ fronte occurrit, sc. in maximo honore apud Græcos fuisse philosophiam Aristotelicam tempore primitivæ Ecclesiæ. Majoris enim erat autoritatis Platonica. Græci Platonem appellârunt *θεῖον*, Aristotelem *δαιμόνιον*. Justinus Martyr dicit se Peripatetici institutionem repudiâsse, & Platonici consuetudine magnum in philosophia profectum fecisse. Subinde more Platonico senem introducit Socrati nequaquam imparem, quocum sermonem conserit, cujúsque hortatu ducitur ad majora. *T.* *In dial. cum Tryp.* 219. 221, 224, 225.

In Cohortatione ad Græcos Platonem asserit sacris libris fuisse adjutum. Idem tradidit Clemens Alexandrinus, Origenes, Eusebius. Numenii dictum deglutiebant omnes. *τί γάρ ἐστι Πλάτων ἢ Μωσῆς ἀττικίζων;* Sive verum sive falsum sit, quod Patres hi de Platonis retulerunt philosophia, scil. quòd à sacro fonte *p. 15.* *Hesych. Illust. περὶ σοφῶν in vita Numen.*

te ortum suum derivaverit, perinde est, quantum ad nostrum institutum. Utcunque res sit, attamen luculenter ostensum est, in maximo honore apud Græcos fuisse Platonicam philosophiam tempore primitivæ Ecclesiæ. Nihil huic similiter à Græcis tunc temporis dictum invenimus de Aristotelis philosophia.

Precariò asseritur Sectas & Hæreses talem habuisse originem, qualis à te depingitur. Ne γρῦ quidem hactenus audivimus, quo constet philosophiam eas peperisse, aut si cum iis commista fuerit, eo nomine damnandam esse, & ex consequenti, Scholas omnes, ubi nascebatur.

Quatuor enumeras sc. Valentiniorum, qui historiam generationis Christi in allegoriam converterunt; Apelleianorum, qui Christum phantasma esse sine corpore affirmabant; Anthropomorphitarum, qui Deo corpus Organicum tribuerunt. Denique eorum, qui Christum non totum sed Dei partem esse voluerunt.

Veritati penitùs dissonum est, quod de Apelle asseris, scil. affirmâsse eum Christum phantasma esse sine corpore. Christum neque in phantasmate dicit fuisse (inquit Tertullianus) sicut Marcion, neque in substantia veri corporis, ut evangelium docet; sed in eo quòd è superioribus partibus descenderet, ipso descensu sideream sibi carnem & aëream contexuisse.

De præsc. adv. Hæres. p.343. De carne Christi c.6. p.545. Pam.

Idem videre licet apud Epiphanium, qui palàm declarat Apellem asseruisse, Christum οὐ δοκήσει πεφηνέναι, ἀλλ' ἐν ἀληθείᾳ σάρκα εἰληφέναι, non specie apparuisse solâ, sed revera carnem sumpsisse, h. e. ἀπὸ τῶν τεσσάρων στοιχείων σῶμα ex quatuor elementis corpus.

2. Minimè constat hæreses sive Valentini, sive Apellis, sive Anthropomorphitarum, cæterorúmque à philosophia Aristotelica ortum duxisse. Valentinus

tus in fingendis triginta Æonibus non Aristotelis placita, verùm Hesiodi triginta Deos imitatus est. Occasionem hujusce erroris descripsit Tertullianus. "Speraverat (inquit) Episcopatum Valentinus, quia "ingenio poterat & eloquio; sed alium ex martyrii "prærogativa loci potitum indignatus de Ecclesia au-"thenticæ regulæ abrupit. *Epiph.hær. 31. Adver. Valentinianos, c.4.p.442.*

Apelles in suum inductus fuit errorem à Philu-"mene prophetissa, quæ (inquit Tertullianus) per-"suasit Apelli cæterísque desertoribus Marcionis. Fœmina hæc propheitissam induebat, & non à Schola Peripatetica, verùm à cœlo doctrinam suam accepisse præ se ferebat. *L. 3. adv. Marcionem, c.11. p. 673.*

Audias Sectæ Anthropomorphitarum conditor in hæresin pellectus fuit non philosophiæ fascino, verùm suâ ipsius imperitiâ & oscitantiâ in interpretando hoc textu, Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram, utì ab Epiphanio narratum est.

3. Si Hæresiarchæ hi nimis pertinaciter adhærendo Aristotelicæ philosophiæ, ubi rationis fasces revelationis sceptro submittendi sunt, Christianam doctrinam corrupissent, non ex ea re sequitur philosophiam penitùs eliminandam esse, & Scholis, ubi nascebatur, nigrum Theta figendum. Si nobis supersedendum sit usu omnium, quibus homines malesani abutuntur, & iniqua sua promovent facinora, sacris etiam valedicendum est literis, quas cujusque seculi Hæretici miseris perquam modis torserunt, & in suarum Sectarum traxerunt patrocinium.

Non celandum est, Tertullianum multoties in philosophiam tanquam hæreseos matrem invehi. Ipsæ (inquit) hæreses à philosophia subornantur. Patriarchæ Hæreticorum philosophi. Omnes hæreses ex subtiloquentiæ viribus, & philosophiæ regulis constare. *De præsc. p. 331. Adver. Hermogenem. Adversùs Marcionem, L. 5. Pam. not. p. 347.*

Verùm non ità sumenda sunt hæc verba, ac si

Christianis

Christianis philosophiæ sive Platonicæ sive Peripateticæ studio interdixisset. Quandoquidem non usum damnat, verùm abusum. Etenim alibi philosophiæ scientiam necessariam esse pronunciat. Ità nos (inquit) rhetoricari quoque provocant Hæretici, sicut & philosophari. Quinetiam notandum est, Irenæum & Tertullianum, ubi asserunt Gnosticos è philosophia hæresin suam mutuatos esse, philosophiam istam non habuisse in animo, quam sub pedibus conculcare, omniúmque risui propinare moliris, nempè Peripateticam sive Aristotelicam: verùm philosophiam Platonis, quem non ità pridem tibi placuit insignis Geometræ & Philosophi titulo condecorare.

L. de resur.

L. 2. c. 19. *de anim.* Apertè pronunciat Irenæus Gnosticorum deliria ex ideis Platonicis fabricata esse. Quocum concinit *Præsc. c. 30* Tertullianus. In ideis (inquit) Platonicis Gnosticorum hæretica semina relucère. Et Valentinum Platonicæ philosophiæ sectatorem appellat.

Ex hisce liquet, nihil adhuc prolatum, quo demonstratum sit religionem in Ecclesia primitiva detrimentum sive damnum à philosophia Peripatetica accepisse.

Proximè descendis ad tempora Concilium Nicænum sequentia. Concilium illud fateris Symbolo fidem orthodoxam breviter complexum esse ex Scripturis ipsis, nullâ omnino philosophiæ Græcæ habitâ ratione: verùm postea in Symboli Nicæni expositionibus non habitam esse de sententia Scripturarum tantam solicitudinem, verùm petitas è philosophia voces & explicationes non necessarias, quæ mysterio fidei plurimum damni attulerint. Sed fac obsecro ut sciamus, quæ sint hæ explicationes & voces.

H. Ubi enim in Scriptura Sacra, aut Symbolo Nicæno invenitur, quod in Symbolo dicitur Athanasii, ità Deum & hominem esse unum Christum, quemadmodum

dum anima rationalis & caro est unus homo. Constitutio hominis ex carne & anima nunquam pro mysterio habebatur. Sed Christus in carne mysterium maximum est. Quòd homo sit anima sua, aut corpus suum seorsim nemo dicit. De Christo utrumque rectè dicitur, quòd homo est, & quòd est Deus. Ubi legitur in Scripturis hominem Christianum, nisi comparatione hâc incarnationis contentus sit, damnandum esse? Ubi legitur in Scripturis Sacris aut in Symbolo Nicæno tres esse hypostases, id est, tres substantias, id est, tres Deos, aut aliud quod tantundem valet? Si legatur, cur eâ voce Ecclesia Latina recusavit uti? Cur excusat Græcos Augustinus ab eo quòd vocem commodiorem non habuêre? Verum quidem est, vocabulum in lingua Græca nullum esse, quod respondeat personæ vocabulo Latinorum; necesse tamen non erat, ut vocabulo [hypostasis] uterentur, cùm necesse non esset, ut mysterium explicaretur. c. 46. p. 317.

Hic Sanctum Athanasium reum agis, quasi in Symbolo suo neglectim habuisset sacra oracula, & voces explicationésque è philosophia petitas anteposuisset, quæ multùm admodum religionis mysterium contaminârunt. Verùm parcendum est tanto nomini si non sui ipsius, saltem Ecclesiæ Anglicanæ gratiâ, quæ Symbolum, cui tantopere dicam impingis, in suam cooptavit Liturgiam summæ potestatis edicto stabilitam. T.

Quamvis comparatio hæc [sicut anima rationalis & caro est unus homo: ità Deus & homo est unus Christus] κατὰ τὸ ῥητὸν in sacra pagina aut Symbolo Nicæno non reperiatur, tamen inibi est κατὰ διάνοιαν. Quæ hominem constituit unio, inter carnem & animam incorpoream, mysterium est altum adeò, ut ingenia per omnia secula acutissima exercuerit. Licet dici non soleat, hominem esse animam aut corpus, sicut dicitur

Christum

Christum esse hominem aut Deum: non inde bene infertur repudiandam prorsus esse comparationem. Multùm admodum è spe tua excides, si exspectaveris, ut ex omni parte quadrarent similitudines. Pari ratione comparationem hanc [ut sint unum, sicut &

Jo. 17.11. nos unum sumus] à Christo ipso concinnatam recuses. Etenim fideles unum non sunt naturâ & essentiâ: sicut Deus & Christus. Exigenda est comparatio ad scopum & mentem comparantis. Hoc solummodo Sanctus Athanasius in animo habuisse videtur. Nempe sicut ex anima & carne fit unus homo, & non duo homines: ità Jesus, qui est Deus & homo, est unus Christus, & non duo Christi. Huic proposito egregiè inservit comparatio. Nec in Scripturis, nec in Symbolo Athanasiano legitur hominem Christianum, nisi comparatione hâc incarnationis contentus sit, damnandum esse. Enimvero Athanasius in præfatione & appendice ad Symbolum illum periturum innuit, qui fidei Catholicæ in Symbolo complexæ fidem non adhibuerit: verùm nullibi dicit illum damnandum esse, qui in comparationibus non acquiescit ad fidem illustrandam adhibitis. Cauta notanda est inter fidem & fidei illustrationem distinctio. De priori & non de posteriori loquitur Athanasius. Illum ipsum hâc comparatione solâ non fuisse contentum sua testantur opera, ubi plures reperiuntur similitudines ad illustrandum incarnationis mysterium.

Tum in Scripturis, tum in Symbolo Nicæno [illegible] legitur tres esse hypostases. Neque hoc eundem valet, ac si diceretur tres esse Deos. [illegible] non οὐσίαν sive essentiam denotat: verùm existendi modum: & nihil impedit, quo minùs uni essentiæ competere possint tres modi. Non diffiteor inter Græcam & Latinam Ecclesiam olim fuisse dissensionem de hac voce [hypostasis:] verùm postquam ar-

bitrum

bitrum induisset Synodus Alexandrina, sopita fuit hæc lis, & Latini ad morem Græcorum loqui non recusarunt, uti suprà in Dogmatis 8. examine ostensum est. Quod agmen claudit, inter argutias futilissimas locum meretur primarium. Si mysteria explicatione opus non habent, dic obsecro quid explicandum sit ab Ecclesiæ Doctoribus. An quod evidens, apertum, & omnibus obvium est? Num existimas Sanctum Apostolum suam lusisse operam in Epistolis, ubi magnum pietatis mysterium vivis coloribus depinxerit?

Jam demum descendis ad ætatem in qua rerum potitus est Carolus Magnus. Ostende, si placet, quid damni eo & seculis sequentibus religioni intulerit philosophia Aristotelica.

Leo Pontifex Carolum Imperatorem ad Universitates per dominia sua instituendas, ubi literæ & scientiæ universæ docerentur, per literas suas hortatus est. Itaque Parisiis ille Universitatem erexit primam: & postea alias alii reges in dominio quisque suo, structis instructisque ad studia Collegiis, legibus ad arbitrium Pontificis Romani gubernandas. Tum demum à magistris Lombardo, Scoto, Thoma, ex philosophia Aristotelis & sacris literis nata est Theologia, quæ dicitur Scholastica. c. 46. p. 319. *H.*

T. Non liquet Carolum Magnum Academiam Parisiensem Papæ hortatu erexisse. Si Historicis fides sit adhibenda, "Joannes Mailrosius & Claudius Clemens "Scoti Ann. Christi 792. in Galliam venerunt ad "Carolum Magnum, & apud eum profitebantur sese "alios artes liberales docere posse. Carolus hac re "attonitus per suum Doctorem Alcuinum incitatus "fundamenta jecit Academiæ Parisiensis. *Ram. in orat.* *Hotting. histor. Sect. 8. p. 473, 474.*

"Habemus communi Historicorum voce confirmatum (inquit Nicolaus Fibertus) quo tempore "Academias Parisiensem Papiensemque constituit, "Anglis præcipuè autoribus, Doctoribusque fuisse "usum. *Descrip. Ox. Acad p. 16.*

usum. Hîc nulla Papæ facta est memoria; quem silentio præterire noluisset vir Pontificius, & hujusce incoepti gloriam Anglis ascribere; si fuisset compertum, Papam primùm per literas Carolum movisse ad constituendam Parisiis Academiam. Perpauci olim fuêre Pontificii Romani, qui principes ad erigenda gymnasia hortari voluerunt. Metuebant semper à literis, utpote satis experti, ignorantiam causæ suæ maximè fauturam. 2. Non patet Theologiam Scholasticam natam esse ex sacris literis & philosophia Aristotelica. Primus hujusce Theologiæ conditor fuit P. Lombardus Episcopus Parisiensis. Et compertissimum est illum quatuor Sententiarum libros non ex Sacris Literis, verùm ex Conciliis & Patribus in unum collegisse.

Chron. 1180. "Primus Latinorum (inquit Genebrardus) Theo-"logiam per antiquorum libros sparsam in certam "methodum artémque redigit æmulatione Joannis "Damasceni, qui ante quingentos annos idem Græ-"cis Syrísque praestiterat. Veritati pariter dissonum est, Theologiam hanc ex Philosophia Peripatetica natam esse, quandoquidem in Sententiarum Magistro ne vel nomen legitur Aristotelis. Historici, qui Theologiæ Scholasticæ ortum & progressum delineant, ætatem ejus Triplicem faciunt: Veterem, Mediam, Novissimam. Veterem duràsse perhibent à

Hotting. Sect. 12. *p.* 80. Lanfranco Papiensi usque ad Albertum magnum pænè per annos ducentos, videlicet ab Anno Domini 1020. usque ad Annum 1220. Mediam ab Alberto Magno usque ad Durandum, qui vixit anno Domini 1330. Novissimam à Durando usque ad Lutheri tempora, h. e. ad Annum 1514. Ætate primâ in atrio stabat philosophia, ad instar pudentis Ancillæ, exspectans Dominæ suæ mandata. In sequentibus non diffiteor eam aliquoties suam modestiam deposuisse, & pro more famulæ nimis audacis intrusisse se aliquando in

Sanctum,

Sanctum, quandoque in Sanctum Sanctorum. Verùm in nulla earum ætatum habebatur Theologiæ Scholasticæ mater. Si ità sit, dic obsecro quomodo, aut à quibus opinionibus Aristotelicis nata & derivata sit hæc Theologia, & unde pateat Theologiam istam ità natam vanam & futilem esse.

Dicam. Græci & Latini & Europæi plerique quoties affirmant aliquid, conjungunt duo nomina per verbum *est*, &c. verbo substantivo utebantur etiam Hebræi, &c. sed ut copulâ nunquam utebantur. Nam vice copulæ utebantur Hebræi duorum nominum appositione. Ut ubi dicitur (Gen. 1. 2.) terra res informis, quod nos necessariò vertimus, terra erat informis. Aristoteles, qui non tam ad res respexit, quàm ad voces, cùm intelligeret (exempli causâ) sub duobus nominibus *Homo* & *Animal*, quæ res intelligendæ erant, non contentus eo homo diligens quæsivit, quinam res concipienda erat sub copula *est*, &c. nec dubitavit, quin nomen illud *esse*, alicujus rei nomen fuerit. H.

Ab hoc absurdo in aliud lapsus est adhuc pejus, nempe essentias quasdam esse ab entibus ipsis separatas, &c. Entia hujusmodi nova, &c. per copulationem nominum solus genuit Aristoteles Philosophiæ; quam fraudem vanam appellat Sanctus Paulus, principia prima. c. 46. p. 320.

Eò redeunt hæc omnia, ut palàm fiat, quo pacto in suam de essentiis separatis sententiam inductus fuerit Aristoteles. Quomodo ab hac opinione profluxerit Theologia Scholastica, proximo paragrapho explicatum est. T.

Veritati prorsus dissonum est, quod de Hebræis asseris, quasi verbo *est* nunquam vice copulæ uterentur. Luculenter apparet contrarium ex loco à te ipso laudato, Gen. 1. 2. In Hebraico textu ità se habent verba, והארץ היתה תהו, היתה hoc ipso in loco pro copula usurpatur. Opera tua nonnullis

ansam dederunt conjiciendi te esse Sadducæum: verùm *σφάλμα*, quod præ manibus habemus, te ab hoc expurgabit crimine; evidenter enim demonstrat, te ne Hebræum quidem esse. Precariò insuper dictum est, Aristotelem in hac propositione [Homo est Animal] non solummodo quæsivisse, quæ res sub duobus nominibus [Homo est animal] intelligendæ essent: verùm etiam quæ concipienda sub copula *est*. Indigita vel unum in ejus operibus locum, ex quo pateat hoc ab illo fuisse præstitum; vel absurdum hoc induxisse illum ad asserendum essentias quasdam esse ab entibus suis separatas. Nullibi hæc apud Aristotelem leguntur: verùm sunt cerebri tui plasmata. *τὸ εἶναι* juxta Aristotelem est *συγκεῖσθαι*, h.e. componi.

Doctrina, quâ assertum est animam humanam ab homine separatam & dissitam per se subsistere, non solummodò cum Theologia congruit Homerica: verùm etiam cum Sacra Scriptura; uti fusè probatum dedimus in Exam. Dogm. 24.

In Scripturis reperitur vox *essentia*. Hisce enim vocabulis יֵשׁ & תּוּשִׁיָּה hunc significatum attribuunt Hebræorum peritissimi. יֵשׁ à Schindlero vertitur Ens & תּוּשִׁיָּה Essentia. Et utraque vox in Sacris invenitur Bibliis. Aristoteles Entia à materia distincta & separata primus non genuit. Ante Aristotelem id genus Entia Plato, Socrates, aliique agnoverant.

Philosophiam ex hisce ortam principiis Sanctus Paulus fraudem vanam non appellat. Inter philosophiam & fraudem non obscurum ponit discrimen: Videte (inquit) ne quis sit qui vos deprædetur per philosophiam & inanem deceptionem. Si quis diceret, Cave ne quis te interficiat melle & veneno simul commistis, non indè fas esset inferre illum mel appellare venenum.

Deinde non constat Apostolum hoc in loco collimâsse ad philosophiam ex principiis Aristotelicis ortam.

tam. Clemens Alexandrinus illum opinatur τὴν ἐπικούρειον, h. e. Epicuream reprehendisse. Ut dicam quod res est, notandum est temporibus Paulinis novam philosophorum Sectam claruisse, quæ ἐκλεκτικὴ dicebatur. Potamon Alexandrinus, qui Cæsaris Augusti & Tiberii temporibus vixit, huic ortum dedit; cui etiam se addixit Sotion Senecæ magister, qui Sancti Pauli fuit coætaneus, necnon Ammonius Magister Plutarchi, è Christianis Clemens Alexandrinus. Nova non cudebat dogmata; verùm præ se ferebat ex qualibet philosophorum antiquorum Secta præstantissima seligere, & hoc pacto Systema Scientiæ concinnare adeò præcellens & omnibus numeris absolutum, ut nullâ aliâ opus esset disciplinâ. Hinc Clemens tantopere in ejus excurrit laudes, ut aliquoties dixisse videatur Gentibus ad salutem suffecisse. Cùm prævideret Apostolus assertionem hanc suo etiam seculo defensam doctrinæ noviter revelatæ plurimùm præjudicaturam, necesse habuit Colossenses hortari, ut ab hac caverent philosophia. Non monet eos, ut se penitus ab illius abstinerent usu, (omnium optima sit necesse est, si modo solido excerpta judicio) verùm munit adversus abusum. Videte (inquit) ne quis vos per hanc philosophiam in captivitatem abducat; adeò ut ne vobis liberum sit aurem præbere institutioni Christi, in quo reconduntur omnes sapientiæ thesauri, & Deitatis habitat plenitudo. *L.1.στρωμ.*

Quæ habueris dicenda de separatis Aristotelis essentiis jam audivimus. Audiamus etiam quomodo ab hac doctrinâ derivata fuerit Theologia Scholastica.

H. Ab hac doctrina de essentiis & formis substantialibus separatis Dæmonologia Græcorum (ut dixi) relicta est; & superstitio illa quam δεισιδαιμονίαν vocant Græci, sive metum phantasmatum. Indè Exor-

 cismorum

cismorum usus ortus est, & signi Crucis, & aquæ benedictæ, quibus excantarentur aut abigerentur: deinde nata est opinio de substantiis incorporeis, id est, nullam habentibus omnino magnitudinem, & quòd Deus ipse optimus maximus magnitudinem non haberet, quanquam neque substantia incorporea, neque substantia immaterialis in Scriptura sacra inveniatur. Item quòd anima est tota in toto & tota in qualibet parte corporis. Ex eodem fonte orta est doctrina tota de Purgatorio, & de apparitione nocturna Animarum, & Legenda miraculorum, & quæstiones de animis reproborum, ubi & (cùm sint impatibiles) quomodo puniuntur, aliáque multa quæ non reperiuntur in Scriptura Sacra. c. 46. p. 321.

T. Scholastica Theologia apud Petrum Lombardum in quatuor partes dispescitur. In prima & secunda de Deo agitur & ejus operibus. In tertia & quarta de Christo & Sacramentis. Harum partium compendium nobis exhibuit Christus hisce verbis: *Hac est vita æterna, ut cognoscant te solum Deum verum, & quem misisti Jesum Christum.* Me in exspectationem erexisti sciendi, quomodo ortum suum à philosophia Aristotelica deduxerit hæc de Deo & Christo doctrina: Sed nihil hujusmodi factum invenio. Tibi visum est paucula recensere dogmata, quæ Theologiæ Scholasticæ nè centesimam partem constituunt. In duas diducantur classes. Primæ sunt dogmata de substantiis incorporeis, spirituali Dei naturâ, punitione animarum reproborum: Secundæ de Dæmonologia, usu Exorcismorum, Purgatorio, & apparitione nocturna Animarum, &c. Prioris classis dogmata lucidissimo fundamento innituntur in sacris literis reperto, uti suprà demonstratum est; & nequaquam philosophiæ Peripateticæ suam acceptam ferunt originem. Posterioris, sicut in Scripturis reperta non sunt; ità nec ab Aristotele desumi videntur.

tur. Opinaris te fontem indigitâsse, nempe doctrinam illius de essentiis separatis. Verùm autem an nemo Philosophorum præter Aristotelem huic doctrinæ patrocinatus est? Nonne ante illum idem tenuit Plato, Socrates, Pythagoras? Dic, obsecro, cùm alii sunt perinde rei, cur criminationis onus in Stagiritæ humeros in solidum devolvas. Sed esto: hoc tibi indultum volumus, sc. Aristotelem agnovisse substantias incorporeas, & indè Scholasticis ansam præbuisse fingendi Purgatorium pro animabus impuris, nec non opinandi homines aliquoties Spiritibus possideri, & ex ea re adhibendos exorcismos ritúsque superstitiosos, quibus abigantur; An ex ea re damnanda est illa Philosophia, & Scholæ, ubi docetur? Doctrinæ de spiritibus, quæ rationi expurgatissimæ apprimè convenit, minimè impingenda est culpa: verùm malesano eorum, qui eâ abusi sunt, ingenio. Si aureo gladio jugulum petat homicida, non damnandum est aurum, sed homicida. Quæ de voluntate adjicis infrà in Exam. Dogm. 42. ad incudem revocabimus. Reliqua, quæ prætereunda censuisti, nos etiam intacta relinquimus. Sed nondum totam audivimus dicam, quam Scholæ impegisti Peripateticæ.

Accedamus jam ad Ethicam & Politicam, &c. Unde nata sunt de Religione in Germania, Gallia, & Anglia bella civilia, nisi à Philosophia, Ethica & Politica Aristotelis, & eorum, qui Aristotelem sequuti sunt, Romanorum? Mensura boni & mali in omni civitate est lex. Aristoteles autem virtutem & vitium non legibus definivit; sed laude & vituperio apud Cives; Regum omnium imperium tyrannidem vocat. c. 46. p. 322. *H.*

Sanctus Jacobus rogat, unde bella? verùm inter causas philosophiam Aristotelicam non enumerat. Precariò dicta sunt hæc omnia. Majori longè pro- *T.*

babilitare asseruisses, bella in Europa civilia è doctrina emersisse, cui patrocinatus es, quàm à Philosophia Ethica & Politica Aristotelis. Quid obsecro magis confert ad bellum accendendum, & alendam contentionis flammam, quàm hic fomes. *Dominium potentiæ naturaliter adhæret. Omne naturæ jus in conservationem privatam resolvitur. Princeps pœnas poscens vi & armis jure potest resisti. Obligatio Civium erga Regem suum non diutiùs permanet, quàm manet potentia Cives protegendi.*

Dogmata hæc per Leviathanem sparsa patulo ore Seditionem & Rebellionem spirant. Ostende in Ethicis aut Politicis Aristotelis vel unam literulam Regibus adeò infestam, tantúmque portendentem periculi. Aristoteles virtutem & vitium laude & vituperio apud cives non definit: Verùm mediocritatem, in qua situm esse opinatur, limatâ viri prudentis ratione statuit determinandam. Nec ullibi Regum omnium imperium tyrannidem vocat: verùm è contrà ubi 3. regiminis enumerat formas, sc. βασιλείαν, in qua omnis potestas est penès unum; ἀριστοκρατίαν, in qua præsunt, qui virtutibus antecellunt; τιμοκρατίαν, in qua administrationem habent, qui censu & opibus cæteris superiores sunt; βασιλείαν sive regum imperium palmâ donat. τούτων δὲ (inquit) βελτίστη μὲν ἡ βασιλεία.

[Margin: ὡρισμένη λόγῳ καὶ ὡς ἂν ὁ φρόνιμος ὁρίσειε. Eth. L. 2. c. 6.]

[Margin: Eth. L. 8. c. 10.]

Huc usque conatus tuos inflexisti ad evincendum Scholas hactenus instrunitas fuisse, imò inutiles adeò, ut cum officinis & operatoriis, ubi incantamenta sua conficiunt Lemures, Universitates celeberrimas æquare non erubescas. Fac obsecro ut intellectum habeamus, quo modo in posterum evadant utiles.

[Margin: Lev p. 325.]

[Margin: H.]

Ante omnia illæ reformandæ sunt. Quid autem (inquiet aliquis) docendæne sunt Universitates, & siquidem docendæ, túne is es qui illas doceas? Quæstiones molestæ. Sed ad primam respondeo. Ante

tempora

temporа Regis Henrici Octavi, in quæstione de potestate Pontificia in Reges Christianos, cùm potestatem Papæ in ordine ad spiritualia summam in Anglia esse docuerunt Universitates omnes, recténe docuerunt? Negabis, &c. doceri ergo potuerunt.

Ad quæstionem secundam respondere non est meum. Nam qui legit quæ scribo, facilè intelligit, quæ sentio. c. 30. p. 161.

Ad quæstionem primam tantundem tuum valet responsum; Universitates sunt reformandæ & docendæ, quia ante tempora Henrici Octavi errârunt, & doceri potuerunt. Perinde argumenteris, reformandam esse Ecclesiæ Anglicanæ Religionem, quippe ante tempora Henrici Octavi perquam necessaria fuit hujusmodi reformatio. *T.*

Responsum ad secundam Quæstionem præ insueto modestiæ paroxysmo declinare videris. Metuo ne tibi fatalis sit hic morbus. Nunquam antehac auditum est te modestiâ laborâsse. Dicis enim ad secundam Quæstionem respondere meum non est: sed qui legit facilè intelligat, quæ sentio. Imò citra ullum capitur negotium, qualem Academiarum mediteris reformationem. Mentem tuam breviter aperire non gravabor. Universitatum per Europam omnium Alumni aquâ lustrali denuò tingendi sunt, & Tu ipse pro nuncupatore lustrico sistendus: Juxta cujus nomen non diutiùs Academici, sed Hobbiani sunt appellandi. In eorum nominibus tria spondere paratus es.

1. Aristoteli, operibúsque ejus omnibus renunciare. Dæmonem enim nullum alium videris agnoscere.

2. Huic Symbolo annuere: Credo in Deum Corporeum, qui nec cœlum, nec terram condidit. Et in filium ejus non ab æterno sed in tempore genitum, Dominum regémque nostrum, sed non ante diem resurrectionis. Qui natus est à virgine Maria ad homines

mines præparandos, ut digni sint regno frui terrestri in Palæstina: qui passus est sub Pontio Pilato, sed non ut divinæ satisfaceret justitiæ; qui venturus est die resurrectionis ad restituendum regnum à populo in electione Saulis rejectum. Credo Spiritum San-
P. 183. ctum esse merum figmentum. Voces enim hæ [substantia spiritualis & incorporea] sunt insignificantes.
P. 218. Credo Ecclesiam esse eandem cum civitate, & Catholicam nullam esse, cùm nulla sit in terra civitas aliarum omnium domina. Sanctos Martyres fuisse ineptos & fatuos, utpote citra necessitatem sanguinem suum fundentes. Remissionem peccatorum esse rem inanem, quippe non opus est ut remittantur peccata, quorum Deus ipse sit causa. Credo denique mortuos resurrecturos, & eorum electos vitâ fruituros æternâ in terra Canaan, & Hierosolymam fore regni Metropolim: verùm reprobos in locis adjacentibus victuros, uxores ducturos, & tandem morituros mortem secundam.

3. Ad hæc mandata vitam componere.

Non habebis alios Deos præter materiam.

Non adorabis idola cerebri pro rebus externis ad morem Peripateticorum.

Jurabis quandoque in familiaribus colloquiis ad conciliandum sermoni decorem.

Memento ut diem celebres in memoriam hujus beatissimæ reformationis.

Honora Patrem & Matrem, quando tibi expediat, & ad tuam conferat conservationem: sin aliter accidat, liceat tibi eos pro libitu & arbitrio tuo tractare.

P. 149. Non occides hominem nisi aliquando innocentem; ut civitas juvetur.

Non mœchaberis, nisi eò te ferat tua libido. Etenim boni & mali regula est cujusque appetitus.

Non furtum facies citra necessitatem, cujus tu ipse sis judex.

Non loquêris contra proximum tuum falsum testimonium, si tibi cessurum sit in præjudicium. Aliter sive verum sive falsum sit, perinde est.

Concupisces domum proximi tui, desiberabis uxorem ejus, servum, ancillam: nam si quis bona, servos, uxorem videns proximi sui, frui illis cum delectatione imaginatus fuerit, peccatum non est. *P.* 38.

Hoc solenni voto nuncupato, ut Academiarum reformatio tam feliciter inchoata, indies magis magisque promoveatur, paranda est tibi in Scholis publicis magnificentissima Cathedra, unà cum pluteo pro Leviathane tuo. Ad primum introitum oportet singulos literarum candidatos te tanquam Belum, & Leviathanem tanquam Draconem cultu plusquam humano impertire. Professores verò, qui hactenus cum laude occupârunt Cathedram, descendant illicò oportet, ad subsellia se conferant, ad pedes tuos procumbant, ut suas dedoceantur literas, & in profundissimis Leviathanis mysteriis instituantur. Qui tua consuluerit Scripta, facilè intellecturus est, hæc omnia animo tuo apprimè congruere.

Dogma

Dogma XLI.

***Hæc doctrina [Christus est æternus Dei filius] non debet obligare conscientiam*, p. 318.**

H. QUod est in Symbolo Athanasii [filius est ex solo patre] illud *solo* in Symbolo Nicæno non est; & præterea dicitur (Mat. 1. 20.) Quod in virgine Maria genitum est, ex Spiritu Sancto est. Sed dicet fortasse aliquis, generationem æternam differre à generatione illa, quæ facta est in utero virginis. Ubi autem Scriptura Sacra aut Synodus ità distinguit? Nonne Deus erat filius ex eo, quòd virgo illum ex Deo conceperat? Imò Deus ab æterno erat, etsi nondum carnem induisset. Nam de eo quod ab æterno decreverat, cui omnia sunt præsentia, loquitur Deus sæpenumerò tanquam de præsente. Verbum Dei nempe Christus promissus à principio & ab æterno erat. Verba tamen quæ faciunt actum promittendi, non erant Deus, nec substantia, sed vox. Per filium Dei facta sunt secula (Heb. 1. 2.) sed non per alium Deum ea fecit Deus. Per verbum Dei facta sunt omnia, quæ facta sunt: dixit enim Deus, fiat, & factum est. Non tamen jubemur credere verbum illud *fiat* esse substantiam divinam & Dei Filium. Citant etiam Doctores pro generatione filii æternâ verba Solomonis dicentis in persona Sapientiæ, Prov. 3.19. Jehova sapientiâ fundavit terram, statuit cœlos intelligentiâ, volentes eo loco intelligi sapientiam Dei pro Dei filio. Si sapientia sumatur pro ipso sapiente Deo, argumentum procedit; sed si sumatur quatenus distinguitur, ut plerumque fit, à

voce

voce concreta *sapiens*, non potest intelligi pro substantia, neque ergo pro filio Dei, non magis quàm justus justitia aut virtus vir appellari propriè potest. Etiam inter Deum & Deitatem distinguit rectè Damascenus dicens, Deum quidem non Deitatem hominem factum esse. Hæc & hujusmodi doctrinæ hominum singularium opiniones sunt, non decreta Ecclesiæ; & proinde (etsi impiæ non sint) conscientias tamen non debent obligare. c. 46. p. 317, 318.

Si tibi volupe fuerit hæc duo animo revolvere, 1. Hæc doctrina [Christus est æternus Dei filius] est vera; 2. Est creditu necessaria: nullus dubito quin constiterit nos conscientiâ teneri ad eam fide accipiendam. T.

Hæc doctrina est veritati consona. 1. Radiis solaribus pingitur in sacra pagina Christum esse Dei filium. 2. Hic titulus ei tribuitur ante conceptionem in utero Virginis Mariæ. De eo dicitur seculo Davidico, Filius meus es tu, hodie genui te. Allegatio Apostolica satìs luculenter indicat Psalmum ad Christum spectare. 3. Non solùm ante conceptionem competebat Christo hic titulus, verùm etiam ante mundum conditum. לפני שמש ינון, antequam sol esset, Filius erat nomen illi, Ps. 72. v. 17. Commemorantur in hoc hymno, quæ congruunt Messiæ soli, cujus figuram exhibebat Solomon. Sapientia (Pro. 8. 22.) quæ Dei filius est (uti liquet 1 Cor. 1. 24.) dicit dominum se possedisse ab initio viarum suarum, antequam quicquam faceret à principio. 4. Non solùm Christi fuit hic titulus ante mundum conditum, verùm etiam ab æterno. Egressus ejus ab æternitatis diebus esse dicitur, Mich. 5. 2. Vaticinium duplicem nativitatem indigitat, humanam alteram in Bethlehem, alteram divinam ab æterno, cùm à patre genitus esset. Hinc sapientia (Prov. 8. 23.) dicit se ab æterno constitutam fuisse. Testimoniis

moniis hisce concinit Concilium Nicænum. Agnoscit enim filium Dei *ἐκ τοῦ πατρὸς γεννηθέντα πρὸ πάντων τῶν αἰώνων*. Necnon Concilium Chalcedonense, ubi disertè dicitur, Christum *πρὸ αἰώνων* genitum fuisse. Hisce attexere liceat Symbolum Athanasii, ubi occurrunt hæc verba. *αἰώνιος ὁ υἱὸς πρὸ αἰώνων*. In hac etiam re non desideratur rationis suffragium. Si Christus à patre non genitus fuerit, antequam in utero virginis conciperetur, nulla ratio proferri potest, quare dilectio Dei in mittendo filio tam magnificè prædicaretur. Filius ex virgine natus ex ea re genitus fuit, ut in mortem daretur. Quæ (obsecro) est divini amoris præcellentia, si ad moriendum pro peccatis mittatur filius, qui ex ea solùm causa formatus fuerit? Verùm si asseramus filium ante omnia secula genitum, Patri suo charissimum, cui nulla necessitas incubuit induendi nostram naturam, juxta Patris voluntatem sponte se submisisse huic humillimo statui, elucet protinus & vividos radios emittit divina amoris excellentia. Hucusque rationis revelatione munitæ vocem audivimus. Ratio seorsim sumpta talisque destituta subsidio, in hac re non penitus silet. Naturæ enim lumine percipimus ens aliquod omnibus numeris perfectum existere. Omnigena perfectio nullibi est citra intellectum & voluntatem. Intellectus entis perfectissimi non potest non intelligere suam ipsius naturam: sicut voluntas nequit non diligere. Horum actuum absentia non mediocrem imperfectionem innueret. Et si Deus semetipsum ab æterno intellexerit, nec non dilexerit, essentia divina ab æterno fuit sub triplici modo. Eadem enim essentia fuit intelligens, intellecta, dilecta. Qui intelligit, modaliter saltem distinguitur à re intellecta; quemadmodum res intellecta à dilecta. Deus quà intelligens est à semetipso. Deus quà intellectus est ab intelligente. Deus quà dilectus ab utroque.

Amor

Amor enim divinæ essentiæ in bonitatem intellectam resolvendus est. Itaque procedit tum à Deo intelligente, tum à Deo intellecto. Si in hunc modum in notitiam trinitatis ratio nos ducat, necesse est, ut eâdem operâ filii secundæ Trinitatis personæ æternitatem indigitet. Deus quà intellectus, est æternus Dei filius. Per actum enim intellectûs genitus est. Hinc in sacra pagina appellatur Verbum, Sapientia, Imago. Qui hac tria suffragia sc. Scripturæ, symbolorum, rationis pensitat, animus ei non pendebit, num hæc doctrina de filii æternitate sit veritati consentanea.

2. Est creditu necessaria. 1. Qui vitâ æternâ potietur, credat oportet in filium, Jo. 3, v. ult. Qui credit in filium, necesse est, ut credat filium esse Deum. Maledictus est, qui confidit in hominem, Jer. 17. 5. Qui credit filium esse Deum, non potest non credere filium esse æternum. Æternitas enim cum natura divina insolubili nexu conglutinatur. 2. Cui in animo est non perire in æternum, oportet illum filium Dei veneratione prosequi, Ps. 2. 12. Osculamini filium, h. e. adorate illum, cui Dominus dixit, Filius meus es tu. Alluditur ad consuetudinem adorandi principes osculo manuum. Ne pereatis de via, h. e. ne de medio abripiamini, & in æternum pereatis. Impiis enim de medio sublatis citra pœnitentiam nulla salutis spes remanet. Nemo filium Dei divino cultu prosequi potest, nisi qui scit illum esse Deum. Qui Christum verum Deum cultu divino impertiebant, autumantes illum esse ψιλὸν ἄνθρωπον, ab antiqua Ecclesia indololatriæ insimulabantur. Qui scit filium esse Deum non diu pendulus stabit & incertus de ejus æternitate.

3. Qui fidem non adhibuerit evangelio à Christo tradito, condemnabitur, Mar. 16. v. 15, 16. Summa hujus Evangelii hac formulâ complexa est, Credo in patrem, filium, & Spiritum Sanctum, Mat. 28. 16.

Hæc formula fuit Symbolum, quod Christus suis tradidit discipulis. In Symbolo Apostolico adhuc remanet Articulus de Spiritu Sancto in sua primævi simplicitate. Hac tesserâ, innuitur non obscurè parem fidem in filium atque in patrem & Spiritum Sanctum terminandum esse. *Credo* perinde spectat ad filium atque ad reliquas personas. Et si par fides in filium terminanda sit, tum perinde necessarium est credere filium esse juxtà æternum atque patrem & Spiritum Sanctum. Deus æternus à nobis plus fidei jure sibi vendicat quàm mortalis homo.

Hæc omnia simul collata liquidò demonstrant hanc doctrinam [Christus est æternus Dei filius] esse creditu necessariam. Et si sit veritati consentanea & necessaria creditu, passim in confesso erit, ubi minima rationis scintillula relicta est, conscientiam arctiori vinculo astringi non posse.

Secundùm hæc in hunc modum discussa, defensio Dogmatis ad examen revocanda est. Quid si in Symbolo Nicæno vox *solo* non reperiatur? tamen voces ibidem occurrunt, quæ æternitatem filii palàm denunciant. Dicitur enim eum genitum fuisse πρὸ αἰώνων. Quamvis (Mat. 1. 21.) asseritur, Quod in virgine Maria genitum est, ex Spiritu Sancto est: tamen nullibi id quod genitum fuit, Spiritûs Sancti filius nuncupatur. Apertè distinguit Scriptura inter generationem æternam, & illam quæ in utero Virginis facta fuit. Mich. 5. 2. Necnon etiam Synodus Nicæna in verbis supra laudatis. Christus filius factus non erat ex eo, quod virgo illum ex Spiritu Sancto conceperat, sed vocatus tantùm; Quod ex te nascetur sanctum, vocabitur filius Dei, Luc. 1. 35. Filius factus fuit per æternam generationem; vocatus ex generatione in tempore, tanquam ex argumento æternam demonstrante generationem. Qui factus est ex semine Davidis secundum carnem, declaratus est filius Dei secundum Spiritum; Rom. 1. 3. Non so-

lùm

sum per resurrectionem; verùm etiam per conceptionem Christi filiationem patefecit Spiritus. Filiatio ab æterno personæ competebat: verùm Spiritus induendo personam hac nova veste, nempe humana nostra natura modo insolito citra viri subsidium, palàm fecit illum esse filium Dei. In hoc negotio perinde egit cœlestis pater, ac si princeps aliquis filium sibi natum filium esse declararet induendo illum nova veste, non famuli ministerio, sed sua ipsius manu. Insuper si tibi indulgeretur, Deum de eo, quod ab æterno decreverat, loqui sæpenumero tanquam de præsente: tamen non inde bene infertur, ex ea re dici Joan. 1. 1. verbum à principio aut ab æterno apud Deum fuisse, quippe quod in decreto fuit apud Deum. In animo enim habet Evangelista peculiarem aliquam excellentiam Christo affigere. Verùm si valeat hæc interpretatio, nihil eximium Christo defertur. Quandoquidem opera Dei quotidiana ab æterno in decreto apud Deum fuere. Si per filium Dei (uti innuis) facta sint secula, Heb. 1. 2. tum necesse est, ut concedas eum ante omnia secula extitisse. Causa nunquam non effectum præcedit. Nemo, quod scio, asserit verbum illud *fiat* in primo capite Geneseos esse substantiam divinam seu Dei filium. Sentit Theologia nostra verbum illud *fiat* figurate Deo attribui, & innuere, Deum efficaciter mundi creationem voluisse, & nullo negotio citra omnem laborem eam peregisse. Quod verbo solo fit, id absque labore perfectum est. Quinetiam existimat non solummodo Patrem hoc verbum figuratum *fiat* protulisse, verùm etiam filium, necnon Spiritum Sanctum. Pater locutus est per verbum essentiale sc. filium æternum; filius à Patre; Spiritus Sanctus ab utroque. Operantur enim in tempore juxta relationem, quam ab æterno habuere. Itaque cùm dicatur, Omnia per verbum facta sunt, & absque eo factum est nihil, quod factum sit: per λόγον non oportet nos intelligere ver-

bum

bum *fiat* in primo capite Geneseos: sed verbum essentiale, per quod vox illa fuit prolata. Dictio illa *fiat* est interni sermonis effectus, per quem pater omnia formavit. Pater per sermonem creare dicitur, non quia eo utitur tanquam instrumento; verùm quippe quòd ab æterno essentiam & virtutem communicavit, quâ sermo unà cum Patre mundum condidit. Non citra rationem pro generatione filii æterna Solomonis verba citant Doctores. Citra dubium in c. 8. Prov. v. 22. 24. Sapientia est æternus Dei filius. Hoc titulo enim insignitur 1 Cor. 1. 24. Quinetiam vox נסכתי, quæ ad Christum applicatur Ps. 2. v. 6. de hac sapientia usurpatur v. 23. illic activè, hîc passivè. Dictum est etiam eam editam fuisse, cùm nullæ essent Abyssi. Quod parallelum est verbis prophetæ de Christo, Mich. 5. 2. Cujus exortus inde à principio à diebus sæculi sunt. Denique Patres universum locum de Christo interpretantur. Inde olim dimicatum fuit de voce ἔκτισε in versione LXX. Seniorum, quam avidè arripuêre Arriani, ut Christum creaturam esse ostenderent. In responsis suis non inficias ibant Patres per sapientiam Christum esse intelligendum; verùm non callentes Textum Hebraicum, cujus ope nullo negotio vim argumenti elidere potuissent, plurimum molestiæ sibi facessebant in cudendis variis vocis interpretationibus, quod indicio est inter omnes convenisse, quòd sapientia apud Solomonem sit æternus Dei filius. Videris mihi operam suam lusisse, cùm te ad distinguendum accingas inter vocem abstractam & concretam in re ad Deum spectante. Quandoquidem nihil concretum aut compositum in Deo ente simplicissimo invenitur. Sapiens & sapientia, Deus & Deitas idem sonant. Hinc Deus dicitur veritas, Christus vita, sapientia nuncupatur. In more positum est apud eos, qui Spiritui Sancto à manu fuere, voces in abstracto Deo tribuere, quod simplicitati Divinæ maximè consentaneum est.

Dogma

Dogma XLII.

Deus est Causa Peccati.

QUod volendi causa sit voluntas, i. e. potentia causa actûs, Aristotelicum & receptum à Scholasticis: nimirum ut dominio Dei in voluntatem humanam sublato, liberum statuerent arbitrium hominis, &c. H.

Quòd negato libero arbitrio, sequi dicant Deum esse peccati authorem, nec debere ideo peccatorem puniri; concedant tamen rerum & actionum causam primam esse Deum, conciliationem petunt ex Aristotele vocante peccatum ἀνομίαν, i. e. ipsam cum lege incongruitatem, privationem meram, non factum aut actionem quampiam. Facti ergo omnis & legis causam Deum esse agnoscentes, incongruitatis causam esse negant. Quasi quis, cùm duas duxisset lineas, rectam, & curvam, ambas se fecisse diceret, sed ab alio factam esse incongruitatem. Sed Aristoteles per incongruitatem ipsum factum, aut saltem deliberatum vel consultum legi incongruum intellexit. Itaque Scholastici, ubi videri voluerunt subtilissimi, ibi hebetudinem indicârunt maximè. Si subtiles fuissent, differentiam inter causam facti & authorem facilè invenissent. Author facti est is, qui fieri jubet. Causa est, per cujus vires factum est. Deus neminem jubet quicquam contra leges facere, aut conari; Atqui quæ facimus, viribus à Deo datis omnia facimus. c. 46. p. 321, 322.

Fundamentum, cui dogma hoc blasphemum innititur, jam antea funditus evertimus. Proximè enim T.

ſupponis Deum eſſe materiam; mox materiam hanc variis modis fuiſſe agitatam; tertio loco ex hac materia ità mota varias emerſiſſe cauſarum concatenationes; denique in Catena illa, quæ ad humanum extenditur arbitrium, materiam, quæ Deus eſt, primum movere annulum, annulum primum ſecundum, ſecundum proximum propellere, donec deventum ſit ad illum, qui immediatè ad animam humanam pertingit. Et ſic quemadmodum clavus clavum pellit: ſic prima cauſa ſecundam, ſecunda tertiam, donec ad illam deſcenſum ſit materiam, ex qua animam humanam conſiſtere arbitraris. Ab hac opinionis tuæ interpretatione non longè aliena ſunt, quæ occurrunt cap. 21. p. 105. "Actiones omnes voluntariæ quæ ſuâ naturâ liberæ ſunt, quia tamen cauſas "habent, & cauſæ illæ alias cauſas, & ſic perpetuò "uſque ad cauſarum omnium cauſam primam, nempe "divinam voluntatem, neceſſariæ ſunt. Indè protinus concludis. "Homines quanquam multa faciant "contra Leges Divinas, id eſt, multa, quorum Deus "non eſt Author, nullam tamen paſſionem, voluntatem, aut appetitum habent, cujus cauſa prima "& plena non ſit à voluntate Dei. Itaque cùm in examine Dogmatis 3. demonſtratum ſit, Deum non eſſe corpus, in exam. Dogm. 37. animam humanam eſſe incorpoream, blaſphemiam hanc ab imis radicibus revulſimus. Utcunque opinor non abs re fore, ſi paulò fuſiùs divinæ puritatis tentemus vindicias. Quapropter ut ſupremi numinis Sanctitas ab intentato vindicetur crimine, perpendenda eſt tota providentiæ ſeries circa peccatum. In primordiis rerum hominem condidit Deus habituali juſtitiâ ornatum, nec non viribus ex omni parte paribus officio, quod Lex poſtulabat. Cùm tentatio ei in hunc modum munito oblata eſſet, placuit Deo permittere non

morali

morali permissione, verùm physicâ, ut Satanæ illecebris vinceretur. Permisit, h. e. non impedivit efficaciter, sc. determinando animam vi omnipotente in partem contrariam: sed passus est eam juxta liberi arbitrii indolem agere, & tandem à perfectionis statu se deturbare, & penitus excidere. Statu instituto in hunc modum in destitutum mutato, duplex evasit peccatum; habituale, & actuale. Habituale Deus permittit non sanando animam, vel non removendo potenti Spiritûs influxu labem hæreditariam. Actuale, quoad actus elicitos, non corrigendo depravatam dispositionem, quâ voluntas redditur propensa ad malum concupiscendum: quoad actus imperatos, non objiciendo efficax obstaculum sive physicum, sive morale per quod stare potest, quo minùs voluntas sui voti compos evadat. In statu restituto Deus permittit peccatum, in quantum non expellit omnes ejus reliquias. Non constituit regenitum in statu ab omni tentatione immuni: tentationibus denique oblatis, non efficaciter excitat gratiam internam, ut tentamen superet, & victoriam reportet. Permissio ad hunc modum delineata, satis luculenter declarat Deum non esse peccati causam. Qui permittit, sicut non impedit, ità nec efficit. Permittere est medium negationis inter efficere & impedire. Permissio humanam non labefactat libertatem: verùm hominem ad agendum relinquit pro libitu juxta liberi arbitrii genium. Etiamsi homini vitio vertatur, penès quem est impedire malum, quod fieri permittit: tamen multò aliter est, si Deum spectemus, cui summum competit in omnia Dominium, qui legibus non devincitur, quibus nobis parendum est, qui ex malis bonum valet elicere, ex operibus tenebricosis gloriam suam reddere illustriorem. Cum iis, quos permittit, concurrit etiam (quod peculiare est permissioni divinæ:) siquidem,

cùm citra illius concursum creatura nihil queat agere, non permitteret, verùm impediret, modò suum non præberet concursum, qui est ex eorum numero, quæ juxta ordinem æternum ad agendum necessaria sunt. Verùm hic concursus fit cum voluntate ad actionem solam, quatenus est actio, non quatenus vitiosa est. Sicut enim cùm duo equi eundem currum trahunt, sanus alter, alter claudus; sanus cum claudo concurrit ad tractionem, quatenus est actio: verùm non quatenus est actio deficiens. Motus currûs utrique attribuendus est: verùm defectus in motu in universum equo claudicanti.

Libero arbitrio ità se habente, non indè bene infertur, quasi actum esset de dominio Dei in voluntatem humanam. Rebus enim sic stantibus, penès Deum remanet potestas determinandi voluntatem ad agendum, vel impediendi ne agat, vel permittendi, ut agat, vel non agat: quorum postremum cùm efficiat, imperium in voluntatem non abjicit; verùm in ordinanda ad suam ipsius gloriam malitia (ad quam præ sanctitate naturæ nequit concurrere) non contemnendum dominii specimen exhibet. Idcirco non rectè suggeris hanc Aristotelicam doctrinam [quòd voluntas sit Causa volendi] receptam fuisse à Scholasticis, ut dominio Dei in voluntatem humanam sublato, liberum statueretur arbitrium: Cùm ex prædictis facile sit videre liberum arbitrium & dominium in concordiam adduci posse. Non imperitè faciunt Scholastici, cùm, ut primatum Dei in agendo cum libero arbitrio non confligere demonstrent, ad distinctionem confugiunt inter actum & actûs incongruitatem, statuentes prioris Deum causam esse, posterioris verò negantes. Imò sic salvus est Dei primatus. In omnibus enim Deus est prima causa efficiens, non prima deficiens. Actus est effectus: ἀνομία est defectus. Defectus

fectus nullam postulat causam præter deficientem. Illustratio petita à duabus lineis ad subruendum hoc Scholasticorum Asylum mihi videtur prorsus inepta. A ratione penitus abhorret, si quis solus duas lineas ducens rectam alteram, alteram curvam, ambas se fecisse diceret: verùm ab alio factam incongruitatem. In re, quam præ manibus habemus, multò aliter est. Legem Deus solus condidit, quam rectæ lineæ assimilas: verùm Deus solus non præstat factum, quod assimilas curvæ, sed Deus unà cum homine. Si ad ducendam lineam duo simul concurrerent, alter manu inconcussâ, alter tremulâ: quamvis ambo sint lineæ causæ, tamen curvitas manui tremulæ in solidum ascribenda est. Neminem in admirationem trahere debet, si duobus ad eundem actum concurrentibus, alter sit actûs causa, alter incongruitatis sive inordinationis, cùm revera nunquam non distinguantur. Actus, qui incongruus est, non est ipsa incongruitas. Nihil de eodem finito dicitur & in abstracto & in concreto. Quinetiam actus positivam habet naturam, incongruitas privativam. Ens positivum & ens privativum non formaliter conveniunt. Quemadmodum semper distinguuntur, ità aliquando separantur. Ut, exempli gratiâ, hominem interficere est actus. Si quis inter venandum alicui occurreret pelle ferinâ induto, eúmque interficeret, feram esse existimans, actus esset seorsim ab incongruitate divulsus. Lex enim interdicit, ne quis alium scienter privatæ vindictæ causâ, vel aliquo alio fine interficiat à lege non approbato. Id muneris, quod forma peragit in re physica, præstat finis plerumque in re morali. Verùm cùm voluntas circa malum propositum versetur, Deus nunquam ità concurrit, ut sibi eundem præfigat finem, ad quem collimat voluntas. Ad unam metam collineat Deus: voluntas ad aliam. Quemadmodum cùm duo simul

eundem arcum trahentes ad diversum colliment scopum.

Scholastici nullas gratias tibi habituri sunt de subtilitate, quam eos docuisti. Asseris enim, si subtiles fuissent, differentiam inter causam facti & authorem facilè invenissent. Et inficiaris equidem Deum peccati authorem esse, quippe neminem jubentem quicquam contra leges facere ; verùm causam esse concedis, quippe quòd quæ facimus, viribus à Deo datis omnia facimus. Stupenda equidem est hæc subtilitas, quæ nos in crassissimam ducit blasphemiam. Non diffitendum est, quæ facimus viribus à Deo indultis præstari in genere boni, verùm non in genere mali. Malum sive peccatum, utpote defectus, non viribus sed imbecillitati suam acceptam fert originem. In statu destituto fons peccati est hæreditaria naturæ labes. Hæc labes ex Adami lapsu emersit. Lapsus quoad opus externum ex interna animi defectione. Hujus defectionis nulla est causa in genere physico, præterquam voluntas, verùm non quatenus efficit, sed quatenus deficit, & ab ordine à Deo instituto deflectit. Ad standum viribus opus est : verùm non ad cadendum. Etenim præ virium defectu labimur. Apage id genus subtilitates, quæ immaculatam supremi numinis naturam peccati labe aspergunt. Deum peccati authorem negas. Verùm Causam asseris efficientem sc. cujus vi res est. Si Deus Causa sit, necesse est, ut velit peccatum. Si peccatum velit, vult etiam recessum ab illo ordine, quem stabilitum dedit æterna sapientia. Si recessus iste non displiceat, non magni æstimatur ordo. Verùm hic ordo nequit insuper haberi, utpote congruus summæ bonitati, quam non potest non unicè deperire. Bonitas divina, utpote summa, summo diligitur amore. Porrò si Deus in causa sit, quare peccetur, splendori divinæ justitiæ nubes

nubes densissima obducitur. Ex qua re pœnas exigit? cur ad luendum delictum damnatur genus humanum?

Responde mihi, qui sic rogas, cur Deus ab æterno alios elegit, alios reprobavit, & quomodo ad pœnas æternas maximásque condemnavit eos, qui malum nondum aut fecerant aut cogitaverant, nec (nisi Deo volente & vim præbente) facere & cogitare potuerunt? Responde etiam an figulo de vase, quod finxit, non sit licitum statuere quicquid vult. Judica denique ubi Scripturæ aperte dicunt, omnes illos, qui à regno Dei excluduntur, victuros esse sine morte cruciandos in æternum. c. 46. p. 322. *H.*

Non diffitendum est, Deum alios elegisse, reprobâsse alios: verùm non inde concludendum est, Deum in hisce actibus perinde fecisse, atque faceret, si nos ad luendum impelleret peccatum, cujus ipse causa est. Reprobatio est actus dominii: punitio verò actus judicii. Dominus pro suo agat beneplacito: verùm judex nunquam non respicit demeritum illius, qui pro tribunali sistitur. Reprobatio non facit peccatum, sed invenit: verùm punitio, qualis à te agnoscitur, supponit peccati punitorem non invenisse, sed fecisse peccatum, quod ipse punit. Ut hæc omnia fiant apertiora, series decretorum divinorum perpendenda est. Deus ab æterno statuit gloriam suam per mundi creationem patefacere. Inter creationis opera hominem condere decrevit; hominem conditum viribus instruere ex omni parte paribus officio; hominem ità instructum permittere ut agat pro arbitrii indole, & tandem labatur; ex statu lapso aliquos erigere, & per gratiam efficacem à Christo mediatore derivandam ad gloriam perducere: Aliis verò non eandem præparare gratiam, sed præterire. Præteritio hæc reprobatio nuncupatur, quæ *T.*

si comparativè sumatur cum respectu ad alios eodem involutos reatu, est dominii actus, & non facit, sed invenit peccatum: (supponit enim genus humanum è puritate primitiva excidisse, & in massam corruptam esse deturbatum) nec efficit, ut deteriores fiant reprobi, aut impediantur ab usu mediorum, quibus meliores evadant. Etiamsi idem auxilii gradus illis non conceditur, qui indulgetur electis: tamen plus virium communicatum habent, quàm ad suam salutem promovendam revera impendunt. Hæc præteritio multùm admodum est consentanea providentiæ, quæ singulis in conspectum datur. Beneficia magis eximia aliquot gentibus, quàm aliis indulta sunt. Deo olim visum fuit cum populo Judaico pactum inire, eum lege cœlitùs demissâ dignari, aliis nationibus circumcirca pari gratiâ non donatis. Vestigium præteritionis æternæ haud obscurum in hac providentia palàm conspicitur.

Ex hisce liquidò constat, etiamsi Deus ab æterno alios elegerit, alios reprobaverit; tamen non indè sequi, illum pari ratione peccatum punire posse, cujus ipse causa est. Quod insuper innuis, quasi Deus ad pœnas condemnaret eos, qui malum nondum aut fecerant, aut cogitaverant, nec (nisi Deo volente & vim præbente) facere & cogitare potuerunt; veritati prorsus dissonum est. Quemadmodum enim justificatio in tempore peragitur, & fidem postulat præcedentem: ità etiam condemnatio & antecedentem itidem requirit infidelitatem. Si cùm condemnationem commemores, decretum solum ad damnandum habeas in animo: Regero, etiamsi agnosceretur decretum absolutum ad damnationem; tamen minimè concedendum est decretum ad damnationem absolutam. Deus neminem decrevit damnare, nisi propter peccata, quæ prævidit eum fore perpetraturum.

Non

Non verè à te innuitur, peccata illa fieri non posse, nisi Deo volente, & vim præbente. Nulla voluntas ex parte Dei præterquam permissiva requiritur: neque ulla omnino vis postulatur. Viribus non opus est ad cadendum. Labimur toties quoties à nobis peccatum est, & lapsus non à robore, sed ab imbecillitate exoritur. Etiamsi figulo de vase, quod finxit, licitum sit statuere quicquid vult; tamen non indè rectè infertur, Deum posse punire peccatum, quod ipse efficit. Figulus, cùm de vase statuat, domini partes sibi assumit: verùm Deus in punitione peccati judicem induit. Judici fas non est id agere, quod justitiæ normam infringit. Postulat æternæ justitiæ amussis, ut culpa sit, ubi pœna infligitur: verùm nihil nobis vitio vertendum est, si vi à Deo præbitâ ad peccandum impellamur. Quod novissimo loco postulas, (nimirum ut indicetur, ubi Scriptura asserit eos, qui à regno cœlesti excludentur, esse cruciandos in æternum) id suprà præstitum est, quò te remittimus.

Nisi voluntas Dei necessitatem voluntati humanæ imponeret, & per consequens actionibus omnibus ab ea dependentibus, libertas voluntatis humanæ omnipotentiam & omniscientiam & libertatem Dei tolleret. c. 21. p. 105. *H.*

Memoriâ recolendum est, de actibus malis litem institui. Etiamsi in iis exerendis nulla voluntati imposita sit necessitas; tamen nequaquam indè sequitur, tolli omnipotentiam, omniscientiam, & libertatem divinam. *T.*

1. Libertas humana non subruit Omnipotentiam. Omnipotens est, qui potest omnia, quæ perfectionem resipiunt. Actus peccaminosus defectus est. Posse defectum producere non est potentiæ indicium, sed impotentiæ, multò minùs omnipotentiæ.

Si

Si sarta tecta conservari nequeat Omnipotentia nisi ad peccatum extendatur; perinde concludas idem Deo adimendum esse attributum, quippe suam ipsius essentiam nequit subruere. Quandoquidem in pacem cum sanctitate divinæ essentiæ nequit adduci, ut ad peccati productionem vel tantillum conferat.

2. Non Omniscientiam. Varii sunt modi, quos excogitârunt Theologi ad reconciliandam cum libertate peccati præscientiam. Sunt, qui dicunt Deum suam ipsius essentiam intelligendo bona omnia intelligere, & bona intelligendo, etiam & mala, utpote bonorum privationes; sicut enim per lumen nobis innotescunt tenebræ. Non desunt etiam, qui opinantur Deum omnia præscire tum bona tum mala in æternitate sua, quatenus ea, quæ tota simul est, actualem omnium comprehendit existentiam. Alii præscientiæ mali fundamentum in voluntate divina situm existimant, non quidem efficaci, sed permissivâ. Non enim eveniret peccatum, nisi Deus permitteret. Et in statu destituto, ubi voluntas ad malum propensa est, si Deus peccatum omne præter unum impediat, citra negotium prævidebitur, voluntatem, utpote quæ omni actu nequeat supersedere, illud commissuram fore. Verùm cùm de statu loquantur instituto, ubi in meliorem partem propendebat voluntas, in salebris hærent.

Non anxiè disquirendum opinamur, cui harum opinionum sit accedendum. Ex fide enim constat voluntatem in peccando liberam esse: & perinde perspicuum est Deum præscire, quid voluntas in omnibus circumstantiis sit factura. Si compertum nobis non sit, quo pacto inter hæc concilietur concordia; non indè fas est concludere denegandam esse Deo præscientiam, aut voluntati libertatem. Hoc unicè inferre nobis licet, scilicet intellectum humanum finitum &

nimis

nimis angustum imperverstigabiles Dei semitas assequi non posse; quod rationi perquam consentaneum est.

3. Non libertatem divinam. Licèt libera sit voluntas humana: tamen Deus suâ fruitur libertate, 1. Conservando eam. Pati enim potest, ut in nihilum relabatur. 2. Gubernando. Ad ejus enim indolem suum attemperat concursum. Quandoque impedit, aliquoties permittit. Nunquam non actus liberrimos ità disponit & ordinat; ut ex veneno mel, ex tenebris lux, & ex malo bonum emergat.

FINIS.

ERRATA.

IN Exercitatione p. 9. l. 15. leg. *Ps.* 19. p. 10. l. 22. l. *Beroeensibus*, p. 13. l. 21. l. 1 *Thess.* 5. 27. ibid. l. 26. l. *Apoc. c.* 1. *v.* 3. ibid. l. 30. pro *id* l. *in*, p. 22. l. 17. l. *Theodoretus*, p. 24. l. 10. l. *prædictum*, p. 48. l. 34. l. *molimenti*, p. 57. l. 22. l. *Sidon?* p. 60. l. 6. l. *Photini*, p. 72. l. 24. l. *Es.* 38. p. 84. l. 23. l. *disquisitionem.*

In Idea p. 3. l. 23. l. *resipiunt*, p. 12. marg. l. *eis*, p. 19. l. 2. l. *proclivitas*, p. 22. l. 34. pro *tertia* l. *tria*, p. 24. l. 5. l. *de reliquis*, p. 36. l. 32. l. *ἀδυνασίας*, p. 38. l. 10. l. *διανοήσεως*, p. 44. l. 25. l. *dictam*, p. 54. l. 6. l. *ἀνεῖδες*, p. 54. marg. l. 46. *Ludg.* p. 57. l. 12. l. *nascimur*, p. 57. l. 16. l. *erant*, p. 62. l. 17. l. *dediderant*, p. 73. l. 12. l. *primigenia*, p. 76. l. 17. pro *sic* l. *si*, p. 77. l. 13. l. *induis*, p. 87. l. 35. l. *revolvere*, p. 89. l. 5. l. *patris*, p. 101. l. 12. *T.* deest in marg. p. 108. l. 13. l. *hac*, ibid. l. 27, 28. dele comma post *ut*, & insere post *Marte*, p. 115. l. 8. l. *stabilitam*, ibid. l. 17. l. *primo*, ibid. l. 35. l. *Cairum*, p. 122. marg. l. *Jo.* 10. 41. p. 125. l. 28. dele *Jer.* 15. 11. & insere *Ezek.* 21. 20. p. 133. l. 9. l. *Ps.* 34. 7. p. 136. marg. l. *Joseph. l.* 18. *c.* 2. p. 141. l. 23. l. *Christus*, p. 143. l. 8. l. *Luc.* 1. 33. p. 149. l. 19. l. 2 *Cor.* p. 157. l. 21. l. *nunquam*, p. 158. l. 1. l. *Lev. c.* 38. p. 160. l. 29. l. *ἐν ἀδῃ*, p. 169. l. 3. l. *zophar*, ibid. l. 32. l. *Silius*, p. 170. l. 18. pro *verba* l. *omnia*, p. 194. l. 18. l. *amplexi essent*, p. 195. l. 14. l. 1 *Tim.* 6. 14. ibid. l. 23. l. *legibus*, p. 196. marg. *H.* deest, p. 197. l. 34. l. *unus*, p. 204. l. 5. l. *Lev. c.* 42. p. 205. l. 6. l. *ἀπεκαλύπτου*, p. 206. l. 14. l. *inde*, p. 222. l. 7. l. *seditio*, p. 227. l. 28. l. *δεσχυλιῳ*, p. 241. marg. l. *Luc.* 12. 14. p. 255. l. 32. l. *Heb.* 12. p. 258. marg. l. *prælec.* p. 273. l. 16. l. *illud*, p. 288. marg. *T.* deest, p. 290. l. 2. l. 1 *Thess.* 5. 27. p. 303. l. 22. l. *Tavoupinambaultii*, p. 308. l. 29. l. *tulit*, p. 309. l. 32. l. האלהים ibid. l. 34. l. ולראות p. 311. l. 34. l. *resurrexerit*, p. 314. l. 28. l. *æternam*, p. 319. l. 28. l. *incorporea, quàm corporea*, p. 326. marg. l. *Polym.* p. 328. l. 11. l. *imaginationibus*, p. 329. l. 21. l. *Lev. c.* 8. *v.* 39. p. 350. l. 16. l. *cæspitet*, ibid. l. 23. l. *convertibilis*, p. 355. l. 34. l. *quem*, p. 358. l. 17. l. *insimulandas*, p. 359. l. 14. l. *Judæorum*, p. 366. l. 13. pro *hinc* l. *huic*, p. 367. l. 35. l. *Fiebertus.*

Per loci intercapedinem mihi non licuit specimina examinare singularum schedarum, antequam Typographus ultimam manum eis imposuisset. Exorandus itaque est Lector, ut candoris sui exhibeat specimen, ut in his, ità in aliis (quotquot sunt qui inter legendum occurrant) erroribus emendandis.

Books sold by *W. Morden*, Bookseller in *Cambridge*.

DR. Henry Mores Philosophical Collections, *Fol.*

Mystery of Godliness, *Fol.*

Mystery of Iniquity, *Fol.*

Enchiridion Metaphysicum, *Lat.* 4°. cum *Fig.*

Enchiridion Ethicum, *Lat.* 8°.

Divine Dialogues, in 2 *Vol.* 8°.

His Epistles to the 7 Churches, with an Antidote against Idolatry, 8°.

Introductio ad Cartesium, 8°.

Observations on Antroposophia Theomagica.

Origenes contra Celsum; Ejusdem Philocalia, cum Ann. Gulielmi Spenceri, 4°. *G. L.*

Scheyneri Fundamenta Optica, 4°.

Officium Concionatorium, 4°.

Glisseni de Natura Substantia, 4°.

Cartesii Epistolæ, 4°.

Casaubons Letter against Royal Society, 4°.

Smiths select Discourses, 4°.

Bythneri Psal. 4°.

Origens Letter of Resolution concerning the chief of his Opinions, 4°.

Warrens

Warrens no Præexistence, 4°.
Godmans Sermon, 4°.
Epicteti Enchiridion cum Cebetis Tabula. Accesserunt Simplicii & Arriani Comment. *G. L.* 8°.
Gassendi Astronomia; Cui accessere Galilæi Galilæi Nuncius Sidereus & Kepleri Dioptrice, 8°.
Billingsly's Idea of Arithmetick, 8°.
Rami Logica cum Comment. Amesii, 8°.
Ray's Collection of English and Scotch Proverbs, 8°.
Angelini Gazæi Pia Hilaria. Accessit Tomus alter cum Indice Philologico, 12°.
Deuarius de Particulis Linguæ Græcæ, 12°.
Dr. Collets Life written by Erasmus, with his Sermon of Conforming and Reforming written 150 Years since, in 8°.

IDEA
THEOLOGIÆ
Leviathanis:

In quâ proponuntur,

I. *Leviathanis Dogmata.*
II. *Dogmatum Defensio ab Authore.*
III. *Defensionis Examen.*

CUI PRÆMITTITUR
EXERCITATIO THEOLOGICA
de *SACRO CANONE*, ad quem prædicta
THEOLOGIA expenditur.



AUTHORE
JOHANNE TEMPLER,
S. T. D.

LONDINI,
Typis E. FLESHER, Impensis G. MORDEN
Bibliopolæ Cantabr. M DC LXXIII.



ILLUSTRISSIMIS,
NOBILISSIMIS,
HONORATISSIMISQUE
GUBERNATORIBUS
Domus Carthuſianæ, Hoſpitii
Sereniſſimi REGIS JACOBI,
Humillimo rogatu, & unicis
THOMÆ SUTTON
ARMIGERI Impendiis
fundati,

Patronis ſuis longè colendiſſimis
EXERCITATIONES haſce
in perpetuum Gratitudinis &
Obſequii Teſtimonium
Sacras voluit,

J. T.

ILLUSTRISSIMIS,

NOBILISSIMIS,

HONORATISSIMISQUE

GUBERNATORIBUS

Domus Carthusianæ, Hospitii
Serenissimi REGIS JACOBI,
Humillimo rogatu, & unicis
THOMÆ SUTTON
ARMIGERI Impendiis
fundati,

Patronis suis longè colendissimis
EXERCITATIONES hasce
in perpetuum Gratitudinis &
Obsequii Testimonium
Sacras volunt,

J. T.

AD LECTOREM.

Exercitationes hasce tuæ subjicio censuræ, quarum prima in asserenda voluminis sacri dignitate tota occupatur. Eò lubentiùs inductus fui in hac palæstra dimicare, quò magìs undique impetita conspexerim divina Oracula, non modò asperâ Esavi manu, verùm etiam glabrâ Jacobi. Cum Dei verbo literis mandato perinde agitur, atque olim cum essentiali. Proditur enim à suis ipsius discipulis. Liber Davidicus ipsi similiter Davidi, hanc effundat querelam; Vir colens pacem mecum, in quo confidebam, comedens panem mecum, sustulit adversùs me calcem. *Etenim adversùs paginam sacram non solùm insurrexêre Pontificii, de quorum amicitia nè vel in minimam spem erigamur: verùm etiam aliquot,*

inquiramus, an Autographis congruant exemplaria. Hoc enim scire plurimùm nostra interest; ut si, scrutinio facto, constiterit ea non concordare, aliam investigemus regulam, ad quam fidem morésque nostros componamus. Nec ambigere oportet, an quandoque disponi non possit intellectus ad naturæ humanæ indolem. In objecto denique tantum elucet evidentiæ, quantum patitur illius natura. Quod latebit neminem qui hæc quatuor intento animo pensitat.

1. *Universalem Ecclesiæ traditionem, unam eandémque autoritatem per omnia secula Apographis tribuentem, quam libri Prophetici Apostolicique manu exarati sibi vendicarent, si in hunc diem perstitissent.*

2. *Providentiam divinam. Supra enim demonstratum est, Deum in animo habuisse, ut Scriptura Ecclesiæ sit amussis per omnia secula usque ad mundi periodum. Itaque fine excidet, nisi eò usque invigilaverit, ut in rebus maximi momenti non aberrent Librarii.*

3. *Characteres internos. Prius patefecimus verbum revelatum perquam necessarium esse. In necessariis autem suæ non deesse solet Deus Ecclesiæ. Quinetiam non dubium est, quin viam divina elegerit sapientia ad conservandum hoc verbum convenientissimam. Huic proposito maximè quadrat scriptura. Nulla autem est scriptura, in qua reperti sunt tot divinitatis characteres quot in exemplaribus hodiernis. Itaque complectantur necesse est verbum Dei revelatum, ipsisque congruant Autographis.*

4. *Curam Librariorum in Bibliis describendis. Quantùm ad Vetus Testamentum, liquidò constat Hebræos ad miraculum & stuporem fuisse industrios. Illis enim longè optatius erat fata subire tristissima, quàm ultrò permittere, ut minimus interiret apiculus. Indè fuit, quòd in numerato haberent librorum singulorum versus, voces, literas, medietates. Totam legem memoriter tenebant quamplurimi. Ad curam hanc vinculis*

culis fuêre obstricti arctissimis. Nulla enim sunt invitamenta ad studium & diligentiam fortiora, quàm utilitas & honor: quæ duo apud Hebræos ex hujusce monumenti conservatione plurimùm pendebant, in quo patres eorum majoresque omnes nominatim habentur, nec non jus divinum ad Terram melle lactéque abundantem.

Quantùm ad Novum Testamentum, liquebit, curam adhibitam fuisse non disparem, si in memoriam revocemus tribus primis Centuriis multa Christianorum millia Christi fidem sanguine suo signâsse. Si autem apud illos tanti erat, ut pro ea animam profundere non reformidarent, sine dubio nihil illis charius fuit antiquitùsque Novo Testamento, quippe monumento unico cælitùs dato in quo completa est hæc doctrina. Si autem Testamentum novum tanti ducebant, extra dubium est illos in eo describendo summam adhibuisse diligentiam.

Hujusce curæ specimen nobis exhibent antiqua κεφάλαια in quæ divisi sunt Codices, quibusque rerum argumenta, alia ab aliis distinguuntur, nec non τίτλοι, sive sectiones minores, in quas divisa sunt κεφάλαια: deinde Canones juxta sectiones minores, ad concordantias Evangeliorum faciliùs inveniendas: vocum denique singularum enumeratio, ubi patet ex calce versionis Æthiopicæ. Si quis de industria prima exemplaria depravare conatus fuisset, tentamen irritum fecissent ipsa Autographa & Versiones. Tertullianus seculo post Christum tertio ad Codices provocat Originales. Quinetiam adornatæ fuêre versiones quamplurimæ, perque totum disseminatæ imperium. Omnes simul corrumpi non potuerunt, mendáque in unam earum primùm introducta reliquarum ope facilè apparuerit. Exemplaria hodierna cum primis congruere abunde liquet ex testimoniis apud Antiquos è Scriptura petitis, inter quæ nostrósque Codices summa est convenientia.

Nullâ hujusce sortis rei major competere potest evidentia,

Lex de furibus apud Ægyptios ibid.
τὸ λῃςεύειν in honore apud Græcos, significat militis fortissimi partes agere ib.
Duella apud æquos Arbitros non honorifica 30.

Dogma 3.

Deus est corpus 31.
Corporalitas cum attributis divinis minimè consistit 32.
Respondetur testimonio ex Tertulliano 35.
Patres uno ore pronunciant Deum esse incorporeum 36.
Si vox, *incorporeum*, non sit in Scriptura, tamen res inibi centies ibid.
Deum esse incorporeum patet ex Symbolo Nicæno 37.
Crimen Atheismi verbis Damasceni minimè impingendum 38.
Nescit H. ubi peden sistat, cum inficietur Spiritum 39.
Natura Spiritûs intellectu perinde facilis, ac natura Corporis 41.
Significationes vocis, *Spiritus*, in Scriptura 42.
Spiritus tertiam significat Trinitatis personam ibid.

Dogma 4.

Religionis Semen naturale consistit in metu spirituum, ignorantiâ causarum secundarum, cultu eorum quæ timemus, & sumptione fortuitorum pro Prognosticis 46.
Religio pro actibus sumitur cultûs divini 47.
Actus cultûs emergunt è cognitione Numinis ibid.
Cognitio hæc lumini duplici originem suam refert acceptam ibid.
Gentium omnium consensus de existentia Numinis 50.
Sententia Hobbii de religionis Semine examinatur 51.
Origo Ethnicæ Religionis 54.

Dogma 5.

Status naturæ est status Belli 55.
Triplex naturæ status ib.
Lis est de statu instituto ib.
Statu institutus non status Belli 56.
Fundamenta adversæ sententiæ convulsa 58.
In bello nonnulla injusta 62.
Officia charitatis mutua æternâ lege fundantur ib.
Mittitur H. ad formicas, ut discat naturæ statum 63.
Occurritur ejus responsis 64.

Dogma 6.

Unicuique jus esse omnibus viis & modis seipsum conservandi, juris naturalis summa est 65.
Dogmatis explicatio 66.
Lex naturæ non unicè spectat ad vitæ conservationem 67.
Contraria sententia tum Deo tum

tum homini multùm admodum infesta ibid.
Fatetur H. ratiocinationem esse speciosam 69.
Diluitur Responsum 70.
Ratio primigenia præstandi promissa, & parendi ex pacto summæ potestati 73.

Dogma 7.

Statûs humani post mortem nulla est scientia 74.
Post mortem duplex status ibid.
In utriusque scientiam ducimur lumine naturæ 75.
H. non solum omnem scientiam statûs humani post mortem, verùm etiam omnem tollit fidem ib.
Vera fidei basis ibid.

Dogma 8.

Moses est prima persona in Sacrosanctâ Trinitate 76.
Hobbius errorem suum fatetur ibid.
Dum ex uno elabitur errore, alio se induit 77.
Personalitati Patris, Filii & Sp. Sancti adimit æternitatem ibid.
Definitio personæ apud H. neque Ecclesiæ, neque fori, neque theatri authoritate signatur ibid.
Potestas pro suo loquendi arbitrio Ecclesiæ perinde indulgenda, atque theatro aut foro 78.
H. eâ laborat insaniâ, cuju insimulat Scholasticos 79.
In dubio est, an *persona* sit vox latina 80.
Apud Theologos persona ὑφιστάμενον νοερὸν ibid.
Qui utuntur pro persona voce, *hypostasis*, non faciunt pro tribus personis tres Deos 81.
Dissidium inter Græcos, & Latinos, de voce *hypostasis* ibid.
Synodus Alexandrina arbitrum induebat ibid.
A tempore Concilii discriminatim usurpantur οὐσία & ὑπόστασις 82.
Apud Ciceronem persona significat substantiam singularem intelligentem 83.
πρόσωπον idem quandoque significat ibid.
ὑπόστασις in N. Testamento & οὐσία distinguuntur ibid.
H. imitatur Hæreticos, qui scripturæ phrases æmulabantur, eadem quidem loquentes, non eadem sentientes ibid.

Dogma 9.

Si multi homines contra Civitatis potestatem Summam crimen aliquod commiserint capitale, propter quod nisi se defendant, exspectant mortem, habent libertatem, junctis viribus, se mutuò defendendi 84.
Dogma hoc Civitatis fundamenta

menta convellit, bellum facit in se utrinque justum, id licitum declarat, quo divinæ resistitur ordinationi, adversatur Christi Exemplo, & praxi veterum Christianorum 85.
H. in votis habet, ut Leviathan in manus alicujus Principis incidat 86.
Quatuor propugnat, quæ omnis imperii incidunt nervos 87.

Dogma 10.

Docendi potestas in Ministris à Magistratu solo immediatè derivatur 88.
Ecclesia legitimis Ministris donata ante Monarcharum conversionem ibid.
Reges Ecclesiæ Patres, non qui generant, sed qui succo alunt nutricio ibid.
Potestas docendi, quæ est immediatè à Christo, quantùm ad exercitium, plurimùm pendet à Magistratu 89.

Dogma 11.

Consilium Dei in Sacris literis differt à præcepto 89.
A præcepto diversum esse potest hominis consilium, non Dei 90.
Hæc verba, *vende omnia*, &c. particulare continent præceptum juveni datum ibid.
Mandati explicatio 91.
Consilium divinum versatur circa bonum, bonum omne tendit ad perfectionem, quod eò spectat, imperatur 92.

Dogma 12.

Cives omnes obligantur pro lege divina habere, quicquid à lege Civili pro lege divina declaratur 92.
Methodus, quâ utendum, ut sciatur, quæ lex sit divina 93.
Miracula veritatis Sigilla 94.
Miraculorum notitia per universalem traditionem ib.
Neutiquam pugnant juberi, & fieri à Deo 96.
Magistratus donis sæpenumerò ornatur præcellentissimis, tamen extra erroris aleam non positus 98.

Dogma 13.

Sententia eorum, qui motus animi primos peccata esse aiunt, nimis severa esse videtur 99.
Motus animi ad triplicem classem reducuntur 99.
Decimi præcepti explicatio 100.
Summoperè collimat ad motus, qui titillant animum, ubi nullum est desiderium parandi rem expetitam per vim aut dolum ibid.

Dogma 14.

Hæc doctrina [quicquid facit Civis

Civis contra conſcientiam ſuam peccatum eſt] eſt ſeditioſa 101.
Conſcientia operam vicariam Deo impendit ibid.
Apoſtolus, qui od obediendum hortatur, pronunciat omne quod non eſt ex fide, eſſe peccatum 102.
Conſtantius Conſtantini M. pater in optimorum ſubditorum album cooptabat, qui contra imperium ſimulachris immolare recuſaverant ibid.
Publica lex non pro conſcientia habenda 103.

Dogma 15.

Quilibet Civis privatus non eſt judex bonarum & malarum actionum 105.
Triplex Judex ib.
Privato judicio utebantur tres Adoleſcentes, Daniel, Petrus, & Joannes 106.
Civitati nullum damnum ex hac doctrina ib.

Dogma 16.

Fides & ſanctitas non naturaliter infunduntur, ſed acquiruntur ſtudio & ratione 107.
Scripturæ repugnat hoc Dogma ibid.
Rationi 108.
Conſenſui Eccleſiæ 109
Hobbius ſibi non conſtat 111.
Defenſio ad calculos vocatur 112.

Dogma 17.

Regnum & Dominium potentiæ naturaliter adhærent 112.
Quatuor argumenta adversùs Dogma 113.
Hobbii ratio nullius ponderis ibid.
Primitivus naturæ ſtatus protinus à creatione 114.
à diluvio 115.
Veteris conſuetudinis uſque adhuc remanent veſtigia in vocibus, *Vicus*, *Pagus*, *Oppidum*, *urbs* 116.
Victoriâ comparatur idoneitas, jus ad regnandum populi conſenſu conſummatur 117.

Dogma 18.

Miraculorum operatio ſola non eſt ſufficiens nota veri Prophetæ 118.
Miraculum opus vires ſuperans naturæ ibid.
Operibus hujuſmodi Deus ſolitus eſt fidem facere miſſioni Prophetarum 119.
Poteſtas miracula præſtandi nunquam Impoſtoribus conceſſa ibid.
Proſpectum eſt, ut à fictitiis vera dignoſcantur miracula ibid.
Miraculorum characteribus ſignatorum operatio ſola eſt nota ſufficiens veri prophetæ 120.

In-

Intelligenda Mosis verba Deut. 13. de Prophetis secundariis. ibid.
Incongruè dicit H. Deum pati, ut fiat miraculum 121.
Citra miracula innotuit olim Prophetarum quamplurimorum missio 122.
Explicatur Deut. 18. 22. ib.

Dogma 19.

Literæ sacræ non sunt adeò antiquæ, ac communiter existimantur 123.
A Mose scriptus Pentateuchus 123.
Versus octo novissimi à Josua 124.
Verba hæc, *Chananæus erat in terra*, explicantur ibid.
Quid Bella Domini contra Vahebum Num. 21. 14. 125.
Nihil dictum, quod à Mose dici non potuit ib.
Historiam Josuæ schedis repertam solutis ante excessum Josuæ, Samuel in ordinem redegit hodie conspiciendum 126.
Collegit Samuel librum Judicum & Ruth ex Annalibus apud Ecclesiam conservatis 127.
De Samuelis, Regum, Chronicorum libris 128.
Quid, *Usque in hunc diem* ibid.
Liber Jobi Historicus 129.
De tempore, quo scriptus Psal. 79. 130.

Dogma 20.

In veteri Testamento plerumque, si non semper, per Angelum Idea aliqua in phantasia excitata à Deo ad significandam præsentiam divinam in operatione ejus aliqua supernaturali denotatur 131.
Angeli non phantasmata in ventriculis cerebri genita 132.
Occurritur locis ab H. prolatis 134.
Duplex Angelus 135.
De Sadducæis 136.

Dogma 21.

In Testamento novo locus nullus invenitur, unde probari possit, Angelos esse res permanentes & simul incorporeas 136.
Permanentia Angelica 137.
Immaterialitas 138.
Substantia immaterialis igne potest torqueri 139.

Dogma 22.

Regnum Dei in scriptura nihil est nisi regnum Civile 139.
Regnum Dei in scriptura aliquid regno Civili longè præcellentius 142.
Sensus Commatis 23 capitis Es. 24. ibid.
H. videtur Judicem imitari apud

apud Eusebium, regnante Dioclesiano 144.

Dogma 23.

Locus, in quo homines vitâ æternâ perfruituri sunt, est in terra 145.
Mors duplex, duplex itidem vita 146
Paradisus, quid in scriptura ibid.
Respondetur textibus ab H. prolatis 147.
Locus Beatorum supra cœlum stellatum 148.
Explicatur Joan. 3. 13. 151.

Dogma 24.

Anima post mortem ante resurrectionem non extitura est 152.
Sententia hæc sacris adversatur oraculis 153.
Merces duplex 155.
Triplex animæ status 156.
ἀνάστασις statum significat animæ peculiarem protinus à morte 157.

Dogma 25.

Punitio reproborum in terris futura est 158.
Dogmati huic adversatur sacra pagina 159.
Judæorum traditiones 160.
Ethnicorum scripta 161.
Ecclesiæ Christianæ testimonia 162.
Vitâ functorum duo tantùm in sacris literis receptacula 164.
Corah à terra non absorptus 165.
Phrasis hæc, *descendere in Infernum*, originem suam non desumpsit ab Abirami & Dathanis pœna ibid.
Infernus non puteus infinitæ magnitudinis & profunditatis 166.
In cœtu רפאים quid 168.
Verba hæc, רפאים *sub aquis gemunt*, explicantur 169.
Locus reproborum non ideo significatur per ignem, quòd urbes Sodoma & Gomorrha igne essent consumptæ ibid.
Non patet, Infernum appellari tenebras exteriores à plaga Ægyptiaca 170.
Ignis infernalis non æternus dicitur propter ignem perpetuum in valle Hinnom ardentem ibid.
Quid *πυρὸς αἰωνίου δίκην ὑπέχειν* 171
Sententia Hobii de Inferno 172.

Dogma 26.

Punitio reproborum non est æterna 174.
Dogma hoc sacris adversatur literis ibid.
Impugnat rationem 175.
Menti Ecclesiæ Catholicæ oppositum est ibid.
Quid mors prima & mors secunda 177.

Eædem

Eædem Personæ in Inferno permansuræ in æternum 178
Nihil nimis durum, quod de Deo dictum in sacris literis 179.

Dogma 27.

Jerusalem erit locus salvationis fidelium in regno Cœlesti 180.
Vocis, *Hierusalem*, variæ significationes ibid.
Respondetur eis, quæ prolata ab *Es.* 33. 181.
Nec non, quæ à cap. *66.* 183.
Quid *salus ex Judæis* ibid.
Quid *ex fide in fidem* 184.
Explicantur Joelis & Obadiæ vaticinia 185.

Dogma 28.

Ecclesia est res eadem cum Civitate.
Regimen temporale & spirituale verba inania sunt 186.
Regimen spirituale à civili diversum in Novo testamento 187.
Patet { in genere 188. / in specie 189. }
Quid κυβερνήσεις & ἀντιλήψεις 190.
Regiminis modulum in Novo Test. in exemplum trahebant veteres Christiani 191.
Potestas Ecclesiastica non devoluta à Magistratu, nec assumpta per voluntariam confœderationem 192.
De Christianorum conventionibus ante tempora Constantini M. 192.
Celsi sententia ibid.
Origenis responsum 193.
Utriusque regiminis metæ ib.
Si collisio contigerit, quid faciendum 194.
Hobbius sibi contradicit ib.
Potestas Ecclesiastica ad Ministros pertinens, Regibus ad fidem conversis 195.
Imperium Ecclesiæ est Oeconomicum 197.
Duplex Christi mandatum, ad Ecclesiam plantandam alterum, alterum ad regendam ibid.
Officium Apostolorum non absolutè ministeriale ibid.
Prædicare auctoritatis actus 198.
Quid baptizari 200.
De clavibus Ecclesiæ 201.
Matt. 18. exponitur 204.
Cùm Incestuosus ab Ecclesia esset abigendus, judicium Apostolo soli tribuitur 205.
Excommunicatio ante captivitatem Babylonicam 207.
Excommunicatio doctrinæ causâ 208.
Excommunicationi competit vis obligatoria 211.
Ab excommunicatione damnum pati potest Civis Christianus 212.
De Scripturarum interprete 213.
Electio Apostoli non penès totam Ecclesiam 217.
Presbyteri electi ab Apostolis 218.
Electio Pastorum non per suffragia populi 220.
Dissidium inter Damasum & Ursinum 222.

Di-

Diaconi non electi à plebe Christiana 223.
Asseritur jus decimarum 226.
Duplex potestas ordinis, vel jurisdictionis 232.
Sententia Ecclesiæ 233.

Dogma 29.

A Mose usque ad Saulis tempora summa potestas mansit in summo sacerdote 234.
Mose fatis defuncto, ad Josuam delatum fuit summum Imperium 235.
Non patet Num. 27.21. mortuo Aarone, regnum ad Eleazarum pervenisse 236.

Dogma 30.

Regnum Christi ante resurrectionem non incepturum est 238.
Probatur Christi regnum incepisse protinus à morte 239.
Hobbii argumenta diluuntur 240.
Quid παλιγγενεσία Mat. 19.28. 242.
Verba hæc, *in tempore hoc restitues regnum?* exponuntur 243.
Quid *adveniat regnum tuum* in Oratione D. 244.

Dogma 31.

Christus venit, ut Deo patri per pactum novum restitueret regnum, quod à populo in electione Saulis rejectum est 245.
Regni Theocratici descriptio ante Saulis tempora 246.
Christus non venit ad regnum tale restituendum 247.
Respondetur textibus in Dogmatis patrociniū prolatis 248.

Dogma 32.

Si quis fidelis à Principe suo legitimo jubeatur dicere, se non credere in Christum, licitum est obedire 251.
Expugnatur Hobbii sententia 251.
Textus de Naamno in domo Rimmon explicatur 252.
Respondetur dilemmati de Mahometano 254.
De Martyribus ibid.
Martyres ante Messiæ resurrectionem 255.
H. sibi non constat 256.
De lapsis 257.

Dogma 33.

Novum Testamentū ante Constantinum Magnum non fuit lex, sed consilium tutum, quod unusquisque recipere & rejicere potuit sine injustitia 258.
Lex est regula subdito data à superiore authoritatem habente ibid.
Novum Testamentum ante Constantini tempora talis regula 259.
Definitio legis ab H. prolata ad calculos vocatur ibid.
Sciri potest, quæ leges sint divinæ, citra novam revelationem aut Magistratûs authoritatem 261.
Hobbii Dilemma 263.
Decalogus, quà à Mose traditus, spectat ad universam Ecclesiam tam Christianam quàm Judaicam 264.
Pœna non spectat ad legis essentiam 266.
Si spectaret, nihilominùs doctrina

ctrina Apostolica legis naturam induere potuisset ante Constantini tempora 268.
Decreto Concilii Hierosolymitani competit legis
Materia 269.
Forma 271.
Efficiens ibid.
Finis ibid.
Peccârunt, qui ante Constantini tempora Christi doctrinam recipere noluerunt 272.
In nullo Concilio post seculum Apostolicum Scripturæ sacræ sunt Canonicæ 274.
In authoritatem inquiritur Canonum Apostolicorum 275.
De Concilio Laodicensi 277.

Dogma 34.

Licitum est Regibus Christianis administrare Sacramenta, & totum munus sacerdotale exercere 278.
Interiora domûs ad Ministrum, exteriora spectant ad Magistratum 279.
Argumentum H. diluitur ibid.
Ecclesiæ sententia 280.
Ex jure judicandi utplurimum infertur idoneitas ad munus sacerdotale exercendum, non jus actuale 281.
Imperatores Ethnici quare dicti ποιμένες λαῶν 282.
Pastores quà tales subditi non vicarii 283.
Hobbius sibi valde diversus 284.
Praxis Solomonis extraordinaria in exemplum trahenda 285.
Cui potestas, ei competit exercitium 286.

Dogma 35.

Pastor supremus solus est, in quo fides subditorum determinari debet 287.
Fidei Christianæ proprietates 288.
Non competunt subditorum fidei, si resolvenda sit in Principis testimonium ibid.
Quæritur, an Christiani nunc dierum non audiant Deum nisi per Magistratum loquentem 289.

Dogma 36.

Unicus articulus, quem ad salutem æternam necessarium faciunt Scripturæ sacræ, hic est, quòd Jesus est Christus 291.
Doctrina fidei duplex 292.
Obligatio ad credendum plurimùm pendet ab auxiliis ibid.
Status Quæstionis ibid.
Demonstratur, plures requiri articulos 293.
Respondetur quinque Hobbii argumentis 294.
Qui tenet Jesum esse Christum, non omnia tenet, quæ indè deducenda sunt, sive vim illationis intelligit, sive non intelligit 296.

Dogma 37.

Anima non est suâ naturâ immortalis 297.
Quid Immortale naturâ ibid.
Anima humana est incorporea 298.
Materia nequit percipere 299.
Definire 300.
Dividere ibid.
Syllogismos componere 301.

In

. In methodum digerere ib.
Sentire se sentire ibid.
Memoriam rerum conservare 302.
Quod incorporeum immortale est 302.
Opinio de immortalitate animæ ortum suum non habuit à vocibus Scripturæ malè intellectis 303.
Mors sumitur pro vita in cruciatibus 304.
Anima in sacris literis aliquid præter vitam & creaturam viventem significat 305.
Quid ad Deum redire Eccl.12.7. 307.
Scopus Ecclesiasticis 309.
Quid Deo vivere 312.
Vox αἰώνιος, cùm applicetur ad punitionem reproborum, æternitatem non limitatam, sed absolutam denotat 314.
Sensus horum Verborum εἰς τοὺς αἰῶνας τῶν αἰώνων. 315.

Dogma 38.

Blasphemare in Spiritū Sanctū non impropriè dici potest blasphemare in Ecclesiam 316.
Refutatur Dogma 317.
Christi scopus Mat.12.32. ibid.
Quid Blasphemia in Spiritum Sanctum 318.

Dogma 39.

Dæmones non sunt res incorporeæ per se exsistentes, sed Idola cerebri 319.
Dæmones ὑφιστάμενα incorporea 320.
De Dæmonum exsistentia testimoniū perhibet sortilegiū 321.
Apparitiones 325.
Obsessiones 328.
Dæmonologia 332.
Hebræorum Dæmonologia non à Græcorum scriptis 334.
Christus non solùm asserit spiritus esse, verùm etiam incorporeos 335.
Quid σῶμα πνευματικὸν 336.
Christus ductus in desertum & in montem positus reipsa, & non κατὰ φαντασίαν 337.

Dogma 40.

*S*cholæ hactenus inutiles fuere 340.
Artium Origo sermoni ferè coæva 341.
Chaldæorum & Ægyptiorum Sacerdotes & Persiæ Magi, non primi philosophiæ professores 342.
Origo philosophiæ & artium in Græcia. 343.
Tres Sectæ, Eleatica, Italica, Ionica, ante Platonis Academiam aut Aristotelis Lycæum 344.
Discrimen antiquitùs inter Scholam & Synagogam ibid.
Mathematici peritissimi *S*cholæ Alexandrinæ alumni 345.
Plato institutus Scholâ Socraticâ, Megarensi, Cyreniacâ, Italicâ, Egyptiacâ ibid.
Defensio Scholæ Peripateticæ 346.
Specimen Dialecticæ 348.
Argutiæ longè plures in computatione Hobbiana 351.
Rhetorica *S*cholæ Peripateticæ ibid.
Utilitas { Scholæ Druidum 352. / Scholæ Gymnosophistarum ibid.

Utilitas

Utilitas { Academiarum Arabicarum 353. Scholæ Tarsensis 354.
Academiæ in Veteri Test. 355.
Alumni Academiarum sacra oracula
Scriptis mandârunt 356.
Consignârunt Canonē 357.
Masoram excogitârunt ib.
Simeon, qui cupidis ulnis Jesum amplectebatur, Academiæ alumnus 358.
Gamaliel Simeonis filius, eodē institutus Gymnasio, Christi præconibus favebat 359.
De oratione adversùs hæreticos Gamalieli à Maimonide attributâ ibid.
Judæi doctrinam deserunt antiquarum Scholarum 360.
Quæritur, quid damni religioni attulerit philosophia in Ecclesia primitiva usque ad Concilium Nicænum ibid.
Platonica philosophia in maximo honore tempore primitivæ Ecclesiæ 361.
Non patet philosophiam Peripateticam originem dedisse sectis & hæresibus 362.
Vera Sectarum origo 363.
Descendit H. ad secula concilium Nicænum sequentia 364.
Athanasius vindicatur à calumniis 365.
Proximê devenit H. ad tempus, quo rerum potitus est Carolus M. 367.
Triplex ætas Theologiæ Scholasticæ 368.
Hebræi, *est*, utuntur vice copulæ 369.
Vox *essentia* in Scriptura 370.
Philosophia apud *Sanctum* Paulum non Peripatetica, sed ἐκλεκτική 371.
Theologia Scholastica unde 372.
Bella in Europa non ab Aristotelis Ethica & politicâ philosophiâ 373.
Hobbii fides 375.
Decalogus 376.

Dogma 41.

Hæc doctrina [Christus est æternus Dei filius] non debet obligare conscientiam 378.
Filiatio Christi æterna asseritur Scripturâ, & ratione 380.
Doctrina hæc est creditu necessaria 381.
Defensionis Dogmatis Examen 382.

Dogma 42.

Deus est causa peccati 385.
Vindiciæ divinæ puritatis 386.
Natura permissionis 387.
Deus causa prima efficiens, non deficiens 388.
Discrimen inter actum, & incongruitatem actûs 389.
Subtilitas, quam H. docet Scholasticos, crassissima est blasphemia 390.
Series divini Consilii de hominum salute 391.
Præteritio providentiæ divinæ consentanea 392.
Nullum decretum ad damnationem absolutam 393.
Libertas humana non subruit omnipotentiam, omniscientiam, aut libertatem divinā 394.

FINIS.

Idea Theologiæ Leviathanis:

In qua proponuntur

1. Leviathanis Dogmata,
2. Dogmatum defensio ab Authore.
3. Defensionis Examen.

Dogma I.

Nihil est bonum & malum simpliciter. c. 6. p. 26.

QUicquid appetitûs in homine quocunque objectum est, idem illud est, quod ab ipso appellatur bonum. Similiter id, quod aversionis in ipso & odii causa est, ab ipso appellatur malum. Voces enim bonum & malum & vile intelliguntur semper cum relatione ad personam, quæ illis utitur; cùm nihil sit simpliciter ità, neque ulla boni & mali & vilis communis regula ab ipsorum objectorum naturis derivata: sed à Natura (ubi civitas non est) personæ loquentis; vel ubi est, personæ civitatem repræsentantis; vel ab arbitro vel judice constituto, *Lev. c. 6. p. 26.* H. c. 31. p. 187.

Ut neminem lateat hujus Dogmatis indoles, præmittendum est, 1. Juxta tuam ipsius sententiam Naturâ ità comparatum est, ut quisque ad suæ conservationis & utilitatis expetitionem quàm maximè feratur. 2. Quid utile, aut inutile sit, jure Naturæ est penes uniuscujusque arbitrium statuere. 3. Id solummodo bonum censendum est, quod utile; & T.

id malum, quod inutile naturis suis in statu Naturæ singuli, in statu Civitatis præpositi arbitrantur. Idcirco cùm asseras nihil esse bonum simpliciter, hoc tibi in animo est, nempe nulli rei hoc nomen competere simpliciter, & in se consideratæ, sive ad officia spectat hominum mutua, sive ad cultum Dei naturalem: verùm solummodo κατά τι, quatenus scilicet ad conservationem & utilitatem conducit personæ, quæ illâ utitur.

Quicquid prioris est generis, bonum esse opinaris; quippe officiis illis insuper habitis, nemo semetipsum conservare poterit. Leges enim naturales, quibus hæc officia in nos devoluta sunt, pacis appellas articulos, quos humana suggerit ratio, utpote conscia in statu belli (qualis est Naturæ conditio) sperari non posse, ut diu conservemur.

C. 14. p. 66.

Quicquid posterioris generis est, ideo bonum arbitraris, quippe homines divinæ potentiæ, velint nolint, subjiciuntur. Propterea singulorum interesse paratissimum spondere obsequium; anxiè declinare, quicquid iram commoveat: ut hoc pacto potentiam ejus, cui nequeunt resistere, sibimetipsis propitiam reddant. Et sic bonitatis cujuscunque rationem in privatam resolvis conservationem, & utilitatem, quam statuis esse bonorum primum; & cætera omnia eatenus hoc nomen mereri, quatenus ad eam promovendam conducunt.

C. 31. p. 167.

Ut sententiam huic adversam demonstremus, tria probanda sunt.

1. Aliquid est bonum & malum simpliciter, citra privatæ utilitatis & conservationis intuitum.

2. Inter ea, quæ simpliciter bona sunt, primatum jure non vendicat conservatio privata.

3. Prærogativa hæc unicè Supremi Numinis competit honori, qui officiorum nostrorum omnium fons est.

Quod ad primum attinet, ut scilicet aliquid esse bonum & malum simpliciter, h. e. in se, semper, ubique, nec non omni personæ (& non tantùm pro certo statu & tempore quatenus ad utilitatem aut inutilitatem confert) demus demonstratum, res paulò altiùs repetenda est.

1. *Deus est.* Hoc liquidò constat ex canone sacro, cujus autoritatem exercitatione superiore asseruimus. Gregorius M. paginam sacram Epistolam Creatoris ad Creaturam appellat: Nuncia sc. Ecclesia Catholica continuâ successione per omnia secula hanc epistolam tandem ad nos detulit, unà cum hoc testimonio, quòd numinis supremi manu exarata est. Sigillum, quo obsignatur, est ejusdem numinis annulus signatorius, sc. miracula præstita in veritatis inibi repositæ assertionem. Epistolâ resignatâ, nomen Dei protinus in conspectum datur. [*Sic ait Jehova, Sic dixit Dominus*] nobis ad legendum accinctis characteres se illico produnt, quos Deus solus potuit imprimere. Hi in vaticiniis, præceptis, fidei dogmatibus, summopere elucent. Quàm plurima per totas literas disseminata sunt, quæ indolem plusquam humanam aut Angelicam recipiunt. Ex hisce liquet, quicquid literis acceptis fidem faciat eas non esse fictas, sed reipsâ missas ab amico, cujus esse prætenditur, in hac sacra Epistola non desiderari; scilicet tabellionis testimonium, sigillum, nomen subscriptum, characteres peculiares. Hoc pacto in notitiam ducamur supremi Numinis lumine revelato. Existentia ejus infra plenius patebit lumine innato, & illato; cùm Dogma de naturali Religionis semine excusserimus.

2. *Aliquid Deo simpliciter bonum & malum est.* Necessitate enim naturæ obstringitur, semetipsum, utpote præstantissimum bonum, intentissimo amoris ardore amplecti; Suum unigenitum filium unicè deperire.

rire. Quinetiam, quantum ad Creaturam rationalem, immensâ suâ perfectione obligatur quoad articulos fidei, morum præcepta, solutionem promissorum. Quandoquidem 1. præcipere non potest, ut fide à nobis accipiatur, quod veritati dissonum est; puta, ut his propositionibus fidem habeamus, *Deus non est*; *Deus non est omnigenâ scientiâ præditus*; *Veneratio maxima Deo non debetur*; à veracitate divina prorsus abhorret hujusmodi axiomata in articulos fidei cudere. 2. In mandatis dare nequit, ut illum non depereamus, ut suis non pareatur præceptis, ut divino cultu impertiamus Diabolum, ut proximi nostri invidiâ flagremus, ut imaginem divinam nobis impressam intemperantiâ & temulentiâ deleamus. Si Deus hæc nobis præciperet, sua ipsius subrueret attributa, & margaritis, quibus coruscat Cœlestis corona, splendorem omnem adimeret. 3. Fidem suam non potest non reluere. Promissis enim stare est una earum rerum, in quibus ἀδύνατον ψεύσασθαι τὸν θεόν, *Heb.* 6. 18. Non liberare fidem, immutabilem dei veritatem funditus evertit. Ut compendifaciam; Si nulla sit bonitas in signo rationis liberam divinæ voluntatis determinationem præcedens, Deus, si velit, jubere potest, ut mendacio habeatur fides; ut suis ipsius jussis detrahatur obedientia: Denique, cùm cœlum spondeat, quatenus scimus, infernum minetur; cùm vitam, mortem; cùm gaudia superna, dolores infernos. Imò fieri non potest, ut aliqua sciamus explorate, quid sibi velit. Neutiquam fas est asserere, quæ commemoravimus, ex ea re sola Deo bona aut mala esse; quippe quòd ad conservationem & utilitatem conducant: quandoquidem necessariò adeò divina existit essentia, ut nullo pacto destrui possit, & in nihilum abire: & adeò immensa est, & omnigenâ perfectione instructa, ut nulla nova utilitas ei possit accedere.

3. Si

3. Si quid Deo bonum & malum sit simpliciter, & in se, citra utilitatis aut incommodi intuitum, tum multò magìs hominibus. 1. Deus condidit hominem ad suam ipsius imaginem; & imago in omnibus Archetypum referre debet. Consistit hæc imago in conformitate non tam ad liberos divinæ voluntatis actus, qui revelatione solâ innotescunt, quàm ad naturam & essentiam divinam. Hinc ubi post lapsum renovatur, homines illi θείαν φύσιν divinam naturam accepisse perhibentur. Cùm in essentia divina ratio boni & mali immutabilis reposita sit, & nemini liceat mortalium illud adire sacrarium, & eam inibi repositam immediatè exploratam habere; Summo numini pro bonitate (quâ pollet) infinita, visum est ejus lineamentum ducere, & animæ imprimere humanæ, quod nomine Rectæ Rationis passim insignitur. 2. Plurima, quæ simpliciter Deo bona & mala sunt citra utilitatis aut inutilitatis intuitum, ad homines tantundem spectant; ut quæ bona sunt, non possint non imperari, quæ mala, non interdici. Exempli gratiâ, in Deum credere, Deo parere, Deum colere, imaginem Dei sive in nobis sive in aliis non perimere, in genere boni: Actus hisce contrarii in genere mali. Etiamsi Deo liberum sit hominem condere, vel non condere; tamen Creatione semel peractâ, obligatio ad hæc jura servanda protinus emergit, quam nemo in statu quocunque, sive Naturæ sive Civitatis, poterit excutere. Cujuscunque simus ordinis, creaturæ sortem vel relationem nusquam deponere valemus. Et hæc jura sive ad hujusce vitæ conducunt commoda, sive non conducunt, tam insolubili nexu cum hac relatione conglutinantur, ut nullo pacto queant divelli. A Deo in genere moris, atque entis pariter pendemus. 3. Deus in uniuscujusque pectore testem inclusit ad notandum, ubi jussis hisce paretur, aut denegatur obedientia. Enimverò, ut notum

fiat actuum prædictorum bonitatem utilitati origi- nem suam non referre, plerumque inexpugnabili hor- rore reus suffunditur, ubi scelere patrato plurimum mundani emolumenti acquiritur, & nullus omnino ex judicio in foro humano exoritur metus.

Proximè perpendenda sunt in sententiæ tuæ patro- cinium prolata. Perlibenter tibi concedo, Quic- quid appetitûs in homine quocunque objectum est, illud est quod appellatur bonum; Similiter, Id quod aversionis in ipso & odii causa est, ab ipso ap- pellatur malum: Verùm non indè sequitur, id esse veri nominis bonum aut malum, quippe ità appella- tur. Cujusque in fæce Adami via est pervulgata ma- lum boni titulo insignire, & bonum mali nomine de- honestare. Fateor id vile appellat quisque, quod ipse contemnit: tamen vilitas, utpote causa con- temptûs, ipso contemptu prior est: sicut bonitas, utpote causa appetitionis, & malitia, utpote causâ aversionis, ipsam appetitionem & aversionem præ- cedunt. Voces bonum & malum & vile intelliguntur semper cum relatione: Verùm relatio duplex est, vel ad personam, vel ad regulam. Relatio ad per- sonam bonum & malum non constituit; (sæpenu- mero enim evenit, ut appetat persona, quæ reverâ nociva sunt) verùm relatio ad regulam, sc. ratio- nem rectam, quâ persona imbui tenetur. Et ratio tum recta habenda est, cùm Archetypæ & primævæ rationi in mente divina conformis sit. Cùm adji- cias nihil esse bonum aut malum simpliciter, nec ullam boni, mali & vilis communem regulam ab ipsorum Naturis objectorum derivatam esse; animadver- tendum est, objectum eò usque bonitatem in actum derivare, ut actus in genere plerumque ejus ope ad certam determinetur speciem. τὸ amare in genere me- diæ est naturæ, verùm indifferentiæ statum exuit, & in numerum bonorum aut malorum cooptatur pro

objecti

objecti indole: Si in Deum terminetur, protinus bonus hic evadit actus; si in Diabolum, malus. Nihil opinor citiùs te inducturum fore ad credendum aliquid bonum & malum esse simpliciter, quàm boni & mali Ideas suprà commemoratas in memoriam revocare, quæ in mente Divina repositæ fuêre in signo rationis, ante omne decretum de hominibus aut civitatibus condendis, nedum de conservationis aut utilitatis mediis. Regula boni & mali indè petenda est; & non ab hominis sive publici sive privati natura, aut voluntate. Ratio cujusque est tantùm regula regulata. Regula regulans est Idea in summi numinis mente: Ex hac re, nondum homine condito, aut interpositâ Divinâ autoritate, aliquot eò usque bona fuêre, ut in mala non potuerint formari: Alia usque adeò mala, ut nullo positivo præcepto potuerint bona evadere. Quid tibi videtur de odio Dei? nonne simpliciter malum censendum est? Quid de Dei amore? nonne tantum bonitatis in se complectitur, ut à Deo ipso interdici nequeat? Pro congruentiæ aut discrepantiæ gradu inter actum aut objectum, solenne est de actûs bonitate aut malitia statuere: verùm inter τὸ amare & Deum tam arcta est connexio, ut nullo pacto queant divelli. Quemadmodum propositio vera habetur, cujus subjectum & prædicatum insolubili nexu conglutinantur: Ità præceptum hoc [Deus est amandus] necessariò & simpliciter bonum censendum est; quippe membra illius pariter conveniunt. Summa enim in eo elucet ratio, sc. ratio objectiva, quæ in congruentia inter actum & objectum consistit: ratio etiam subjectiva, sc. facultas rationalis in anima ad primum intuitum hanc congruentiam agnoscit. Ut hæc omnia magis distinctè & articulatim teneantur, ea ad septem reducam capita.

1. Id bonum censendum est, quod conveniens; & malum, quod inconveniens est.

2. Convenientia, in qua sita est boni natura, aliud nihil est præter congruentiam cum bonitatis regula.

3. Regula bonitatis primæva est lex sive ratio æterna & immutabilis in essentia divina, quæ in signo rationis liberos divinæ voluntatis actus præcedit. Talem regulam extare abunde innotescit ex voluntate divina, quæ, quemadmodum nonnulla bona effecit, quia voluit; ità alia voluit, quia bona.

4. Id simpliciter est bonum, quod huic regulæ conforme est. Si ratio in essentia divina sit immutabilis & necessaria; tum quicquid cum ea concinit, necesse est, ut sit bonum simpliciter & in se immutabile, & non contingens pro vario rerum & personarum statu, quatenus conservationi aut utilitati inservitutum sit.

5. Hujus regulæ sive rationis æternæ exemplar ab incunabilis rerum animæ humanæ insculptum fuit, Homo ad Dei imaginem formatus est. Ex hac re Deus, ut in providentiæ operibus suam expurget Justitiam, & omnem de se demoliatur culpam, plerumque ad homines provocat, & juxta hanc regulam,
Es. 5. 3. animæ humanæ impressam, de suorum operum æquitate
Ezech. 18. *v.* 25. & bonitate judicari permittit. Minimè fas est tecum afferere, quasi homo nasceretur solummodo quinque sensuum satellitio stipatus, & nullæ omnino essent ei
Lev. ch. 5. *p.* 12. facultates, nisi quæ in instructione & disciplina initium habuerint. Rerum enim Satori placuit, non solùm corpora gravida facere seminibus, quibus ad sua munia reddantur habiliora; verùm etiam animum humanum. Sunt enim Semina quædam sive principia ei à natura indulta, quorum subsidio citra disciplinam idoneus reddatur ad munus suum palmarium; quod est, ut æquum ab iniquo, bonum à malo secernat, & internoscat. Hinc de gentibus dicitur, Quòd ἑαυτοῖς εἰσι νόμος, sibimetipsis lex sunt, Rom. 2. v. 14. & quòd

ostendunt opus legis, γραπτὸν ἐν ταῖς καρδίαις αὐτῶν, scriptum in cordibus suis. Quinetiam, quod de Deo sciri expedit, φανερόν ἐστιν ἐν αὐτοῖς, manifestum est intra ipsos, Rom. I. 19. Inter ea quæ in ipsis manifesta sunt, numeratur θειότης Divinitas, v. 20. sive divina illa ratio in Supremi Numinis essentia, ad quam bonitas moralis, tanquam ad normam Archetypam, exigenda est. Hanc Deus eis perhibetur manifestam fecisse, αὐτοῖς ἐφανέρωσε, v. 19. lumine sc. innato, quod vel è reliquiis imaginis Dei, ut ut per peccatum conspurcatæ, emanat; vel quod post imaginem penitus deletam de novò generi humano in commune indulgetur, humanæ societatis ergô; ne homines ob rationis defectum, quàm primùm nascuntur, sui obliviscerentur generis, & in bestias degenerarent.

Nobis in hac re accedunt alii. Lex naturæ à Philone Judæo exarata dicitur ὑπ' ἀθανάτου φύσεως ἐν ἀθανάτῳ διανοίᾳ ab immortali natura in mente immortali. Notum est illud Epicharmi apud Clementem Alexandrinum & Eusebium, *L. Quòd omnis probus liber.*

Ὁ δέ γε τοῦ ἀνθρώπου λόγος πέφυκεν ἀπό γε θείου λόγου,
Ratio hominis ratione ex divina sata est. *Præpar. Evang. L. 13. c. 13. p. 682.*

Hinc Antonius Imperator uniuscujusque mentem ἀπόσπασμα appellat, particulam à Jove avulsam: & Hierocles ἔνοικον θεὸν Deum inhabitantem. *Par. L. 5. εἰς ἑαυτὸν parag. 27.*

6. Hujus regulæ sive æternæ rationis exemplari, quàm plurima sunt, quæ in signo rationis ante omne de conservatione consilium conveniunt. Ut, exempli gratiâ, parentibus præstare obsequium, miseriâ laborantibus suppetias ferre, grato animo beneficium acceptum pensare. Hæc sunt primitiva rationis dictamina, & non theoremata (uti inquis) de rebus, quas ad conservationem conducere autumamus. Antequam enim homo de sui conservatione inierit consilium, actus hosce albo dignatur calculo: & contrariis

trariis moralem turpitudinem adhærere pronunciat. In ætate tenella propensio ad bene aliis faciendum se prodit, uti notavit Plutarchus: nec non misericordiæ specimina sponte erumpunt. Officia commemorata menti humanæ adeò congrua sunt, ut non possit eorum æquitatem & bonitatem jam tum non agnoscere, cùm præstatio nullum mundandum compendium allatura sit. Hinc si homines præ hujus vitæ amore aliquando inducti sint ad patrandum aliquod hisce officiis contrarium, protinus cæco conscientiæ verbere vapulant, & gravissimas luunt pænas. Qui equuleo positi, & nervis & fidiculis excruciati sunt, dolorem non sentiunt acutiorem. Hinc cecinit Poeta:

Illud habet damni vitium inter cæterea, quòd mens
Palpitat assiduo flagitiosa metu.
Semper enim vel si non deprendatur in ipso,
Sese deprendi posse putat scelere.
Deque suo, alterius quoties de crimine sermo est,
Cogitat, & credit se magis esse reum.

Unde obsecro hæc emergit molestia, nisi ex sensu convenientiæ operum prædictorum cum ratione ante omne de conservatione aut utilitate consilium? Passim enim grassatur, etiam ubi genus humanum in secundis est, & omnia, quantum ad statum externum, fluunt ad voluntatem. Enimvero adeò rationi conveniunt hæc munia, ut ab animalibus, ubi umbra tantùm rationis primitivæ reperitur, quandoque præstari videantur. Observavit Philo Judæus, quòd canes, ubi aluntur, beneficio vicem rependunt: defendunt enim domum, pro heris morientur, si quod subitò periculum eos contigerit. Ciconiarum senes volare invalidæ in nidis manent, dum soboles earum per omnes terras mariáque volitant, victum undique parentibus quærentes. Notat Porphyrius, Columbarum mares ova vicibus fovere; & fœmellam, si diutiùs

Ad Decal, pr.

περὶ ἀποχῆς *L.* 3. *p.* 131.

tiùs evagetur, rostro tundentes ad ova & pullos compellere.

Si homines aliquot reperirentur adeò inhumani, ut juribus commemoratis album calculum adjicere renuerent; id nihil moramur, dum moratiores omnes, præsertim illi, in quibus æternæ rationis exemplar per gratiam renovatur, æquiores longè arbitri, aliter sentiant. Si animus nobis pendeat de congruentia officiorum prædictorum cum natura rationali citra commodi aut incommodi intuitum, quippe ab aliquot vitæ inconditæ & incultæ vix ægrè agnita sint; eâdem lege pendulus stet animus & in dubio sit de mellis dulcedine, eò quòd palato morbido & vitioso quandoque amarum videatur. Hinc appositè dictum est ab Andronico Rhodio, παρ' ἀνθρώποις τοῖς τε ὀρθῶς καὶ ὑγιῶς ἔχουσι, ἐστὶν δίκαιον ἀκίνητον· Apud homines rectâ sanâque mente præditos, immutabile est jus illud quod Naturæ dicitur. Quòd si his, qui morbido & distorto sunt animo, aliter videtur, nihil ad rem pertinet; nam nec mentitur qui vel mel dulce esse dicit, ideo quòd ægrotis aliter videatur.

Vid. Grot. de jure Belli & pacis, L. 1, c. 1. p. 6.

Quàm plurimi sunt (ut Justini Martyris verbis utar) qui τὰς φυσικὰς ἐννοίας ἀπώλεσαν naturales notiones perdiderunt. Oculis orbatus æquè bene de coloribus ferat judicium; atque tales homunciones de rerum cum ratione congruentia.

7. Si hæc officia exemplari animæ humanæ insculpto consentanea sint, & hoc exemplar legi in essentia divina immutabili congruat, & hæc lex sit primæva bonitatis regula, & omne, quod huic regulæ convenit, sit simpliciter bonum; consequentiis non invitis concludamus, officia prædicta non solùm κατά τι, quatenus ad conservationem & utilitatem conducunt; verùm etiam simpliciter bona esse, & eis contraria simpliciter mala. Hinc est, quòd apud Antiquos Themis sive Jus non solùm Terræ perhibeatur filia;

filia; verùm etiam Cœli: & Aſtræa ſive Juſtitia filia Jovis & Themidos. Ex ea re fingunt Poetæ, eam cùm terram reliquiſſet, in Cœlum protinus avolâſſe, unde ortum ſuum derivaverat.

H. Juſtitia eſt voluntas conſtans ſuum cuique tribuendi, ubi ſuum non eſt, *i. e.* ubi proprium non eſt, ibi juſtum nihil eſt, & ubi civitas non eſt, proprium nihil eſt. Juſtitiæ autem eſſentia conſiſtit in præſtatione pactorum, quæ tunc valida eſſe incipiunt, quando conſtituta eſt Civitas. Itaque Civitas, Proprietas bonorum, & Juſtitia ſimul nata ſunt, *p.* 73.

T. Hoc in loco ſtudia tua inflectis ad probandum nullam eſſe Juſtitiam æternam; verùm unà cum Civitate naſci omnem: quippe Juſtitia ibidem ſolummodò eſt, ubi proprietas, & proprietas omnis à civitate exordium ducit.

Verùm notandum eſt, civitatem duplicem eſſe; alteram univerſalem, particularem alteram. Univerſalis eſt totus mundus, cujus cives naſcimur univerſi; Particularis verò civitas quæque legibus humanis fundata.

τῶν εἰς ἑαυτὸν L. 4. p. 24. Ad vivum depingitur Univerſalis ab Antonino Imperatore, *εἰ τὸ νοερὸν ἡμῖν κοινὸν, καὶ ὁ λόγος, καθ' ὃν λογικοὶ ἔσμεν, κοινός· εἰ τοῦτο, καὶ ὁ προστακτικὸς τῶν ποιητέων, ἢ μὴ λόγος κοινός· εἰ τοῦτο, καὶ ὁ νόμος κοινός· εἰ τοῦτο, πολῖται ἔσμεν· εἰ τοῦτο, πολιτεύματός τινος μετέχομεν· εἰ τοῦτο, ὁ κόσμος ὡσανεὶ πόλις ἐστί.* Si intellectus nobis communis eſt, etiam ratio, quâ rationales dicimur, communis eſt: ſi ratio, etiam ea, quæ quid agendum, quid omittendum præſcribit, ratio communis eſt: ſi hæc, lex quoque communis eſt; hoc ſi conceditur, cives ſumus; & hoc dato, politiæ alicujus participes, & ex conſequenti civitatis inſtar mundus eſt. Hiſce

Tuſc. l. 5. conſonum eſt illud Ciceronis: Socrates cùm rogaretur, cujatem ſe eſſe diceret? mundanum inquit: totius enim mundi ſe incolam eſſe & civem arbitrabatur,

batur. Nec non illud Tertulliani, Unam omnium rempublicam agnoscimus mundum. *Apol. c.38.*

Communitati huic præsidet Deus. Legem tulit hâc propositione complexam, *Numen honore afficiendum est.* Hanc promulgavit Ratio cœlitus indulta. Etenim inter naturam Numinis & honorem nodum percipit insolubilem, qui manu aliâ nullâ præterquam divinâ potuit connecti. Hinc inter omnes convenit Numen esse, quod honore impertire devincti sunt. Ex hac re evenit, quòd Deorum sacrificia & ritus Honores appellantur. Hoc sensu dixêre Poetæ, indicere Honores, mactare Honores, instaurare Honores, *Briss. de form. l. 1. p. 29.*

Ipse suos adsit Genius visurus Honores.

Hinc etiam illud Quintiliani: Præcedat enim aliquid semper necesse est, ut in ludis, Honor Deorum. *L. 3. c. 10.* Hujusce legis sanctio in sævis acutissimísque conspicienda est animi doloribus, de quibus sæpenumerò conquesti sunt Ethnici, cùm omisissent, quod ad Deorum Honorem conferre opinabantur.

Hisce prælibatis nullo negotio ostenditur proprietatem unà cum civitate particulari non nasci. Ratio in universali, quæ nexum percipit inter honorem & Rectoris naturam, facillimè insuper exquirit, quæ honori illius agglutinantur. In horum album non immeritò Ordinem ascìscit. Subditorum enim ordine plurimùm elucet Rectoris Majestas. Et Proprietas Ordóque comites sunt, qui divelli nequeunt. Ordo est quasi ὅρον δὼ inquit Scaliger; terminum innuit, quo circumscribitur & definitur jus privatum. Statum itaque sensu tuo politicum præcedunt dominium & proprietas.

Imò antequam homines in societatem particularem coaluissent, Dei ipsius fuêre: æternâ enim lege obstringebantur singuli ei obsecundare, nec non mutua charitatis officia inter se commutare. Imò etiam ante

ante Civitatem constitutam in proprietatem etiam iverunt bona mundana. Passim convenit; ut quisque pro suo habeat, quod ipse primum occupaverit. Hinc
Ruth 4. 8. antiquitùs obtinuit, cùm dominium alii transferendum esset, exuere calceum (quo possessio primùm obtinetur) in signum juris translati: possessio enim nihil est nisi pedis positio. Et si proprietas præcesserit civitatem, idem asseramus necesse est de justitia & injustitia. Hinc est quod dixerit Quintilianus, 'Si hæc conditio est, ut quicquid in usum hominis cessit, proprium sit habentis, profectò quicquid jure possidetur, injuriâ aufertur. Cùm adjicias, quòd justitia consistit in præstatione pactorum; notandum est, quòd duplex sit pactum, nempe Naturæ & Civitatis. Antequam enim Civitates constitutæ fuerint, passim innotuit pactum Naturæ. Deus enim cum genere paciscitur humano: etenim cultum postulat sibi exhibendum, nec non, ut quisque aliis faciat quod sibi fieri vellet. In hujus obedientiæ compensationem mercedem pollicetur. Illa pars pacti, quæ ad officium spectat, passim per totum orbem agnoscitur. Altera de danda mercede perinde comperta est. Ubique Gentium scitur, quòd bonis bene futurum sit, & malis malé. In hujus pacti præstatione constitit justitia ante Civitatem conditam.

H. Ante summam potestatem constitutam, erat jus omnibus in omnia, quod erat causa Belli. Regulæ ergo, quibus definiuntur Meum & Tuum, & in actionibus bonum & malum, licitum & illicitum, à quibus dependet pax Civitatum, ab habente summam potestatem præscribendæ sunt. *c.* 18. *p.* 89.

Si homines (ut tua fert opinio) ex terra tanquam tot fungi nascerentur; tamen eorum omnibus jus non competeret in omnia. Quilibet fungus illam terræ partem sibi jure vendicaret, ubi nascitur. Etenim ubique

ubique Genitum potior est conditio possidentis. Bellum, quo vexatur genus humanum, ex jure omnium in omnia nequaquam exoritur: verùm ex inordinatis animæ cupiditatibus, quibus singuli ad sua repagula perfringenda feruntur, & in aliena involant jura. Libentissimè concedimus, regulas, quibus bonum & malum, licitum & illicitum definiuntur, ab habente summam potestatem præscribendas esse: Verùm non indè bene infertur, earum regularum aliquot à Deo priùs non fuisse præscriptas. Etenim suprà demonstratum dedimus, boni & mali rationes in essentia divina fuisse definitas, ante liberum divinæ voluntatis actum, nedum ante edictum Magistratûs Civilis: Et rationes hasce lumine naturæ satis manifestas, Magistratûs est subditis suis præscribere, gladio civili munire, ne quis eas temerare audeat. Si intra Civitatem solam bonum & malum, licitum & illicitum definiantur, tum homines innocentes, si cives non sint, liceat eâdem tractare humanitate, quâ Davidis legati ab Ammonitarum Rege fuêre excepti, nempe barbas abradere, vestes præcidere: immò parum hoc est: Fas est insuper idem facere, quod factum legimus, cùm David contumeliam ulcisceretur, sc. serris ac securibus innocentiam candidissimam subjicere, & per fornacem Moleci traducere. *Jac.* 4. 1.

In hominem innocentem mali cujuscunque inflictio, si civis non sit, si sine præcedentis alicujus pacti violatione fiat, si denique eo fine fiat, ut juvetur civitas, legis naturalis transgressio non est. Omnes enim homines, aut cives sunt aut hostes, aut pacto inter Civitates amici sunt. Sed contra hostes à Civitate judicatos, à quibus damnum Civitati expectatur, jure Naturæ bellum facere licitum est. In quo bello neque gladius judicat, neque victor distinguit, quatenus ad tempus præteritum, inter nocentes & innocentes: neque cuiquam parcit, nisi quatenus conducit *H.*

condacit ad salutem civium. *c.* 28. *p.* 149.

7. Eò redeunt hæc omnia, ut ostendas in hominem innocentem extra Civitatem, utpote in statu belli, quodvis malum infligi posse. 1. Si Homo innocens extra Civitatem quovis malo citra injustitiam excruciari possit, quippe quòd hostis est, & in statu belli: pariter dicas innocentem ideo posse ad libitum torqueri; propterea quòd innocens non est. Qui enim hostis est, & in statu belli, utpote stans in procinctu ad nocendum, vix in albo innocentium nomen meretur. 2. Extra Civitatem quilibet hostis non habendus est. Status naturæ non est belli status; uti constabit, quum ad dogma 5^{tum} fuerit deventum. Refugiunt hostes, alter alterum, & familiaritatem repudiant: Verùm homo naturâ societatis cupientissimus est, animâ induitur notitiæ avidâ, gaudióque non mediocri afficitur, cùm occasionem nactus fuerit cum aliis serendi sermonem; & quæ didicerit, impertiendi opportunitatem. 3. Si status extra Civitatem esset status Belli; (quod à veritate longè abhorret) tamen non indè sequitur, quòd liceret in hominem innocentem sævire. Qui militem induit, non suam exuit humanitatem: ex metallo confectus est ejus gladius non adeò duro; quin remollescat quandoque, & liquefiat. Solenne est in bello fœminis & pueris parcere. Globuli è bombardis explosi suas protinus deponunt vires, cùm iis obviàm eant hæc molliora temperamenta. Innocentiam laneam vis maxima nescit pervadere.

Verba dare videris cùm asseras, quòd in innocentem sævire liceat, si sine alicujus pacti violatione fiat; quandoquidem ex pactis & promissis nullam autumas oriri obligationem.

H. Verba sola, si de futuro sint, donationis signum idoneum non est: nam verba hæc, *cras dabo,* significant nondum dedisse, & proinde jus nondum

dum translatum esse, sed manere, &c. *p.* 68.

Si contractus fiat, quo neutri contrahentium statim præstare obligantur, sed ad diem certum futurum; Pactum illud in mera conditione Naturæ, id est in bello, si quæcunque interveniat suspicio de præstando, invalidum est, &c. *p.* 69.

Verba per se homines ad pactorum præstationem constringendi vim non habent: duo enim ei rei auxilia tantùm sunt, nimirum metus damni à violatione pacti, vel quia fallere ut signum impotentiæ, dedignentur, *p.* 71.

Verbis hisce *cras dabo* etiamsi jus in re translatum non sit, tamen transfertur jus ad rem: ab eo enim momento jure exuitur promissor ad rem retinendam ultra diem crastinum. Constringendi & obligandi vim habent verba sola; Deus enim ipse ex natura sua Verbis obligatur; promissa sua non potest non exsolvere: & si verbis constringatur Deus, multò magìs homines, qui ad Dei conditi sunt imaginem. Deinde jus ad res humanas hominibus indulsit Deus. Quinetiam voluit, ut dominium hoc transferant alii ad alios voluntate suâ. Instituit insuper, ut verba sint hujusce voluntatis indices. Itaque si verba de jure transferendo in re quacunque, sive in statu Naturæ, sive Civitatis, non constringant, ab instituto suo excideret ipse Naturæ Author. Hinc Solomon promissorem asserit verbis oris sui esse illaqueatum: nec non fatetur Sanctus Paulus se per promissum constitui debitorem. M. Attilius Regulus, ut suam relueret fidem, Carthaginem rediisse legitur, quamvis ibi se exquisitissima luiturum supplicia, non ignoraret. Illum inter & Carthaginenses initum fuit pactum in statu Belli. Reditu suo ad eam collineare non potuit utilitatem quam statuis fontem esse legis Naturæ, sive ad fidem, sive ad gratitudinem, sive ad mutua spectantis auxilia. Officia enim hæc cæteráque omnia eatenus tantùm

T. — *Epist. ad Phil.*

tantùm bona esse opinaris, quatenus commodum promoveant privatum.

H. Qui beneficium gratis datum accipit, conari debet ne danti justa causa sit beneficii dati pœnitendi: nemo enim dat nisi respiciens ad bonum sibi. Propterea omnis actionis voluntariæ finis bonum volenti est: quod bonum, si frustià expectandum esset, homines scierint, nullum erit benefaciendi initium, neque confidentiæ mutuæ, neque mutui auxilii, neque reconciliationis inter inimicos, *p.* 75.

T. 1. Qui beneficium accipit, non lege prudentiæ unicè obligatur rependere; ne scilicet datorem facti sui pigeat: verùm etiam lege gratitudinis, citra omnem ad ulterius commodum intuitum. Sentit enim unusquisque qui suam non exuerit humanitatem, se ligari & quasi in vincula conjici; donec grati animi exhibuerit specimen, & meritis vicem reddiderit. Dolorosum est benefico gratiam non referre. Quoties obviàm it, qui beneficium contulerit, pudore suffunditur ingratus animus. In votis habet, ubi nihil amplius speratur lucri, ut è vivis eripiatur beneficus; utpote sibi conscius, se hoc pacto à dolore suo liberatum iri.

Qui beneficium dat, ad bonum, fateor, respicit; sed non semper privatum, quod sibi in lucro est. Quemadmodum enim Deus suam exerit benignitatem, nihil indè expectans utilitatis: ità etiam indolem eandem Creaturæ suæ communicatam voluit. Non contentus est ipse Sol sibi lucere: verùm ipsas dirumpit nubes, ut terram radiis suis collustret: nihil indè lucratur præter tenues aliquot vapores quos condensat, ut in pluviam convertantur terræ multùm admodum fructuosam. In fontibus sæpenumero auditum est querulum murmur, ac si tristitiâ afficerentur; eò quòd in publicum commodum pleniori rivo aquas suas nequeant emmittere. Genere in humano non dispar

ad

ad benefaciendum aliis citra privatæ utilitatis intuitum se prodit proclivitas. Cùm Samaritanus illum, qui in latrones inciderat, exspoliatum & seminecem videret, è vestigio misericordiâ commotus, ejus ligabat vulnera, infundebat oleum, &c. Ad talis hominis aspectum, omnium protinus, qui humanitati non valedixerint, intima commoventur viscera, & ad suppetias ferendas se illico accingunt; quamvis nihil indè decerpant, quod sibi ponant in lucro, præter animi gaudium, quod usquè bonum opus comitatur. Jam absolvimus primum quod explicandum suscepimus, sc. Aliquid est bonum & malum simpliciter citra conservationis privatæ intuitum: Quod superest breviter attingam.

2. Inter ea quæ simpliciter bona sunt, conservatio hæc privata primatum non obtinet. 1. Bonitas affectio est, quæ rei essentiam comitatur: verùm ad existentiam unicè vitæ spectat conservatio. Quemadmodum essentia rationis signo existentiam præcedit; ità bonitas conservationem. 2. Si nihil bonum sit nisi quatenus ad conservationem conducit, hujusce propositionis veritas [Deus est honorandus] in hanc resolvenda est [vita humana est conservanda:] verùm hoc valde absonum est. Prioris propositionis membra arctiùs longè connectuntur quàm posterioris. Deo enim magìs debetur honor quàm nobis conservatio. Illi jus est ad honorem ex natura sua: nobis verò ad conservationem ex libero voluntatis actu. In mandatis dare nequit, ut illum honore non afficiamus: verùm jubeat, ut relabamur in nihilum. Quemadmodum penès illum est vitam largiri; ità etiam pro libitu suo eripere. Ab omni prorsus abhorret ratione, ut propositionis maximè necessariæ veritas in veritatem minùs necessariæ resolvatur. 3. Ad equuleum cogi, & in æternum acutissimos pati cruciatus, majus malum est, quàm vitâ hac fragili

destitui: & si majus detur malum quàm mori; majus itidem est bonum, quàm vivere & conservari. 4. Si vitæ conservatio sit bonum maximum, tum nulla est ratio, quare Apostolus diceret, *Cupio dissolvi.* Non opinandum est hominem spiritu veritatis ductum in votis habere potuisse maximum malum. 5. In albo bonorum primas ceras occupant, quæ Numinis Supremi gloriam reddunt maximè illustrem. Deus summum est bonum; itaque quò magìs eum nostra respiciunt munera, eò meliora censenda sunt. Verùm non pauca sunt quæ Deo magìs cedunt in honorem & gloriam, quàm vivere & conservari. Ex Martyrum morte quàm lapsorum vita ei plus honoris metitur. 6. Si vitæ conservatio sit bonum primarium & reliquorum omnium mensura, tum est vel necessariò vel contingenter bonum: si necessariò & simpliciter, tua cadit assertio (sc. nihil est bonum simpliciter;) si contingenter, tum ratio assignari potest, quare bonum esse contingeret. Ab alio enim bono priori petenda est hæc ratio. Ergo non est bonum primarium. Jam demum ad tertium & ultimum deventum est. Inquirendum sc. quid sit illud cui in albo bonorum locus debetur primarius, & ex quo tanquam fonte derivanda sunt nostra officia.

3. Prærogativa hæc honori Dei unicè competit. Ei enim in universum nobis studendum est, eóque tanquam communi mensurâ metiendum quicquid boni moralis nomen meretur. Sententiæ huic plurimùm favent sacra Oracula, *Omnia operatus est Jehova propter se*, Prov. 16. 4. *Omnia εἰς αὐτὸν in ipsum sunt*, Rom. 11. 36. *δι' ὃν propter quem sunt omnia.* Heb. 2. v. 10. Ad ejus gloriam omnia facere jubemur. 1 Cor. 10. 31. Ex hisce liquet, gloriam sive honorem divinum palmarium esse omnium finem, & idcirco bonum potissimum, unde reliqua omnia utpote media suum nitorem, pulchritudinem, bonitatémque mutuantur.

tur. Hinc non diſſonum eſt illud Hjeroclis, cùm ſe ad explicandum accingat, qualis ſit honor ille, qui Divis, Heroibus, parentibus debetur, apertè profitetur quòd oporteat δεῖ τὸν δημιουργικὸν μόνον αὐτῶν θεὸν ἀναφέρειν τὸ σέβας ad Deum unicum eorum opificem referre honorem. Non deſideratur etiam hac in re rationis ſuffragium. Cùm ratio illa, quâ induti ſumus, adulta eſſe incipiat, & oculo magìs intento perluſtrare omnia, facilè infert Numen immenſum exiſtere, omnigenâ perfectione præditum, quod nos ex nihilo condidit, quotidie omnipotenti ſuffulcit brachio, eximiis donat beneficiis. Hiſce compertis nihil prius nobis ſuggerit, quàm ut in ejus honorem & obſequium exhauriamur, cui tantopere ſumus devincti. Nequaquam ferenda eſt vel minima mora & protelatio. Ingratum animum reſiperet officium hoc in diem craſtinum rejicere. Numine hoc ubique præſente nunquam deſideratur opportunitas tributum pendendi. Et nemini beneficiis pariter obligamur. Cùm numen hoc infinitum ſit, nullis limitibus definienda eſt obligatio; ſed ſicut quicquid poſſidemus ſive virium ſive temporis ab eo accepimus: ità id ſolidè, quod ſumus & fruimur, in honorem ejus impendendum eſt: Si autem hunc in modum terendum ſit totum tempus, nihil relinquetur temporis aliis officiis, niſi quatenus ad hoc promovendum conferant. Deinde Honor unicum eſt Dei bonum. Nullum enim eſt aliud, quod ſibi poſſit acquirere, utpote omnimodâ perfectione ex natura præditus. Ad Creaturam ſpectant reliqua omnia. Et quemadmodum Creatura nihil eſt comparatè quantum ad Deum; verùm ſuam protinus amittit eſſentiam, ſi Deus ſuum vel tantillum auxilium inhibeat: Ità bonum quod creaturæ competit, à bono, quod Dei eſt, pariter pendet: Illicò ſuam exuit naturam, quamprimum inter id & Dei honorem nexus abrumpitur. Abrahamo

hamio bonum fuit suum conservare filium: verùm cùm officium hoc, mandato ad sacrificandum cœlitùs dato, cum honore Deo per obedientiam deferendo in pacem adduci non potuerit, non diutiùs fuit obstrictus; sed propter animum in obsequium compositum elogiis ornatur. Ex hac re, in opere quovis materialiter bono, si inter operantis mentem & honorem Dei solvatur nexus, Deo ingratum redditur totum opus.

Denique adjicere liceat, Deum, cùm præcellentissimam suiipsius intelligat naturam, semetipsum non posse non deamare, utpote bonum summum: si autem se tam ardenter diligat, amet oportet ex rebus creatis potissimùm suam ipsius imaginem, quæ ab hac natura secunda est. Imago hæc aliud nihil est, nisi gloria ejus extrinseca sive honor. Itaque honori huic augendo pro virili incumbendum est; & opera nostra eatenus bona censenda sunt, quatenus ad eum quadrant. Hinc non difficile est à priori officiorum moralium bonitatem demonstrare. Regula bonitatis primæva est mentis divinæ ratio, h. e. interna essentiæ gloria & perfectio. Regula secundaria est hujusce rationis sive perfectionis exemplar, nempe extrinseca ejus gloria sive honor. Quicquid cum exemplari hoc congruit, bonum est; quicquid ab eo dissidet, malum; si quid nec consonum sit nec dissonum, indifferens. Congruentiam inter divinum honorem & opus humanum facilè invenit mens nostra, quoties oculum retorquet ad ideam honoris, sive innatam sive sibi impressam per analogiam, cùm secum cogitet pensitétque quænam sint quæ ad terreni Monarchæ honorem conferunt. Terreni autem Principis Honorem compertum habet tribus summopere elucere, subditorum multitudine, ordine decoro, statu florenti. Parili ratione infert tertia hæc ad supremi Rectoris honorem plurimùm conferre. Subditorum enim multitudo

titudo illius repræsentat potentiam, ordo sapientiam, status florentissimus bonitatem. Itaque ex primo colligit, quòd bonum est, ut ab homicidio abstineamus, ut pro virili nostram ipsorum nec non aliorum vitam defendamus. Honori enim supremi Rectoris erit damnosum, si injussu ejus subditorum minuatur numerus. Ex secundo, ut cives in jus ditionémque Magistratûs concedant, liberi servíque imperio pareant parentum dominorúmque. Ut unusquisque in privato suiipsius moderamine à passionibus caveat inordinatis, cupiditatibus, temulentiâ, nec non ab omnibus quæ rationis regimen perturbare solent & subruere. Cautela hæc ad ordinem conservandum plurimùm conducit; in quo multùm admodum elucet Supremi Rectoris Honor. Ex tertio ut nostram ipsorum felicitatem promovere conemur, innocentes non lædamus, miseris feramus suppetias, aliorum lætemur prosperitate, in neminem invidum oculum conjiciamus; sed ad omnia humanitatis & amoris officia semper simus compositi. Hæc omnia ad statum conducunt florentissimum, eximium Principis decus & ornamentum.

Hac Methodo non difficile est ab honore divino illas derivare Naturæ leges, quas à privata conservatione ortum suum duxisse opinaris. Exemp. gr. 1. Pacem quære & persequere, *Lev. c.* 14. *p.* 67. hoc ideo nobis incumbit, quippe statu tranquillo plus elucescit Supremi Rectoris gloria, quàm bello, ubi subditi concerpunt dilacerántque alius alium. Aquis placidis clariùs conspicitur Sol, quàm turbatis. 2. Pacta sunt præstanda, *Lev. c.* 15. *p.* 72. Pacta enim sunt societatis vincula; diruptis vinculis Communitas in dissociatam abibit multitudinem, quod plurimùm Rectoris imminuet gloriam, qui Deus est ordinis. 3. Unusquisque se commodum cæteris præstet, *Lev. c.* 15. *p.* 75. Brevì actum erit de Civitate, nisi hoc fiat. Ex lapidibus politis murus conficitur. Si autem pereat

Civitas, Rectoris honori lethale vulnus imprimitur. 4. Ne quis alium facto, verbo, vultu, aut gestu odisse vel dispicere se significet, *Lev. c.* 15. *p.* 76. qui enim alium despicatui & contemptui habet, ipsi Creatori contumeliam imponere videtur. Ex hisce facile est reliquis judicium ferre.

Hæc palàm faciunt, Honoris divini studium officiorum moralium omnium esse primum, nec non fontem mensurámque. Hoc unicè solium occupat. Circumstant reliqua, tanquam tot Satellites, indéque suam accipiunt authoritatem. Honor divinus in Moralium officiorum circulo, ad instar solis in suo vortice, centrum occupat. Sicut planetæ à Sole mutuantur lucem: ità officia hæc ab Honore bonitatem. Si quid, quo impediatur communio, interpositum sit, deliquium protinus patiuntur.

Nihil jam superest, nisi ut objectiones diluamus, quæ sententiam hanc infirmare videntur.

1. Officiis aliquot (ex. gr. nosmetipsos noscere, nec non diligere) perfectio competit propria & peculiaris, quam scire licet citra honoris divini intuitum.

2. Officia hæc naturâ divini honoris præcedunt studium: Deo honorem non tribuimus, priusquam nobis innotescit: notum habere non possumus, donec nostram ipsorum naturam intelligamus.

3. Officium, quod primas fert, circa finem versatur ultimum: finis autem hic, naturâ duce, est felicitas humana, non autem honor divinus.

4. Si divini honoris studium sit unicum officium nobis à Deo impositum, tum in hominibus condendis alium nullum sibi proposuit finem, præterquam ut honorem & gloriam acquireret; quod munificentiæ cœlestis pretium minuere, & in Deum ipsum ambitionem impingere videtur.

Ad Primum respondeo. Officia prædicta perfectionem

fectionem habent propriam peculiarémque, quæ nihilominus ab honore divino tanquam fonte derivatur. Ponamus fontem se in plures exonerantem alveos: quamvis alveus quilibet aquam contineat sibi propriam; tamen aqua in eorum singulis fonti communi suam acceptam fert originem. Quinetiam si perventum sit ad notitiam perfectionis officiis hisce propriæ, citra honoris divini intuitum, nihilo secius indè emergat illa perfectio. Citra Solis aspectum lux conspicitur Lunaris, quæ tamen in universum à Sole derivatur.

Ad Secundum. Licèt officia hæc divini honoris præcedant studium cognitione confusâ; tamen non distinctâ. Sensu illo priùs scitur effectus, quàm causa, qui nihilominus totam suam à causa perfectionem mutuatur.

Ad Tertium. Ultimus actuum moralium finis est honor divinus, non autem felicitas humana, si naturæ ductui auscultemus. Per naturam intelligamus oportet, non brutam sed rationalem; per rationalem, non infantilem aut puerilem, quæ nondum maturam attigit ætatem, nec corruptam & vitiis inclinatam; sed adultam repurgatámque. Hujusce naturæ primum dictamen est Creatoris honori studere, & quicquid insuper agatur sive ad propriam sive ad alienam spectans felicitatem, eò inflectere; ut tanquam medium huic fini subserviat. Quemadmodum enim Deus Creaturâ excellentior est: ità Bonum ad Deum respiciens, bono quovis præstantius est ad Creaturam relato. Unicum bonum ad Deum spectans est Honor. Etenim ei, quippe infinito, nihil præterea potest accedere. Si autem Honor divinus sit bonorum maximum, nobis præfigendus est tanquam finis ultimus. Quod hujusmodi est, prærogativam hanc sibi jure vendicat.

Ad Quartum. Quamvis Deus in omnibus spectet gloriam

gloriam honorémque; tamen hoc nequaquam beneficiorum ipsius minuit valorem. Necessariò suum intendit honorem, alioquin inordinatè ageret, utpote bonum minus majori anteponens. Necessarius est etiam inter felicitatem nostram ipsiúsque honorem nexus. E beneficiis, quæ nos reddunt beatos, cœlestis emicat gloria: Verùm ex libero voluntatis beneplacito nos condidit tanquam tot vasa ad recipiendam hanc, in qua tantopere gloria ipsius elucet, munificentiam. Nullâ ad mundum condendum tenebatur lege. Si creare voluisset, nihilominus homines in abysso nihili potuisset relinquere, & elicere indè Angelos solos. Cùm autem conditi simus, ut in nobis etiam bonitatis suæ gloriam expandat, nequaquam apud nos vilescere debent illius beneficia, quamvis in eis conferendis gloriam suam quæsiverit.

Qui Deum affirmant in omnibus honorem suum intendere, ambitionem in illum nequaquam impingunt. Ambitio enim est inordinatus honoris appetitus: Verùm autem honoris amor in Deo tam procul ab appetitu distat inordinato; ut è contrà ordinem rerum naturámque Deus inverteret, si modò honori suo, quippe bonorum maximo, cætera non postponeret omnia, eíque primatum daret.

Dogma

Dogma II.

***Quod ad actionis honorem attinet, modò actio magna & ardua sit, & proinde magnæ potentiæ argumentum, utrùm justa aut injusta sit, parum refert.* c. 10. p. 47.**

Consistit enim honor in solius potentiæ existimatione. Itaque Ethnici antiqui, qui Deos, quos versibus suis cædes aliásque magnas quidem sed injustas actiones commisisse faciunt, non illos, ut existimavêre, dehonestabant, sed valde honorabant: & propterea in Jove nihil magìs celebrabant, quàm ejus adulteria; neque in Mercurio, quàm furta & fraudes, in cujus laudibus ab Homero ponitur hoc, H.

Natus manè, die medio factus Citharœdus,
Armentum Phœbi fur vespertinus abegit.

Antequam magnæ extiterint Civitates, ignominia non erat, sed potius honorificum, si quis terrâ aut mari prædo erat, ut ex historiis antiquis manifestum est, præsertim Græcis. Etiam hodie in hac nostra parte orbis terrarum, pugna singularis privatorum, quamvis illicita, tamen honorifica est, p.47.

Quælibet actio pro excellentiæ modulo gradum sibi honoris vendicat. Honor enim est opinio de excellentia. Actio juxtà justa, magnáque, longè excellentior est aliâ perinde magnâ, ubi justitia desideratur. Abimelechus & David rerum potiebantur apud populum Israeliticum, alter mediis æquis, alter iniquis. Actio utrinque est pariter magna: tamen nemo mentis compos tam honorificè sentit de inhumano Abimelechi facinore, atque de actione heroica Davidis. T.

Davidis. Si per potentiam velis, vires ad apparens aliquod bonum comparandum; toto cœlo erras; cùm asseras honorem in hujus solius potentiæ existimatione consistere. Latius enim est objectum honoris. Si intelligas congeriem mediorum omnium, quæ ad bonum reale (sc. veram felicitatem, quam omnes expetunt) adipiscendum conferunt, ipsa Justitia est pars hujus potentiæ, utpote ea, sine qua vera beatitudo nequit comparari.

Quid si Ethnici Poetico furore correpti, effusis habenis in Deorum laudes excurrant, & magna facinora, quamvis injusta, decantent? Ideóne parùm refert ad actionis honorem apud æquiores rerum æstimatores, utrùm justa aut injusta sit? Philosophi arbitri magìs idonei rotundè pronunciant τῶν δὲ κακῶν οὐδὲν τίμιον· malorum autem nihil honorandum. Τιμὴ δ' ἐστι, τοῖς μὲν ἀμείνοσιν ἕπεσθαι, τὰ δὲ χείρω γενέσθαι βελτίω δυνατὰ, τοῦτ' αὐτὸ ὡς ἄριστα ἀποτελεῖν· Honor est meliora sequi, & ex pejoribus quæcunque meliora fieri possunt, ad melius quàm optimè reducere. Non diffiteor Homerum in Hymno in Mercurium furtum boum Apollinis commemorare; verùm non necesse est, ut arbitremur illum in animo habuisse, ut omnia, quorum memoriam facit in Hymno, in honorem Mercurio cederent. Mirum est, si illum præconiis oneraret ob factum, quod Dii ipsi ab ipsis poëtis odisse perhibentur.

Plato. apud Stob. Serm. 41. p. 261, 262.

> Μισεῖ γὰρ θεὸς τὴν βίαν, τὰ κτητὰ δὲ
> Κτᾶσθαι κελεύει πάντας, οὐκ ἐς ἁρπαγάς.
> Ἐατέος δ' ὁ πλοῦτος ἄδικος ἄν τις ὤν.
> *Namque odit ipse vim Deus, nec divites*
> *Nos esse rapto, sed probè partis cupit.*
> *Spernenda, si non jure veniat, copia est.*

Ostende mihi, ubi prædones in honore fuêre, nisi apud feras & barbaras gentes, quæ latrocinia non il-

licita esse opinabantur: quales fuerunt olim Germani, Saraceni, Ægyptii. Diodorus Siculus refert Ægyptios legem habuisse de furibus, quæ jubebat eos, qui furto animum appellerent, nomen suum apud principem sacerdotum scribere, & è vestigio rem furto adeptam ad eum deferre: tres partes possessori restituebat, quarta furi cedebat in præmium diligentiæ suæ, & in pœnam negligentiæ possessoris. En furtum in honore habitum! verùm tale quod licitum putabatur. Ex honore tali furto indulto, non bene infers ad actionis honorem parùm referre, utrùm justa, an injusta sit. Illi soli hoc latrocinium honore prosequebantur, qui non injustum esse autumabant. Quinetiam, cùm τὸ λῃστεύειν in honore habeatur apud Græcos scriptores, plurimùm non significat, furis aut latronis partes agere, verùm fortissimi militis, qui in Belli spolia involat: hinc λῃΐζεσθαι exponit Suidas per αἰχμαλωτίζειν, & λῃΐδα per λαφυραγωγίαν. λάφυρα sunt spolia in bello è vivis erepta: quemadmodum σκῦλα è mortuis.

Cæs. Com. L. 2.

Othonis Heurni Chaldaicus, p. 51.

Concedo tibi, quòd in hac parte orbis pugna singularis privatorum, quamvis illicita, honorifica sit: verùm apud quos obsecro? An apud legis latores, qui nullum aliud præmium victori adjudicant, quàm scalas Gemonias. Hoccine est, honoribus donari, ad summum patibuli fastigium evehi? An apud pacificos, qui Evangelii spiritu ducuntur? Hi nè minimo honore eos impertiunt, qui legem Christi conculcant, & privatam vindictam, Deo & Magistratui relinquendam, sua sponte exigunt. An apud Bello deditos? Turcæ gens bellicosa privata duella generoso animo prorsus indigna pronunciant. Cùm duo certâssent nobiles, alter eorum, qui periculum evaserat, coram tribunali ad hunc modum fuit increpitus: Unde hæc audacia singulari certamine vindictam moliri? Nonne christiani passim reperiendi sunt, in quibus

bus edomandis specimen virium tuarum exhibere potuisses? Clam te non erat (alterutro occiso) rem Imperatori non parum in damnum cessuram? Romani, bello satis insignes, existimabant, ac si generosum dedeceret pectus famam privatis duellis asserere. Contumeliosissimas voces, quibus plerumque ipse Senatus resonabat, satis habebant retorquere verbis, vel decoro silentio contemnere, & despicatui ducere. An apud homines profligatos, & ad omne scelus audendum projectos? Quemadmodum non infamia est ab infamibus diffamari, (uti utar verbis Senecæ) ità nec honorificum ab iis honore affici. Hi non sunt æqui excellentiæ æstimatores, qui rationis imperium penitus excusserunt. Oculis captum coloris judicem perinde constituamus, atque mentem vitiis occæcatam honoris. Nemo arbiter in hac re idoneus est, nisi bonus & cordatus, apud quem lacessitus, qui certamen detrectat, honorem suum abunde conservabit, & degeneris animi suspicionem longè amolietur; modò notum fecerit, se ex ea causa recusare cum provocante congredi, ne Deum ipsum ad iram provocet, Magistratûs jura perfringat, suæ ipsius conscientiæ lethale vulnus infligat: & insuper (amotâ omni inani gloriâ) declaret se specimen fortitudinis suæ in inculpatæ vitæ tutela daturum, modò provocans aut quispiam alius illum invitum adoriatur.

Dementia est vereri ne ab infamibus diffamemur.

Dogma

Dogma III.

Deus est corpus. c. 12. p. 56. Append. c. 3. p. 360.

AFfirmat quidem Deum esse corpus, sed ante illum idem affirmavit Tertullianus: disputans enim contra Apellem, aliósque sui temporis hæreticos, qui salvatorem nostrum Jesum Christum non corpus, sed Phantasma esse docuerunt, dictum hoc universale pronunciavit, Quicquid corpus non est, non est ens. Item contra Praxeam, Omnis substantia est corpus sui generis. Neque ex ullo ex quatuor Conciliis generalibus hæc doctrina condemnata est. Ostende, si potes, vocem *incorporeum* aut *immateriale* in Scripturis. Ego verò ostendam tibi plenitudinem Divinitatis habitare in Christo *corporaliter*, i. e. (ut exponit Athanasius) dealiter. Omnes sumus & movemur in Deo, sunt verba Apostoli: quantitatem autem habemus omnes. An quantum inesse potest in non quanto? Magnus est Deus, sed magnitudinem intelligere sine corpore est impossibile. Nè à concilio Nicæno definitum est, Deum incorporeum esse. Patres autem qui aderant, (nescio an omnes) ità senserunt. Et ipse Constantinus vocem illam ὁμοούσιον, i. e. coëssentiale, ideo comprobavit, quòd ex ea voce videretur illi sequi Deum esse incorporeum: Nihilominus vocem illam *incorporeum*, quæ nec est in sacra Scriptura, in symbolum inferre noluerunt. Neque verò ex voce *coëssentialis* (quanquam essentia corpus non sit) inferri potest Dei incorporeitas. Pater Davidis & filius Obedi, cùm fuerit unus & idem Jessæus, erant coëssentiales: sequitúrne indè patrem Davidis & Jessæum, esse incorporeos? H.

reos? Præterea, patribus Concilii Nicæni in animo erat condemnare, non modò per illud symbolum Arrianismum, sed etiam hæreses omnes, quæ post mortem Domini in Ecclesiam irrepserant; quarum una erat Anthropomorphitarum, qui Deo corporis membra attribuerant: non autem condemnare eos, qui verum, realem, & purum spiritum corporeum esse cum Tertulliano scripserant. Illi quidem, qui Deo puritatem tribuunt, rectè faciunt; est enim honorificum: sed tenuitatem attribuere, qui gradus quidem est ad nihilitatem, periculosum est. Johannes Damascenus exponens fidem Nicænam, *l.* 1. *c.* 13. Divinorum nominum, iniquit, alia negativa sunt significantia id, quod est supra substantiam, ut ἀνύσιος (id est, sine essentia) ἄχρονος sine tempore, ἄναρχος sine principio, non quòd his inferior sit, sed quòd supra hæc omnia elatus sit. Deus enim in numero entium non est, sed super ea omnia. Vides J. Damascenum Philosophum Aristotelicum (ut videre est ex opere ejus dialectico) eundémque patrem Ecclesiæ & Doctorem pium, dum metuit dicere cum Tertulliano Deum esse corpus, & studet crassitudinem corpoream attenuando, quam (nescio quare) Deo indignam putat, in verba Athea incidit, dicens Deum ἀνύσιον esse, & nihil eorum quæ sunt. *Append. ad Levia. c.* 3. *p.* 360, 361. Quòd autem res eadem & spiritus sit, & incorporea, intelligi non potest. *Levia. c.* 12. *p.* 56.

T. Notandum est, ne errore teneatur Lector, hæc verba [affirmat quidem Deum esse corpus] in Dialogo ad Leviathanem appenso esse tua ipsius verba. Cùm statuas Deum esse corpus, per corpus intelligas necesse est, vel totam materiæ massam, ex qua orbis aspectabilis componitur, vel materiam aliquam tenuem & subtilem, quam oculis non usurpamus.

Si tota materiæ massa sit Deus, tum quælibet pars

pars hujus materiæ eſt Dei pars; & ſi pars quæque, tum una Dei pars movetur, dum interea quieſcit alia; una ſomno premitur, aliâ vigilias agente; una in vivis eſt, dum mortua eſt alia. Abſit à nobis tam demiſsè & humiliter de altiſſimo Numine ſentire. Non incaſsùm agitur, dum hæc notamus; quippe per Deum intelligere videris materiam æternam, quæ in orbem mota tandem diverſas induit figuras, & ad extremum in varias, quibus mundus ornatur, ſpecies coaluit.

Conſule Simplicium c.38. ubi oſtendit principium non poſſe eſſe corporeum.

Si, cùm affirmes Deum eſſe corpus, materia aliqua ſubtilis & tenuis, ab orbe contrectabili diverſa, tibi ſit in animo; coronam expilas cœleſtem & ſplendidiſſimis non vereris gemmis ſpoliare, ſc. Infinitate, Immutabilitate, Immenſitate, Intellectu. Si enim Deus corpus ſit, partibus induatur oportet: hæ partes ſunt vel finitæ vel infinitæ; ſi finitæ, infinitum conſtituere nequeunt; ex finitis enim nil niſi finitum emergit; ſi infinitæ, tum quælibet pars toti æqualis eſt. Infinito nihil majus exiſtit.

Labefactas etiam Immutabilitatem. Omne enim corpus in partes poteſt diduci. Quicquid in partes diducitur, mutatur; res diviſa eandem naturam non uſquequaque retinet, quam unita priùs habuerat. Nec non funditùs evertis Omnipræſentiam. Si Deus corpus ſit, dimenſiones habeat neceſſe eſt. Quod dimenſionibus induitur, præſtò eſſe nequit in ſolidis alterius corporis partibus citra penetrationem: de impoſſibilitate autem penetrationis dimenſionum convenit inter omnes. Denique ſubruis Intellectum Divinum.

C. 11. p. 548. Pam.

Si Deus materia eſt, hæc materia æterna ſit oportet. Si æterna, tum vel ab æterno quievit vel mota fuit. Si prius dicendum ſit, actum eſt de intellectu Divino. Etenim juxta tuam ipſius ſententiam nulla eſt ſine motu intellectio. Si poſterius, à quo, obſecro, mota fuit hæc æterna materia? Non ab alio, quippe nihil præterea ab æterno extitiſſe opinaris. Si à ſe, tum

C. 7. p. 543. Pam.

 eſſentialiter,

essentialiter, & necessariò, vel voluntariè & liberè. Si prius agnoscas, tum hæc materia in omni parte est æqualiter mota; uniformis enim est Dei essentia: & si sit æqualiter mota, impossibile fuit, ut inde emergerent varia mundi phænomena. Essentia Dei, utpote immutabilis, in tot formas non potest effingi.

Consule Simplicium c.38. ubi ostendit principium non posse esse corporeum.

Si voluntariè & liberè, tum mota fuit, quia voluit moveri: verùm nulla est volitio absque intellectu, nullus intellectus absque motu. Ergo perinde est ac si diceres, mota fuit ab æterno, quia mota fuit. Nihil insuper super hac re opus est adjicere præter tuum ipsius argumentum. 'Vel enim movebitur 'dextrorsum vel sinistrorsum, sursum vel deorsum, vel 'simul undiquaque. Posterius fieri nequit, neque 'ulla est ratio in corpore simpliciter spectato, cur 'potius in unam partem moveretur, quàm in aliam: Ergo non omnino movebitur. Quod Tertullianum attinet, cui plurimùm inniti videris, regero, 1. Me non posse peritiæ tuæ, in eo interpretando nimis confidere, qui videris in locis laudatis Tertullianum ipsum non consuluisse. Asseris enim illum dictum hoc universale pronunciâsse in *lib.* contra Apellem, aliósque sui temporis hæreticos, Quicquid corpus non est, non est ens. Item contra Praxeam, Omnis substantia est corpus sui generis; Cùm hæc novissima verba non reperiantur in *lib.* contra Praxeam, nec priora in *lib.* de carne Christi contra Apellem, aliósque hæreticos αὐτολεξεί, prout à te citantur. Verba contra Apellem, &c. hæc sunt: Omne quod est, corpus est sui generis; nihil est incorporale, nisi quod non est. Adversùs Praxeam; Quis enim negabit Deum corpus esse, etsi Deus Spiritus est? Spiritus enim corpus sui generis in sua effigie. 2. Animadvertendum est hanc vocem *corpus* duplici significatu indui apud Tertullianum: vel enim ponitur pro natura passibili, vel nuda rei essentia. Corporis Etymon ab hoc

C. 11. p. 548. Pam.

C. 7. p. 846. Pam.

hoc novissimo sensu non multùm abludit. Componi enim videtur ex *Cor*, & *por*. *Por* pro puer Antiqui dicebant; ut *Marcipor*, *Quintipor*, *Publipor*. Putârunt enim essentiam hominis in corde potissimùm sedem suam habere: & quippe quòd instar pueri inibi saltare, & tripudiare videtur, utì constat ex cordis palpitatione, eam corpus, hoc est cordis puerum appellabant. Literæ *u*. & *o*. plerumque permutántur, & *r*. sæpenumerò usurpatur pro *s*. ut *honos*, *honor*. 3. Cùm Tertullianus Deum corpus appellet, Corpus in posteriori accipit significatu, sc. pro nuda essentia & substantia. Ità enim corpus accipi videtur in *lib.* contra Hermogenem, *c.* 25. Pam. *p.* 420. Ut concedam interim aliquid incorporale de substantiis duntaxat: cùm ipsa substantia sit corpus rei cujusque. Idem super hac re nobiscum sentit S. Augustinus. De hæresibus, *ad quod-vult-Deum*, de Tertulliano loquens in hæc verba erumpit. 'Posset enim quoquo 'modo putari, ipsam naturam substantiámque Divi-'nam corpus vocare, non tale corpus, cujus partes 'aliæ majores, aliæ minores valeant vel debeant 'cogitari, qualia sunt omnia, quæ propria dicimus 'corpora, (quamvis de anima tale quid sentiat:) 'sed potuit (ut dixi) propterea putari, corpus 'Deum dicere, quia non est nihil, non est inanitas, 'non est corporis vel animæ qualitas: sed ubique to-'tus, & per locorum spatia nulla partitus. Hæc Augustinus. 4. Si Tertullianus vocem *corpus* in priori sensu accepisset, tamen vestigia ejus à nobis non essent premenda hac in re. Si omnia à Tertulliano defensa in patrocinium nostrum accipere teneamur, in sententiam Montani protinus eundum est: nec non adhibenda est fides cæteris omnibus paradoxis, quorum justum catalogum exhibuit nobis Pamelius in editionis suæ vestibulo. *Hæres.* 86.

Non tanti ponderis est sententia unius hominis, ut

degravare mereatur autoritatem totius Ecclesiæ Catholicæ. Cæteri omnes Patres pleno ore pronunciant, Deum esse incorporeum: item Anthropomorphitas, sive Audianos, qui aliter sensisse perhibentur, eò usque opinantur errâsse, ut eos in hæreticorum numerum referre non vereantur: ut videre est in Epiphanio, Augustino, Theodoreto, Damasceno, &c. Quatuor prima concilia non coacta fuêre ad judicium ferendum de hac sententia. Primum eorum celebratum fuit ad condemnandam Arrii doctrinam, secundum Macedonii, tertium Nestorii, quartum Eutychis. Nullum eorum ad redarguendam sententiam à te propugnatam. Consensum non arguit silentium, nisi ubi propositum nos fari obstringit. Si quid in tuo ratiocinio sit ponderis, pariter concludas Atheismum non displicuisse quatuor primis conciliis, quippe ab iis nullus sancitur Canon ad Atheos condemnandos. Dum jubes, ut ostendam, ubi vox *incorporeum* aut *immateriale* occurrit in Scriptura, operam ludis. Si vox ostendi non potest, tamen res centies invenitur, sc. ubicunque Spiritus Sanctus Deo immutabilitatem, omnipræsentiam, cæteràsque proprietates attribuit, quæ cum natura corporea nequeunt consistere. Quinetiam Deus *Spiritus* nuncupatur, *Joh.* 4. 24. h. e. non corpus tenue, sed ens omnis corporeitatis expers, uti constat ex scopo, ad quem Christus collimat. Quandoquidem, ut commonstret res corporeas, quæ in usu fuêre Samariæ & Hierosolymis, in cultu minimè placere, argumentum ex eo desumit; quòd Deus sit Spiritus, i. e. essentia incorporea. Qui per *Spiritum* corpus tenue intelligit, nervos illationis incidit. Dein Deus dicitur ἄφθαρτος, ἔχων ἀφθαρσίαν; quod perinde est ac si incorporeus & immaterialis diceretur. ἄφθαρτος est vel naturâ vel gratiâ: si naturâ, corpus esse nequit. Omne corpus citra gratiam, corruptioni obnoxium est. Si gratiâ, cujus obsecro? vel inferioris

Vid. Hier. *Epist.* 65. p. 229.

Rom. 1. 23. 1 *Tim.* 6. 16.

inferioris vel superioris. Prius non est dicendum: Superius enim immortalitatem suam inferioribus acceptam non fert. Neque posterius: Supremo Numine nihil superius.

Plenitudo Divinitatis in Christo σωματικῶς habitâsse dicitur propter hypostaticam unionem inter Divinam & humanam Christi naturam, cujus altera pars corporea est.

Non ingratiis fatemur, quòd sumus & movemur in Deo, & quantitatem habemus omnes. Indè ad sciscitandum inductus es, an quantum inesse potest in non quanto? Imò nunquam non; nam quantum intra suas dimensiones nequit alienas admittere. Intus existens prohibet alienum.

Magnus est Deus, imò etiam Optimus Maximus: verùm magnitudo, quæ Deo convenit, immensitatem solam infinitam significat, non extensionem impenetrabilem, & divisibilem, in qua Corporis ratio sita est.

Patres Nicæni vocem *incorporeum* in Symbolum non intulerunt: verùm res ipsa ibi in conspectum datur; & de re non de voce litem tibi intendimus. Pater παντοκράτωρ Omnipotens nuncupatur: qui omnipotens, infinitus; qui infinitus, incorporeus est. Nullum corpus infinitum esse suprà demonstratum est. Synodum non ex ea causa vocem omisisse, quòd super ea re animus ei penderet, Tu ipse perlibenter nobis concedis. Ex voce ὁμοούσιος inferri potest Christi incorporeitas quoad divinam naturam: Nam si Christus sit ejusdem cum Deo essentiæ, & Dei essentia necessariò incorporea sit, (utì suprà demonstratum est;) necesse est, ut idem de essentia Christi quoad divinam naturam existimemus. Hinc Constantinus Magnus in explicatione vocis ὁμοούσιος, Dei naturam φύσιν ἄυλον καὶ ἀσώματον, h. e. immaterialem & incorpoream, appellat. Ineptum planè est, quod tibi visum est

Socr. 1.*l.* c. 5.*p.*10. Theod. *Hist.* 1.*l.* *p.* 26.

adjicere de filio Obedi, & patre Davidis. Non invitus concedo eos fuisse coëssentiales, h. e. unum & eundem Jessæum: verùm essentia composita fuit, nempe spiritualis quoad animam, materialis quoad corpus. Quapropter non potest non indè sequi, patrem Davidis & Jessæum fuisse incorporeos quoad illam essentiæ partem, quæ immaterialis perhibetur. Patribus Concilii Nicæni non in animo erat per Symbolum omnes hæreses ἀντολεξεὶ condemnare, sed tantùm διανοητικῶς. Et in hoc sensu nigrum Theta tuæ apposuit sententiæ, ubi Deus dicitur ποιητὴς οὐρανοῦ καὶ γῆς, ὁρατῶν τε πάντων καὶ ἀοράτων. Qui omnia ex nihili abysso eduxit, viribus instructus sit oportet infinitis. Vires infinitæ nullibi nisi in Ente infinito sedem habent. Ens infinitum corporeum esse nequit, utì suprà dictum est. Patres in edenda fidei formula potissimùm intuebantur in hæresin Arrianam. διὰ τὴν προσφάσει τῆς τοῦ ὁμοουσίου προσθήκης τὴν δὲ

Hist.l. 1. p. 26. τὴν γραφὴν συντεθείκασιν· Illi autem propter hanc vocem *consubstantiale*, istam fidei formulam ediderunt, inquit Theodoretus. Cave, ne autumes, quicquid à Patribus illis pro hæresi habebatur, in tam brevi formula definitè & nominatim condemnari posse. Rectò ictu Arrium confodit symbolum: Cæteros hæreticos obliquo: in quantum omnibus ante oculos ponit Apostolicam normam, sui & etiam obliqui indicem. Non rectè innuis tenuitatem esse gradum ad nihilitatem. Eò remotius est aliquid à nihilo, quò plus habet entitatis. Entitatis maximum argumentum sive indicium est vigor. In tenui corpore longè alacrior est vigor, quàm in crassiori: utì patet ex spiritibus animalibus & vitalibus.

Crimen Atheismi verbis Damasceni minimè debet impingi, ubi Deum ἀνούσιον appellat, sine essentia. Per essentiam enim solummodò intelligit essentiam creatam. Palàm enim declarat hoc nomen Deo ex ea re in-

L. 1. c. 13. orth. fid.

ditum

ditum esse, ὅτι πάντων ὑπεροχικῶς τῶν ὄντων ἐξῄρηται: quòd super omnia eorum quæ sunt elatus est. Ubi per πάντα intelligit omnia facta & creata, utì constat ex verbis proximè præcedentibus. αὐτοῦ γάρ ἐστι πάντα, καὶ ἐξ αὐτοῦ καὶ δι' αὐτοῦ γέγονε· Illius sunt omnia, & ex illo & per illum facta sunt. Hanc sententiam, quæ omnem suspicionem Atheismi à verbis Damasceni longè amolitur, quamvis sit in meditullio loci citati, alto silentio supprimis. Vapulat Damascenus, eò quòd in verba Athea incidat: Quàm graves pœnas Tu ipse merearis, qui non verba solùm, sed etiam sensum Atheum non erubescis passim volubiliter fundere? Quod novissimo occurrit loco (scilicet quòd res eadem & spiritus sit & incorporea intelligi non potest) te minimè omnium oportet asserere, qui non habes, ubi pedem sistas, cùm inficieris spiritum esse posse, & corporis naturam aperire moliaris. Cùm enim Autoritas Ecclesiæ Anglicanæ te premat, quæ asserit in primo ex 39. Articulis Religionis, Deum esse sine corpore & sine partibus; Respondes, Non negabitur: & tamen paulò pòst, ac si oblivio hujus concessionis tibi subrepsisset, apertis verbis profiteris Deum esse corpus. Quinetiam cùm conatus tuos inflectas ad explicandam corporis naturam; primò asseris in Leviat. *c.* 34. *p.* 185. quòd corpus significat universaliter, id quod locum aliquem certum implet, sive occupat, nec dependet (ut locus ipse) ab imaginatione nostra; sed pars est realis ejus, quod vocamus Universum: Verùm postea (in append. ad Leviat. *c.* 1. *p.* 344.) in hæc verba erumpis: Ego per corpus nunc intelligo id, de quo verè dici potest, quòd existit realiter in seipso, habétque etiam aliquam magnitudinem; habet, inquam, magnitudinem, non quòd sit magnitudo ipsa. Menimi tamen, quòd corpus putârim aliquando id solum esse quod tactui meo vel visui obstat. Hæc verba ab A. prolata sunt, quæ

Append. c. 1. *p.* 345.

Append. c. 1. *p.* 344.

dum interea in Idola sua, h. e. in effrænatas & indomitas libidines, mille centum impendere non gravantur.

Quinetiam liceat adjicere Ministrorum alimoniam esse tributum Deo oblatum, quem devincimur de substantia nostra honorare. Ex ea re conqueritur Deus se esse spoliatum, cùm oblationes Levitis adimerentur : verùm Principis est de quota sui tributi parte statuere.

Pro. 3. 9.

5. Neutiquam verisimile est Deum in re tantopere necessaria suæ defuisse Ecclesiæ. Qui finem præfigit, solenne est ei, media pariter designare. Deus singulas Christi Ecclesias tanquam tot erexit candelabra, quibus ministros tanquam tot lumina inseruit. Ad hæc lumina alenda oleum perquam necessarium est. Si non satis infundatur, lux multùm admodum debilis & subobscura evadet. Si nimium, submergetur protinus & in fumum abibit. Itaque cùm adeò proclives sint homines vel avarâ vel prodigâ manu hoc oleum subministrare ; arbitrari rationi perquam consonum est, Deum suæ prospexisse Ecclesiæ in re tanti momenti, & lege quotam partem fixisse.

6. Si paginam sacram excutiamus, constabit Deum voluisse, ut in Ministrorum mercedem sub Evangelio decima bonorum pars devoveretur. 1. Liquet Abrahamum Melchisedecho decimas persolvisse, Heb. 7. 2. Hasce Melchisedecho persolvit decimas non tanquam Regi sed tanquam Sacerdoti. Ex ea re hoc Abrahami factum commemorat Apostolus, ut ostendat Sacerdotium illius Levitico longè anteponendum esse ; & proinde Christi Sacerdotium juxta ordinem ejus Levitico palmam præripere. 3. Melchisedecho tanquam sacerdoti has decimas impertitus est non ex solis Belli spoliis : verùm ex præcipuis bonis, quæ ἀκροθίνια appellantur. Cùm dictum

dictum sit, Abrahamum separâsse decimas ex omni re, quæ erat apud se, λάφυρα sola non sunt intelligenda. Nihil enim omnino nè vel filum vel corigiam calceamenti sibi de præda retinuit. 4. Hasce decimas numerat Melchisedecho juxta legem. Instituitur enim inter Melchisedechum & Levitas comparatio. Verùm commate quinto dicuntur Levitæ præceptum habuisse decimarum accipiendarum. Ergo par est, ut credamus Melchisedecho itidem fuisse legem accipiendi decimas. Per totam enim comparationem Levitis longissimè præfertur. Verum multùm admodum nobilius & honorificentius est decimas accipere ex præcepto divino, quàm ex humano placito. 5. Non constat Deum hanc legem sub Evangelio refixisse. Coætaneam subeunt mutationem lex & pontificatus. Simul nascuntur & concidunt, Heb. 7. 12. Itaque cùm usque adhuc Melchisedechi maneat pontificatus, necesse est, ut idem de lege decimarum sentiamus.

Quinetiam, qualis ratio legis, talis est lex: verùm legis decimarum ratio sub novo Testamento perinde valida est, atque olim sub veteri. Nunc dierum Deus honore perinde afficiendus est. Ministri pariter alendi. Juxtà desideratur facultatum benedictio. Hisce in veteri Instrumento munitur rationibus lex decimarum. Porrò in novo nullibi abrogatur hoc præceptum. Ab antiquatis legibus est naturæ longè alienæ. Facta enim est in eis mutatio propter ipsarum infirmitatem & inutilitatem, Heb. 7. v. 18. Cæterùm in lege decimarum nulla est hujusmodi inutilitas. Verùm enimverò ex ea Ministerio Evangelico, è quo pendet salus nostra æterna, maximum accedit commodum. Hoc fulcro adempto, protinus in terram rueret hoc munus cœleste. Hinc est, quòd Apostolus

stolus jubeat, ut communicet is qui instituitur sermone, ei qui instituit illum ἐν πᾶσι ἀγαθοῖς omnibus bonis, non πάντα ἀγαθὰ omnia bona, sed aliquam ἀπὸ πάντων partem, secundùm Abrahami fidelium patris exemplum. 6. Si hæc lex de decimis Melchisedecho solvendis non abolita sit, tum etiam Christo ipsi solvendæ sunt sacerdoti secundùm ordinem Melchisedechi. Eadem τάξις eadem jura postulat. 7. Si Christo solvendæ sint, tum vel in sua ipsius persona vel in Ministris. Christus ipse jam in Cœlis est, quò decimæ vehi nequeunt: Idcirco ei solvendæ sunt in Ministris, qui in terris
2 Cor. 5. 20. ejus personam gerunt. Ex omnibus hisce simul collatis liquet, fideles ex Dei præscripto devinctos fuisse ad alendum Apostolos decima bonorum suorum parte.

Quantùm ad ea quæ à te prolata sunt, regero: Quamvis, Christo in terris agente, ejus alimenta nec non Apostolorum plurimùm penderent ex voluntariis contributionibus, quippe statui præsenti (in quo se exinanire statuerat, & decimæ etiam, Sacerdotio Levitico nondum abolito, erant solutæ) maximè consentaneis: tamen satis innuere videtur decimas ex mortis suæ tempore in Ecclesia Christiana mansuras fore. Ubi etiam Pharisæos perstringit, eò quòd de minimis anxii essent, & res maximi momenti nihili facerent, decimarum solutionem non omittendam fore palàm declarat, Mat. 23. 23. ἔδει inquit μὴ ἀφιέναι. Nihil hujusmodi de lege Ceremoniali ad mortem suam desiturâ, tam solenniter dictum invenimus per totum Evangelium. Apud Dominum nostrum in more positum fuit legem istam gradatim è cardinibus amovere, & sollicitè cavere, ne vel unum verbulum ex ore suo excideret, quod ad eam stabiliendam conferre videretur. Probè enim intellexit Judæos omnes ei fuisse

fuisse satis superque agglutinatos. Post servatoris nostri ascensum usque ad Imperatorum conversionem, quamvis prae deploratissimo Christianorum statu, ministri ad decimarum possessiones admitti non potuerint: tamen antiquitatis monumentis non desiderantur testimonia, quibus intellectum habeamus, quid jam tum de suo ad eas jure existimârint. Suprà ostensa dedimus, quae in Epistolis Paulinis super hac re sunt conspicienda. Praetereo constitutiones Apostolicas, in quibus jus decimarum palàm asseritur; quippe nondum de earum inter omnes convenit autoritate.

Origenes circiter annum ducentesimum post Christum clarè pronunciat legem de decimis secundùm literam observandam esse. Nullius momenti est, quod regerit Seldenus ad labefactandum hoc luculentum testimonium, nimirum Origenem in Homilia laudata, se totum ad disserendum de primitiis accinxisse, & in conclusione mentionem omnino omisisse decimarum: verùm quid obsecro refert, si decimae in conclusione non commemorentur, cùm eas in praemissis reperiri non diffiteatur? Origenes mandato de decimis utitur tanquam medio, ad demonstrandum jus Primitiarum. Verùm conclusionem nunquam ingreditur medium. *Homil. in num. 18.*

His adjici potest Cypriani testimonium. "Quae "nunc ratio & forma in Clero tenetur, ut qui "in Ecclesia Domini ordinatione Clerica promo-"ventur, in nullo ab administratione divina avo-"centur, nec molestiis ac negotiis secularibus alli-"gentur, sed in honore sportulantium fratrum tan-"quam decimas ex fructibus accipientes, ab al-"tari & sacrificiis non recedant, &c. *Ep. 66. ed. Pam.*

Fratres sportulantes sunt qui sportulas, sive *mensurnas* divisiones accipiebant. *Sportulæ* nomine intelligendum est stipendium quod clericis per menses aut dies singulos ab Episcopis distribuebatur, Cùm à Cypriano dictum sit clerum sportulas tanquam decimas accipere, mihi videtur planè innuere, clero jam tum non defuisse jus accipiendi fructuum decimas.

Ex his liquet te plurimùm à veritate deflectere, cùm asseras, ante Imperatorum conversionem decimarum mentionem esse nullam.

Et jam incudi ea reddidimus omnia, quibus potestatem Ecclesiæ subruere conatus es : Coronidis loco te monitum volo, ut memoriâ reponas, potestatem, cujus suscepimus defensionem, esse ordinis vel jurisdictionis : Illa est potestas solenniter prædicandi, administrandi sacramenta, Ministros ordinandi, &c. Hæc triplex est, dirigens, judicans, exequens. Dirigens se exerit in Canonibus condendis. Judicans in expendendis more judiciali hominum actionibus ad Canonem. Exequens in excommunicandis immorigeris & absolvendis veram agentibus pœnitentiam. Potestas utraque, quamvis quantùm ad originem, ad Christum Mediatorem & Redemptorem referenda sit, & ex ea re sit distincta à Civili, quæ Deo Mundi Rectori initium suum fert acceptum : tamen cùm intra Civilis potestatis dominia & territoria sit exercenda, quantùm ad exercitium à Magistratu Civili plurimùm pendet. Christus, qui fons est, alveum designavit, intra cujus ripas eam contineri voluit. Si non liberè fluat, Magistratûs est obicem amovere : Si exundet, & extra ripas diffluat, ad alveum proprium reducere ; & ex omni parte ità moderari, ut Communitas, cui præest, nihil indè detrimenti capiat. Præ hac quoad exercitium dependentiâ

pendentiâ Regni statutis declaratum est, Jurisdictionem Ecclesiasticam esse unitam & annexam Imperiali hujusce Regni Coronæ: & nullos Canones condendos esse citra regiam licentiam & assensum. *1 Eliz. c.1.*

Potestatis Ecclesiasticæ originem Reges Angliæ sibi non vendicârunt: sed tantùm hujusmodi moderamen, quantùm ad exercitium, quale delineavimus: "Eam sc. prærogativam, quam in sacris scripturis à Deo ipso omnibus Principibus videmus semper fuisse attributam; h. e. ut omnes status atque ordines fidei suæ à Deo commissos, sive illi Ecclesiastici sint sive civiles in officio contineant, & contumaces ac delinquentes gladio civili coerceant. *25 Hen. 8. 19.* *Art. relig. 37.*

Dogma

Dogma XXIX.

A Mose usque ad Saulis tempora summa potestas mansit in summo sacerdote, c. 40. p. 223.

H. IDem pactum (sc. quod cum Abrahamo initum) renovatum erat cum Isaaco, & deinde cum Jacobo, postremò cum Mose & Israelitis ad montem Sinai, ubi facti sunt Israelitæ in regnum Dei peculiare, rexitque eos sub Deo (pro suo tempore) Moses, cui succedere debuerunt summi sacerdotes, nempe, ut esset regnum Sacerdotale in perpetuum. p. 220. Mortuo Aarone regnum (quod erat Sacerdotale) virtute pacti ad Eliazarum pervenit filium Aaronis summum Sacerdotem, atque illum summam habere potestatem declaravit Deus eo tempore, quo Joshuam ducem fuit exercituum. Dicit enim Dominus, Num. 27. 21. Tolle Joshuam filium Nun virum, in quo est Spiritus Dei, & pone manum tuam super eum, qui stabit coram Eliazaro Sacerdote & omni multitudine, & dabis ei præcepta cunctis videntibus, & partem gloriæ tuæ, ut audiat eum omnis Synagoga filiorum Israelis. Pro hoc siquid agendum erit, Eliazar Sacerdos consulet Dominum. Ad verbum ejus egredietur & ingredietur ipse, & omnes filii Israel cum eo, & cætera multitudo. Belli ergo & pacis in Sacerdote potestas summa erat,&c. Post mortem Joshuæ usque ad regnum Saulis tempori intercedenti nota inditur passim in libro Judicum. *Quòd illis diebus non erat rex in Israel*,&c, Verùm si summæ potestatis non exercitium consideraverimus sed jus, mansit summa potestas etiam tunc in Sacerdote summo. Quæcumque

que ergo obedientia judicibus illis (qui à Deo ad liberationem populi sui è manu hostium extraordinariè electi erant) præstita fuerit, in argumentum trahi contra summi Sacerdotis summam potestatem non potest, neque in rebus politicis neque in divinis. Neque enim judices illi, neque ipse Samuel aliam potestatem habuit quàm extraordinariam & temporariam. Obeditúmque illis erat à populo non ex debito, sed ex reverentia, quam genuit in illis gratia divina in eorum prudentia, fortitudine, vel felicitate elucescens. c. 40. p. 222, 223, 224.

Ut mente capiamus in quo sita fuerit potestas summa à Mose usque ad Saulis tempora, præmittendum est, 1. Potestatem innuere facultatem moralem administrandi communitatem, & in tribus se potissimùm ostendit, nempe in sanciendis legibus, judiciis ferendis, transgressionibus puniendis. 2. Hæc potestas tunc summa habenda est, cùm actus illius nullius hominis arbitrio irriti reddi possint. Jam nobis incumbit investigare, utrùm talis potestas intervallo à te commemorato penès summum Sacerdotem manserit. Si penitiùs consulantur sacra Oracula, nullus dubito quin constiterit, adversam sententiam ad veritatis similitudinem longè propensiorem esse. Non ingratiis concedis Mosem pro suo tempore summâ potestate fuisse præditum. Juxtà clarum mihi videtur, Mose fatis defuncto, hoc imperium ad Joshuam & non ad summum Sacerdotem delatum fuisse. Legem enim ex Dei ore præscripsit ipsis Sacerdotibus de expugnanda Jerichunte. Judicis officium præstitit in exquirenda Achani prævaricatione; necnon in addiscendo prævaricatorem supplicio specimen summæ potestatis minimè obscurum exhibuit. Fœdus, quod Gibeonitæ cum Joshua iniisse dicuntur, cum toto populo Israelitico initum fuit: quod indicio est, Joshuam egisse in nomine totius populi. *T.*

Liceat

Liceat inferre vel ex impositione manuum Mosaicarum provinciam priùs ad Mosem spectantem in illum derivatam fuisse. Mortuo Joshuâ, summum imperium tyrannicum fuit aliquantisper penès Cananæos, qui Israelitas compulerant cervices jugo suo submittere. Contenti fuêre tributis in agnitionem suprematûs solvendis; jure Chiliarcharum, Centurionum, reliquorúmque inferiorum judicum interea permisso. Populo Israelitico ad id angustiarum redacto, ut ad Deum clamare impelleretur, Deo placitum fuit judicies excitare, qui imperium à Cananæis usurpatum sibi assererent. Hi belli tempore summâ pollebant autoritate; uti patet ex Gideonis & Jephthæ actis; necnon etiam aliquando bello finito. Hinc populus ad Deboram Judicii causâ confugere perhibetur: & Samuel dicitur quotannis conventus juridicos indicere. Veritati penitùs absonum est asserere, mortuo Aarone, regnum ad Eliazarum pervenisse. Si fas sit ex hisce verbis [pro hoc
Num.27.21. siquid agendum erit, Eliazar Sacerdos consulet Dominum, ad verbum ejus egredietur & ingredietur ipse & omnes filii Israelis] colligere summum imperium non ad Joshuam, verùm ad Eliazarum spectâsse; æquè bene inferas temporibus Davidis summam potestatem non ad Davidem, sed ad summum Sacerdotem pertinuisse. Quippe quòd Sacerdos ibi tum Oraculum consulebat, & David unà cum exercitu ad verbum prolatum solebat vel ad prælium egredi, vel regredi in castra. Quinetiam hoc ex loco non patet Joshuam populúmque Israeliticum egredi debuisse ad verbum Eliazari: sed tantùm ad verbum Domini è Pectorali loquentis, על פיו יצאו egredientur ad os ejus h. e. Jehovæ. Huic favet interpretationi versio Arabica. *Ingrediantur ex jussu Dei & egrediantur.* Cùm Urim consuleretur, non constat Oraculum à Sacerdote fusum fuisse: verùm respondisse

respondisse Jehovam solum per insolitum Pectoralis fulgorem, utì opinatur Josephus; vel per vocem intra concavas Rationalis plicaturas formatam, utì nuperrimè ostensum est à viro doctissimo humanissimóque in sua de Urim & Thummim dissertatione.

Citra rationem etiam asseritur eo tempore, quo dictum est [diebus illis non erat rex in Israele] summæ potestatis exercitium solùm defuisse, verùm mansisse jus in Sacerdote summo. Si res ità sit, quare nunquam increpitus est summus Sacerdos ob incuriam in fungendo hoc munere? Proculdubio Spiritus Sanctus scelus adeò horrendum silentio sepeliri non pateretur. Ostende vel unum apiculum, ubi memoria hujus culpæ in sacris literis conspicienda est.

Cùm insuper innuas potestatem Judicibus & Samueli indultam in argumentum trahi non debere contra Sacerdotis potestatem summam, quippe potestas illa fuit extraordinaria; mihi videris errore teneri. Potestas illa extraordinaria censenda est, quæ est præter vel contra ordinem stabilitum. Verùm eo tempore nullus alius ordo à Deo institutus fuit. Regimen enim erat verè Theocraticum. Utque notum omnibus fieret Deum manu suâ sceptrum tenere, placuit ei aliquantisper interregna permittere, & tandem peculiari afflatu aliquem excitare, qui judicis officium præstaret. Hic fuit istorum temporum ordo. Itaque potestas judicibus concessa pro extraordinaria nequaquam censenda est.

Dogma

Dogma XXX.

***Regnum Christi ante resurrectionem non inceptūrum est*, c. 41. p. 227.**

H. REgnum meum (inquit Christus) non est hujus mundi. Quoniam ergo post hunc mundum mundus futurus ille est, in quo terra nova & cœli erunt novi, i. e. post resurrectionem, manifestum est regnum Christi ante resurrectionem incepturum non esse. Id quod intelligi debet ex verbis Salvatoris nostri, Mat. 16. 27. Filius hominis veniet, &c. & tunc retribuet unicuique, &c. Jam retribuere unicuique secundùm opera sua idem est quod regnum administrare; & propterea Christus regnum exercitūrus non est, antequam veniat in gloria patris, nempe post resurrectionem universalem. Quando Christus dicit Mat. 23. 2. Scribæ & Pharisæi sedent in Cathedra Mosis, omnia ergo quæcunque facere jubent, ea observate & agite; nonne apertè pro eo tempore non sibi potestatem summam sed illis tribuit? Sic etiam facit Luc. 12. 14. Quis me constituit Judicem aut divisorem super vos? Item Joan. 12. 47. Non veni ad judicandum, sed salvandum mundum. Attàmen in hunc modum venit Christus, ut regnaret & judicaret, sed mundum futurum, &c. Item expresfsè dicit Sanctus Joannes, c. 5. 22. Pater judicat neminem, sed judicium omne commisit filio. Neque tamen repugnat hoc cum textu illo, Non veni ad judicandum mundum. Nam textus hic de mundo præsente, alter de mundo futuro loquitur: Sicut etiam textus ille Mat. 19. v. 28. ubi Christus dicit, Vos qui sequuti estis me in regeneratione,

neratione, cùm sederit filius hominis in sede majestatis suæ, sedebitis & vos super sedes duodecim, judicantes duodecim tribus Israel. c. 41. p. 227, 228.

Nequeo perduci, ut credam, regnum Christi ante novissimam resurrectionem non incepturum, donec diluta sint adversa argumenta, quorum plena sunt Sacra Oracula. Præcursor Messiæ palàm denunciat regnum cœlorum appropinquare, Mat. 3. 2. Regnum cœlorum est Christi regnum, sc. Ecclesiæ status sub Messiæ imperio, ubi omnia ad vitam cœlestem conducentia clarè patefecerit. Hoc regnum ἤγγικε appropinquavit in præterito: vox innuit saltem tempus non procul abesse, à quo initium suum esset ducturum. Christus ipse dicit, Sunt quidam de hîc stantibus, qui non gustabunt mortem, donec videant filium hominis venientem in regno suo, Mat. 16. 28. Num existimas è discipulis aliquos etiamnum in vivis esse, & è vita non demigraturos ante secundum Christi adventum? Nimis dilutum est hæc verba (uti alibi facis) ad transformationem in monte referre, quæ contigit sex diebus interpositis. Cùm à Christo dictum sit aliquos è discipulis de vita non exituros ante illud tempus, palàm est illum longius temporis intervallum in animo habuisse. Nulli enim discipulorum ante transfigurationem extremum diem morte confecerunt. Ad Christi mentem facilem aditum habituri sumus, si loci scopum pensitemus. Cùm in priori commate de adventu in die novissimo egerat, ne discipuli regnum ejus in id tempus procrastinari putarent, & ex ea re animi discruciarentur, protinus subjungit, id brevì incepturum, sc. post suam ipsius resurrectionem; nimirum cùm in cœlum ascenderet, spiritum indè mitteret ad erigendum thronum in fidelium cordibus, hostium aliquos quamvis pervicacissimos per vim miraculosam in sui obsequium T.

quium edomaret, eorum alios insigni interitu ad excidium Hierosolymitanum futuro extingueret. Ut hujus rei fidem faceret, transfigurationem lapsis sex diebus tanquam pignus concessit.

Immane dictu est, regnum Christi ante resurrectionem universalem non incepturum esse, cùm Sanctus Paulus id jam tum desiturum pronunciat. Tunc denique quoad externam *οἰκονομίαν* Patri reddetur, 1 Cor. 15. 24. Christus jam ad clavum sedet, Ecclesiam aureo tuetur sceptro, ferreo hostes comminuit. Ad extremum, cùm hostes eò fuerint redacti, ut ampliùs nocere nequeant, (quod scimus in die judicii fore) tum demum regnum tradet in manus Patris. Hisce concinit Matthæi illud de Christo, c. 28. *Omnis potestas mihi data est*, non *dabitur*; eo tempore, non seculo futuro. Num verisimile tibi videtur Christum protinus post suam ipsius resurrectionem potestatem regendi concessam habuisse, & tamen eam ante universalem resurrectionem non exerciturum?

Jo. 18.36. Textus à te prolati nullius erunt ponderis apud æquum arbitrum. Regnum Christi non est hujus mundi, *h.* e. non est mundani genii aut indolis, qualis erat imperium Romanum. ἡ αὐτοῦ βασιλεία οὐ κοσμικὴ μὲν οὐδ᾽ ἐπίγειος, ἐπουράνιος δὲ καὶ ἀγγελικὴ τυγχάνει· Regnum ejus non est mundanum, neque terrenum, verùm cœleste & angelicum: uti cognati Christi Domitiano respondent apud Eusebium. Notandum, Sacram paginam Ecclesiæ duplicem statum attribuere, alterum ante, alterum post Messiæ tempora. Prior à Judæis dicitur עלם הזה mundus hic, posterior עלם הבא mundus futurus, quibus concinit Apostolus, ubi illum *αἰῶνα τὸν ἐνεστῶτα* appellat, Gal. 1. 4. hunc *αἰῶνα τὸν μέλλοντα*, Heb. 6. 5. Cùm dicitur, Regnum meum non est hujus mundi, non sequitur id fore mundi futuri post ultimam resurrectionem.

Hist. Eccl. L. 3. *c.* 15. *p.* 65.

Si

Si Christus ad aliquem mundum futurum collimet, existimare convenientissimum est, eum esse statum Ecclesiæ protinus à morte ipsius, qui nomine seculi futuri passim innotuit. Munus propheticum obiit, dum hæc vita supererat, sacerdotale in morte, regium post mortem non tantùm internè per spiritum, verùm externè per Apostolos & Pastores, qui in gubernanda Ecclesia versabantur. Cùm Christus venerit, ut unicuique secundùm opera retribuat, non personam regis induere incipiet, sed Judicis. Longè priùs partes regias sibi mandatas habuit. Jam singuli pro tribunali sistendi sunt, & diligenter excutiendi; utrùm ejus regimini per hujus vitæ curriculum se morigeros præstiterint. Cùm colligas ex Mat. 23. v. 2. (ubi in mandatis est, ut observentur, quæ Scribæ & Pharisæi in Mosis Cathedra docuerunt) Christum illis non sibi potestatem tribuere, perinde facis, ac si assereres Regem sibi summam potestatem adimere, cùm jubeat in diplomate, ut Magistratibus à se constitutis pareatur. Mandatum, ut obedientia potestati devolutæ præstetur, quali Scribæ & Pharisæi præditi fuêre, summum imperium non labefactat. Christus herciscundæ familiæ judicium sibi assumere noluit, ne praxi suâ Judæorum de regno temporali errorem foveret. Asserit quidem se venisse non ad judicandum, sed salvandum, Jo. 12. 47. verùm vox judicandi non partes regis, sed judicis denotat. Ex antithesi inter voces salvandi & judicandi palàm est, *judicare* accipi pro *damnare*. Christus in hac vita immorigeros regit, post mortem ad infernum damnabit. Textus ille Jo. 5. 22. *Pater omne judicium commisit filio*, non loquitur solùm de judicio in mundo venturo. δέδωκε in præterito innuit saltem aliquam partem hujus judicii jam Christo concessam fuisse. Hujus rei insigne exemplum occurrit in veteri Testamento: *Pluit Dominus de cœlo à*

Luc.12.12.

Domino, Gen. 19. 24. Dominus Christus à Domino Patre, cui omne judicium crediderat. Locus Mat. 19. v. 28. minimè collimat ad mundum futurum post resurrectionem universalem; verùm ad Ecclesiæ statum post resurrectionem Christi inchoandum. Hoc innuit vox παλιγγενεσία, quæ non ad priorem sed posteriorem versûs partem referenda est. Comma addendum est post μοι, & omittendum post παλιγγενεσία. Ità enim legitur ab Interprete Syro, qui etiam vertit ἐν τῇ παλιγγενεσίᾳ ܒܥܠܡܐ ܚܕܬܐ *in seculo novo*. Hoc seculum novum à Christi resurrectione protinùs incepit. Modus Ecclesiam regendi per Apostolos Metaphorâ à regno Judaico desumptá describitur, in quo Principes duodecim tribuum in sellis duodecim juxta regis solium sedebant. Hanc translationem Christo perquam familiarem fuisse patet ex Luc. 22. 29. ubi ampliùs adjicitur, Apostolos ejus mensæ assessuros ad exemplum procerum maximorum. Placuit Christo regimen Spirituale tropis à regimine sub veteri Testamento petitis depingere. In more positum est apud eos, qui Spiritui Sancto à manu fuêre, in vovo Testamento cœlestia sub imagine terrestri describere.

II. Cùm Apostoli post resurrectionem Christi, cùm jam in cœlum ascensurus esset, Christum interrogaverunt Act. 1. 6. dicentes, Domine, si in tempore hoc restitues regnum Israel? Respondit illis Servator noster, Non est vestrum nôsse tempora & momenta, &c. id est, regnum meum nondum venit, nec præscietis vos, quando veniet; veniet enim sicut fur noctu, sed superveniet vobis Spiritûs Sancti virtus, per quam prædicatione vestrâ testimonium dicetis de resurrectione mea. & de operibus meis, & de doctrina, quam docui; ut credant in me homines, & vitam æternam expectent, cùm rediero. Quomodo hæc cum adventu

ventu regni Christi in Christi resurrectione congruant, non video: neque cum eo, quod dicit Sanctus Paulus, 1 Thes. 1. 9, 10. Conversi estis ad Deum à simulachris servire Deo vivo & vero, & expectare filium ejus de cœlis; ubi expectare Christum de cœlis idem est quod expectare adventum ejus in majestate regnaturi; quod necessarium, si regnum ejus jam ante aderat, non fuisset. Rursus si regnum Christi incepisset in resurrectione Christi, quam caussam habent Christiani precandi hodiè, (ut faciunt) Adveniat regnum tuum? cap. 44. p. 296, 297.

Cùm discipuli Christum interrogatum eunt de regno terreno, quale pro more Judæorum esse futurum somniabant, nè verbulum ex ore ejus excidit ad alendam hanc opinionem. Nè minimum apicem de regno futuro commemorat. Quæstionem quippe inutilem, pro consuetudine sua responso apposito noluit dignari: verùm ad reprimendam inanem eorum curiositatem se protinùs accingit. Non vestrum est, inquit, nôsse tempora & momenta, quæ Pater posuit in sua potestate, h. e. non licet vobis in eis investigandis versari, quorum notitiam Pater ipse sibi soli vendicat. Ex hac re confestim eos ducit ad promissionem & mandatum, remedia ad cohibendam curiositatem perquam idonea. Accipietis, inquit, virtutem supervenientis Spiritûs. Apagite ergo somnium de regno terreno; vestrum est animo revolvere promissum de hoc spiritu, qui brevi in vos illapsurus est. Eritis mihi testes, idcirco nè meditemini terrena, quæ vobis in compendium mundanum cedant: sed parate vos, ut animo generoso & infracto de me & doctrina mea testimonium passim perhibeatis. Nihil hîc occurrit, quod non congruit cum Christi regno protinùs post suam ipsius resurrectionem. Expectare filium è cœlis apud Sanctum Paulum, 1 Thes. 1. v. 10. non est manere initium regni illius; verùm in spem

T.

venire de adventu ejus ad obeundas supremi judicis partes, ubi obedientibus vitam æternam, immorigeris mortem adjudicaverit. Cùm Christiani precantur, ut regnum Christi adveniat, non innuunt id usque adhuc non omnino venisse (jam antè accessit ad omnes, qui in ejus obsequium traditi & exhausti sunt) sed ex hac re Patrem cœlestem adeunt, ut hoc regnum indies magìs magísque propagetur, ut veniat ad loca, ubi nihil adhuc de nomine Christi auditum est, & ad personas, quæ nondum se ejus regimini submiserunt. Christus eò loci regnare dicitur, ubi eò usque corda hominum edomuerit, ut regno Satanæ valere jusso, non ingratiis regimini ejus tum interno tum externo cervices suas submittant. Cùm hoc non adhuc evenerit per totum terrarum orbem, perquam necessarium est, ut Christiani hac prece thronum gratiæ solicitarent, *Adveniat regnum tuum.* Quamvìs hoc regnum in aliquibus locis & personis statim à resurrectione Christi inceperit: tamen necubi apicem & fastigium suum attingit.

Dogma

Dogma XXXI.

Christus venit ut Deo Patri per pactum novum restitueret regnum, quod à populo in electione Saulis rejectum est, c. 41. p. 228.

QUod attinet ad officium ejus regium, ostensum antè est regnum ejus incepturum non esse ante diem judicii, &c. Etiam tunc non aliter rex erit, quàm sub Patre suo: sicut Moses in deserto, & ut Sacerdotes summi ante regnum Saulis, & sicut reges post illum; sic enim dicit Deus, Deut. 18. 18. Mosem alloquens, Suscitabo illis prophetam ex medio fratrum suorum similem tibi, & penam verba mea in ore ejus. Similitudo autem hæc cum Mose apparet etiam in servatoris nostri actionibus. Sicut enim Moses elegit duodecim principes tribuum, qui sub se regerent; ità servator duodecim elegit Apostolos, qui sedebunt super duodecim thronos, & judicabunt duodecim tribus Israelis. Et sicut Moses autoritatem dedit 70. Senioribus prophetandi ad populum: ità servator noster 70 ordinavit discipulos ad prædicandum. Et sicut coram Mose cùm quereretur quidam, esse qui (præter 70. seniores) prophetârunt in castris, Moses factum eorum approbavit: ità Servator noster, conquerente Joanne, quòd essent, qui nomine ejus ejiciebant Dæmonia, factum approbavit dicens, Luc. 9. 50. Ne prohibe, nobiscum enim est, qui non est contra nos. Etiam in institutione Sacramentorum tum admissionis in regnum Dei, tum commemorationis Servator noster Mosem & Abrahamum imitatus est, &c. p. 230. *H.*

Quoniam ergo autoritas Mosis subordinata erat, & ipse